



HISTORIAE ECCLESIASTICAE, NOVI TESTAMENTI

SECULUM XVI.



seu

PARS QUINTA.

Quâ res, Christianorum potissimùm, Orientalium & Occidentalium breviter, succinctè & aphoristicè primò proponuntur; deinde fusiùs ita explicantur, ut Reformationis Ecclesiasticæ, superiori seculo institutæ, necessitas haud obscurè evincatur.

AUTHORE

JOH. HENRICO HOTTINGERO.





TIGURI,

Typis JOH. HENRICI HAMBERGERI, impensis Michaëlis Schufelbergeri, 1655.

SERENISSIMAE CELSISSIMAEQVE PRINCIPI, ELISABETHÆ PALATINÆ, &c.

SERENISSIMA PRINCEPS.

QUEmadmodum ingenium humanum pernicioſo novitatum pruritu, ut plurimùm, laborat; ita etiã, ubi vel latum unguem à Dominica traditione recedit, periculoſiſſimè hallucinatur. Ruſpatur omnia, & ne quid videatur ignorare, in illis etiam temeritatem prodit, quibus, certiſſimo ſacræ Scripturæ indicio, meliùs ſentire & poſſet & deberet. Hinc (eò namque quorundam prorupit audacia) in du-

bium ſcepticè ab hominibus malè feritatis vocatur, *An Mulier ad imaginem DEI creata dici queat?* Prodigioſa quæſtio, ab iis, qui helleboro opus habent, importunè excitata! Non jam præſcripti brevitatis cancelli, copiam nobis faciunt in ampliorem diſputationum campum excurrendi; neque verò operoſiorem refutationem παρέργοι ejusmodi merentur. Ipſi facilè vident, cauſam ſuam, peſſimam certè, inſignibus illis (cæteras rationes intactas lubens relinquam) imaginis divinæ ſtricturis, quas muliebris ſexus in felici ingenii cultura non rarò oſtendit, jugulari. Ecquod nam, quæſo, bonarum literarum, tam ſacrarum quàm profanarum exprimas ſtudium, quod non muliebri etiam ceſſerit ſexui? Hinc magno ſe numero offerunt Gente non minùs quàm Mente nobiles omnium facultatum, Artium & Linguarum ſtudioſæ.

In THEOLOGIA eminebant Fabiola, Romana mulier; quæ impenſè

sè ſacras amavit literas : unde & Prophetias, Evangelia & Pſalmos frequentiſſimè evolvit & revolvit, ut iterata Scripturæ lectio amorem divinæ religionis, quâ deflagrabat, magis atque magis accenderet: Marcella Romana, quæ propter ſacras literas (quas egregiè callebat) frequentibus Epiſtolis à D. Hieronymo ſalutata eſt. Superiori ſeculo Anna Askeve vitam non modò feriæ & ſedulæ Sacrarum literarum tractationi impendit; ſed eandem etiã conſtantiſsimo martyrio generosè conſummavit, vix ætatis annum 25. conſecuta.

In LINGUARUM diverſarum, Orientalium etiam, ſtudio palmam reliquis præripiebant Amalaſuntha, Theodorici, Gothorum Regis; Claudia Rufina, Britanna, pluréſque aliæ, Latinæ, & Græcæ linguarum callentiſsimæ. Addiderunt nonnullæ iſtis duabus tertiam, Hebræam. Euſtochium, Paulæ, Romanæ mulieris, filia; ejuſdémque poſtea exemplo aliæ; La-

tinarum, Græcarum & Hebraicarum Linguarum ſtudiis plurimùm excelluit. Ingenium ſacris literis devovit maximè, ita ut & Pſalmos Hebraicè legeret curſim & mira celeritate. Animum cæteræ ad Europæas uſitatiores inſuper appulerunt. Loyſæ Amonæ, Latinæ & Gallicæ; Magdalenæ Bavaræ, Latinæ, Gallicæ, Italicæ & Hiſpanicæ; Eliſabethæ verò Johannæ Weſthoniæ, Latinæ, Italicæ, Anglicæ, Germanicæ, & Bohemicæ linguarum notitia tribuitur. In Ægyptum quædam penetrârunt. Zenobia Palmyræorum regina, Græci Ægyptiíque ſermonis fuit peritiſsima, & Latini non ignara. Latinam nôſſe non usque adeò inſolens erat. Hoc enim nomine commendantur Anaſtaſia & Caroſia, Valentiniani Imperatoris filiæ; Anna, Melanchthoniana proles; Iſabella, Ferdinandi uxor, quæ unius anni ſpatio linguam Latinam avidè imbibiſſe fertur; Maria Hungariæ & Bohemiæ regina; quibus jure accenſeri debet Margaretha Blau-

Blaurera Constantiensis. Certè non proletariam ejus in Latinitate fuisse peritiam, ex Fratrum doctissimorum ad eam datis Epistolis, facile est colligere.

Neque verò in ARTIUM studio segnior fuit hic sexus. In GRAMMATICA Agallis Corcyræa fuit illustris. In ASTRONOMIA Aganica, Athyrtia, Sesostris, Ægyptiorum Regis filia, & Elisabetha Hispaniarum Regis filia; In POESI Alexandra Schala, Anagora, Angela, Antonii Nugarulæ Veronensis filia; Anyta, Carixena, Cassandra fidelis, Claudia Rufina, Clitagora, Corinna, Cornificia, Damophila, &c. In RHETORICIS Baptista, Alexandri Sfortiæ filia, Dam. Trivulcia, Nicolosa. In DIALECTICIS quinque Diodori Philosophi filiæ. In reliqua PHILOSOPHIA Claudia, Cleobolina, Cornelia, Eruditia, Georgia Montana, Hypathia, Tarquinia Molzia, Arete, quæ ad eum eruditionis apicem pervenit, ut & filium Aristippum instituerer & Scho-

lam, magno, ac frequenti Auditorio, patre mortuo, regeret; Dama, Pythagoræ filia, ipſa quoq; Philoſophiæ paternæ ſectatrix celebrata. Hæ omnes ingenium in exponendis Philoſophorum placitis exercuerunt. Ex MEDICINA laudem conſecutæ ſunt Aegla, Agameda, Arthemis, &c. Quid, quòd ſcriptis aliæ, aliæ etiam Lectionibus publicis inclaruerunt? Angelæ Veronenſis Muſæ Eclogas nobis quasdam dederunt; Anytæ, carmina Græca; Aretæ libros quadraginta; Arginetæ res geſtas Dionyſii: Alkonorę induſtrię debemus aliquot ad Celeſtinũ III. Epiſtolas; Baptiſtæ, Galeatii Malateſtæ filiæ librum de fragilitate humana; Cambræ, leges Cambrorum; Catharinæ, Ferdinandi I. filiæ lamentationes peccatoris; Claudiæ Rufinę Epigrammata; Cleobolinę Philoſophiam. Iſota Novarolla Veronenſis, Philoſophiam verbo & opere profeſſa eſt. Pręter Epiſtolas ad Nicolaum V. & Pium II. datas, Dialogum ſcripſit, quo diſputa-

ta-

tatur ; *Uter graviùs peccârit Adamús-ne an Eva?* Politianus etiam magnis laudibus commendat Caſſandram fidelem, Venetam puellam, quam ait pro lana librum, pro fuſo calamum, ſtylum pro acu tractâſſe, Latináſque Epiſtolas ſcripſiſſe. Sed & notę, typis quippe vulgatę, ſunt, doctiſsimę & ad Cleanthis lucernam elaboratę Olympię Fulvię Moratæ lucubrationes, mulieris adeò eruditę, ut & Philoſophiam privatim, in hac ipſa inclyta Academia tradiderit. Verùm, quid γλαῦκας Ἀθήναζε, aut vetera exempla refrico? Ipſa TU, cum altero illo, novo orbis prodigio (liceat ita mihi Ultrajectinum ſidus, & omnis bonæ literaturæ cornu copiæ, Hieronymi verbis compellare) toti pridem, raro ullius ſeculi exemplo, probâſtis orbi, ſexum muliebrem, neq; à ſolida Linguarum notitia, neq; abſtruſa Philoſophiæ tractatione, neque etiam ſublimi rerum Theologicarum inquiſitione, totáque adeò literarum, tam ſacrarum quàm profana-


rum, ἐγκυκλοπαιδεία, abhorrere. Non repetam, Serenissima atque Celsissima Princeps, quæ alii jam; magno TUO merito; de excellentissimi & incomparabilis ingenii TUI sagacitate, Judicii ἀκριβεία stupenda; studio Linguarum Latinæ, Græcæ, Gallicæ, Italicæ, Hispanicæ indefesso; Historiarum lectione, præsenti semper & attento animo suscepta; controversiarum examine rigido; scripserunt & retulerunt: hoc tantùm oro, rogo, obsecro, ut & patrocinium scripti hujus Historici suscipias, & arbitrium. Nolui, neque verò debui, à Serenissimo & Celsissimo Principe Electore, Fratre, ad Archipalatinas vocatus Musas, TE Charitem præterire insalutatam. Lege, si placet & vacat, hunc Ecclesiasticæ Reformationis prodromum, & quàm rectè de superioris seculi tenebris; profligatis ubique & prostratis bonis literis; scripserim, ἐπιεικῶς judica. Dominus Jesus, Celsitudinis Tuæ vitam, studia, omnésque conatus regat & dirigat ad sanctissimi

ſimi Nominis ſui gloriam, & ſempiternam TUAM, corporis & animæ ſalutem, Amen, Amen. Dabam Heidelbergæ die 5. Auguſti, 1655.

Celſitudini Tuæ

devotiſsimus,

JOH. HENRICUS HOTTINGERUS,
Tigurinus.



Reve-

I.

Reverendo, Clarissimóque Viro,

D. JOH. HENRICO HOTTINGERO, Collegii Carolini Canonico, Philosophiæ, linguarum Orientalium, & historiæ Ecclesiasticæ, in schola Tigurina, Sacro-sanctę verò Theologię in alma HEIDELBERGENSI Universitate Professori designato, quintam historiæ Ecclesiasticæ partem edenti, cum applausu gratulatur

FELIX WYSSIUS, ECCLESIÆ TIGURINÆ Minister.

JOANNES HENRICUS HOTINGERUS

Anagr.


En, is erigit curâ suos: nónne?

CUrâ nónne suos iste erigit, *atque labore?*
Erigit, *inque bonam dirigit hosce viam.*
Quos appello suos? *Quotquot venerantur, amántque*
Nomen HOTINGERI *nobile, dico* suos.
Seu peregrini sint, alio sub sole calentes,
Sive terant nostri rura beata soli.
Illi HOTINGERI *Musasque novósque labores*
Ni crebrò videant, ore tacente gemunt.

Eri-

Erigit *hos* curâ, *scriptis animúmque redire*
Præcipit, hósque mero potat alítque suo.
HOTINGERIADES *Musæ, doctíque labores*
Ambrosiam nisi nil, nîl nisi nectar habent.
Lectoríque nihil nisi balsama, mélque propinant,
Thuris odoriferi nîl nisi fumus inest.
Quem non vivificet tua desuper orta Thalia?
Cordatum quem non erigat atque beet?
HEIDELBERGA *tuos mirabitur alma labores,*
Hospitis atque novi dona per astra vehet.
Ergo Palatinam perge ædificare Zionem,
Ergo Palatinas perge novare Deas.

Tiguri, d. 13. Julij, 1655.



II.

EST exorta dies, intrat lux plena feneſtris,
Sol Evangelii ſpargit ubique faces.
Ubera nudantur Latii ſpurciſsima ſcorti,
Innumeri retrahunt è Babylone pedes.
Styx fremit, atq; loquens ſicut draco beſtia, at Agni
Inſtar cœleſtis cornua bina gerens.
Terra cruore madet, fumat flammâ undique terra;
Sed lucem fruſtrâ ſtinguere mundus amat.
Exhibet hæc Hottingeri ſolidiſsima charta;
Auroram ſequitur Solis in orbe jubar.
HOTTINGERE diu flore celeberrime; poſtquam
A te ſat Nicri culta cathedra, redi:
Et patrium ſcriptis ac voce ornare Lyceum
Perge; ita Collegæ, ſic Schola tota vovet.

JOH. WIRTZIUS,
S. Theol. Prof. f.

SE.

SECULUM
seu
CAPUT XVI.

Sectiones ejus sunt novem

SECTIO I.
DE
NATURA & POLITIA.

I. Fuit Seculum decimum sextum, si *Naturæ* cursum spectemus, prodigiorum, portentorum & calamitatum feracissimum.

Notantur enim I. *Terræ motus*. A. Ch. 1508. Terræ motus per Germaniam & Italiam fuere magni. *Nic. Basel.* Add. ad Naucl. Gen. 51. p. 310. An. Ch. 1509. Ingens terræ motus accidit Constantinopoli, quo plurima ædificia, præsertim à Turcis constructa perierunt, & hominum 13. millia. Ipse Bajazethes Monachi monitu in hortos concessit. Duravit hic motus dies 40. Vt collapsa restituerentur, Bajazethes ex Anatolia, Romania, & aliis locis opifices, cæmentarios & lignarios colligit ad octoginta millia. *Cal. Nicol. Basel. Paral. Vrsp.* An. Chr. 1531. 7. Cal. Febr. motu terræ concussa est tota fere Lusitania. Vlyssiponæ corruerunt mille & quingentæ domus, ex omnium spectatissimis, plus quam sexcentæ ruinam minatæ sunt. Templa omnia in acervum lapidum redacta traduntur. Hic motus terræ dies octo duravit, & quotidie per intervalla rediit, ut septies aut octies interdiu. Hinc periculo fuerunt obnoxii incolæ: unde relicta urbe homines in campis sub dio agere sunt compulsi. Ad hæc ex locis illis quidam scripserunt, certos hiatus factos, unde pestilentissimus aër exhalaret, atque hinc atrocem exortam pestem. A. Ch. 1570. Italia, maximè verò Ferraria, terræ motu concussa fuit mense Novembri. Eum paulò fusius descripsit R. *Azar.* peculiari tractatu de *Kol Elohim, voce Dei.* Vide *Anal.* P. 1. p. 186. An. Ch. 1572. 6. Aprilis & seqq. Anglia, Zelandia, Hollandia, & Flandriæ pars terræ motu concutiuntur. *Geneb. Buchholzerus* verò ejus meminit ad a. Ch. 1580. An. Ch. 1590. Terræ motus ingens & horribilis Viennam Austriæ & multa Moraviæ ac

Bo-

Bohemiæ loca graviter afflixit d. 15. Sept. styl. N. *Buchh. Calv.* A. 1592. scribit *Hen. Wolph.* Theod. Bezæ: Apud nos nimiæ pluviæ & pertinacia frigora faciunt, ut de frugibus valde metuamus. *Terruit etiam nos terræ motus quem 20. Maji paulò post octavam pomeridianam cum notabili concussione ædium & halitu quodam hic plerique sensimus.* Vix alius fuit longo tempore in Italia motus terræ, qui plura dederit damna, quàm Ferrariensis. Ad quem tamen alii duo accedunt, de quibus paulò fusius. Prior incidit in A. Ch. 1538. (referente viro celeberrimo, D. M. Z. *Boxhornio*, in Hist. univ. P. II. de rebus à Carolo V. ad a. Ch. 1550. gestis) incendium agri Puteolani, cujus ex Epistola Simonis Portii Neapolitani, ad Petrum de Toleto, Regni Neapolitani Proregem, & militum Imperatorem hunc in modū meminit: *Vidisti tu*, inquit, *conflagrationem, & universam Puteolorum regionem lustrâsti. Est ea vicina mari, aquis calidis, & lutoso sulfure abundans, montes habet à Septentrione & Meridie, qui ad mare usque procurrunt, ubi cavernæ multæ & magnæ, caloris vim plurimam cohibent. Fuit hæc regio biennio ferè magnis terroribus agitata, ut nulla in ea superesset domus integra, nullum ædificium, quod non certam & proximam ruinam mi-*

naretur. At verò V. & IV. Kal. Octob. perpetuis diebus noctibúsque terra commota est: mare passibus ferè 200. recessit, quo quidem loco & ingentem piscium multitudinem accolæ capere, & aquæ dulces prosilire visæ fuerunt. III. tandem Kal. magnus terræ tractus, qui inter radices montis, quem Barbarum incolæ appellant, & mare juxta Avernum, jacet, sese erigere videbatur, & montis subitò nascentis figuram imitari. Eo ipso die, hora noctis II. iste terræ cumulus, aperto veluti ore, magno cum fremitu, magnos ignes evomuit, pumicésque & lapides cinerisque fœdi tantam copiam, ut quæ adhuc extabant Puteolorum ædificia aperuerit, herbas omnes texerit, arbores fregerit, pendentémque vindemiam ad sextum usq; lapidem in cineres verterit, aves quoque & nonnullas quadrupedes bestias interemerit; fugientibus per tenebras Puteolanis cum natis, & uxoribus, & magno gemitu ejulatúque Neapolim sese recipientibus. Qui quidem cinis ad LX. ferè passuum millia exhalationis vi projectus est, atque, quod mirum videre potest, propè voraginem, siccus; longè

gè verò lutosus & humidus cecidit. Verùm, quod omnem superat admirationem, mons circum eam voraginem, ex pumicibus & cinere, plus quam M. passuum altitudine una nocte congestus aspicitur. In quo multa quidem inerant spiramenta, è quibus duo nunc supersunt, alterum juxta littus, quod procurrit ad Avernum: alterum in ipso montis medio. Averni magna pars aperta cinere. Balnea illa tot seculis celebrata, quæque tot ægris salutem præstabant, cinere sepulta jacent. Durat & hoc incendium ad hunc usque diem, cum aliqua tamen interpellatione; cujus *postea rei causas naturales, motuum maximè terræ, eruditè enarrat.* Sed & domesticum habemus exemplum an. Chr. 1584. in agro Bernensi observatum. Cùm enim die 9 Martii terra quateretur, mons quidam in Ælensi districtu qui antea jam ruinam minabatur, duos pene pagos, Corbeyrium & Yvornam, ita obruit, ut gurgite quasi absorpti perierint homines 122. cum supellectilibus, 126. horrea, 5 molæ, 318 cadi, 166. vaccæ, 17. boves, 59. equi, 181. oves, 66 jugera vinearum, pratorum & agrorum maxima copia; qua de re *Stettl.* annal. T. 1 1. 7. p. 288. & *Rodolph. Zulling.* Epist. Msc. ad Iosuam VVittenbachium, Moratensem Prætorem: cujus compendium (ipse enim Bul-

lingerus examini rei gestæ publico nomine interfuit) commodè hic inserimus. Scribit ergò, Ivornenses & Corbeyrienses superstites, magna devotione animi agnovisse, justissimam hanc esse justissimi Dei judicis pœnam, quam æquo proinde ferre animo essent parati. Rogare se tamen Amplissimum Magistratum Bernensem, propitius esse vellet, & laborantes juvare. Collecta inde mox Bernæ decreta & à D.Musculo pro suggestu commendata; Ipsi verò calamitatis socii diem singulis hebdomadibus Deo sacrum, supplicationibúsque & jejuniis destinatum esse voluerunt. Damnum acceptum tantò fuit majus, quantò fertilius (certâsse enim ait, cum cæteris ditionis Bernensis provinciis usq; adeò, ut tertium quotannis ex eodem agro demeterent fructum ruricolæ, hordeum, milium & frumentum) ipsum fuit solum, lapidibus jam & pulvere prorsus coopertum. Iacturam pecorum, ædificiorum, cæterorúmque, quorum modò meminimus, æstimari supra 75000. coronatos: ne numerato quidem vino, frumento, avena, præsenti pecunia, supellectili, quæ omnia fidem penè superent. Et quanquam in Catalogum oppressorum tantum relati sint 122. testari tamen sanctè superstites operas in vineis & agris fuisse minimum 200. quas omnes ruina hæc obruerit, ita quidem, ut nonnulli terræ profunditatem, quę tres hastas exæquaret, petierint. Amænissimum autem locum illum in solitudinem ita esse redactum, ut pristinæ faciei nequidem supremæ amplius appareant lineæ. Amœnitati vallium, & montiũ, solitudinum tristis-

sima,

ſimas ſucceſsiſſe viciſsitudines; Montium rupturâ aggeres terræ ita fuiſſe congeſtos, ut nullus, niſi oculatus, fidẽ facile poſsit adhibere. Tanta tempeſtas fuit, tot, terræ motu mixta, fulmina, fulgetra, fragores; lapidum per aerem volitantium nimbus, caliginis denſitas & horribilis colliſio tanta, ut multi, ne quidem de fuga ſoliciti, flexis genibus Deo ſe, jam jam venturo ad judicandum vivos & mortuos, commendârint. Non ingratum fortè fuerit hujus cladis deſcriptionem audire ex ipſo Bullingero, ne quid verborum emphaſi, quam in ſcriptis ἀνεκδότοις magni facere ſoleo, decedat: In dem D. Muſculus vnd ich mit vnſeren geſpanen (ehe dann vnſere Obrigkeit hinauff geritten den ſchaden zu beſehen) zefuß alles durchgangen / vnd von dem boden / da das vnder dorff Yvorni geſtanden / auff welches das ober dorff Corbeyri gefallen / habend wir 3. gantzer ſtunden zu gehen gehabt / ehe dann wir an das ort kommen / zwiſchet beyden bergen / da der erſt fall beſchehen / vnd die Eynwohner des orts / ſo noch vorhanden / vns anzeigt / daß wir noch anderhalb ſtund gnug zegehen hetten / an das ort / da der Erdbidem am Sonntag den erſten felſſen zerſpalten / welcher noch die folgenden tag 2. 3. vnd 4. Martii ligen bliben vaſt biß zu mittentag / da es den außbruch gewunnen / welches jetzermeldte vorgehende tag / etliche Eynwohner geſpürt / die ſpält im erdtrich geſehen / ein ſtrenge bewegung vnd zitteren des

bodens befunden / noch nüt destoweniger nit gewichen/sonder auff hoffnung der gnaden bliben sind: vnd/daß vns für warhafft von den vberblibnen erzellt worden/sind in dem jammer jhro vil auff jhre knye nidergefallen/jhre händ gegen dem himmel auffgehebt/nit fliehen wöllen / sonder geschrawen: O lieben Kind! Bättet: Rüffet den Herren an/dann der Jüngste-tag ist vorhanden. Es erzellten vns auch etlich der vberblibnen/daß der gröste jamer seye gewesen der Kinden jämerlich weinen vnd schreyen/ o Vatter / o Mutter/hilff! hilff! dermassen/daß einem zuhörer in erzellung dises vnfahls / das hertz mögen zerspringen. Noch mehr vnd grösser ist zu verwunderen/der grausame impetus des gethöß/ donders/blitzg/vnd krachens/ von dem sie erzelten/daß es gewesen/auch wie mit einem dicken rauch des Erdrichs/so hoch im lufft daher gefahren/alles verduncklet/ vnsaglich grosse stein in lüfften von einem Berg zum anderen getriben worden/vber ein tieffes Tobel / ja so starck / daß etliche jucherten Aecker vnd Weinreben vberhupfet/denen nichts geschehen/wo es aber antroffen/alles zu sprittelen zermürset/ vnd dermassen zerrissen/daß kein baum vngeschädiget gebliben. Es hette auch am end des anderen Dorffs 4. Häuser auff den grund verbränt/vnd haben wir noch 3. gruben funden/ darinn das fewr wütet/ daß von hitz niemand darbey bleiben mögen/vnd

wa-

waren gleichwol 4. wochen schon verloffen/ alß wir da waren / da der vnfahl beschehen: Noch ist des brands kein end nicht. Noch eins zu melden achte ich nothwendig/ hierinn sondere Gottes gnad vnd sein ewige vorsehung zu bedencken/ wie namlich in höchster gefahr 2. Kindlein erhalten worden / das eine nicht mehr dann 7. wöchig/ welches sein Mutter gsaugt/ vnd alß das Erdtrich im fall sie auch ergriffen/ sie auff die wiegen gefallen/ ist dem Kindlein das häuptlein davornen gebliben vnbedeckt. Das ander/ ein 6. jähriges Knäblein/ welches sein Groß-mutter an die hand genommen/ vnd fliehen wöllen / aber von einem stuck lätten-grund ergriffen / die Groß-mutter vnd Kind vberdeckt/ allein dem Büblein das haupt vnd rechs ärmlein davornen gebliben/ vnd sind also beyde Elteren todt/ die Kind aber am anderen tag lebendig außgegraben worden. Cætera omitto, quæ de terræ motu vicina etiam loca integro mensis spatio aliquoties infestante subjicit. Reliqua petantur ex *Stettl.* lib. cit. c. *Cometæ.* Magni Cometæ post Solis occasum orti, & Constantiæ etiam visi meminit *Thomas Blaur.* Epist. d. 25. Aug. 1531. ad fratrem Ambrosium data. Ipse ille Cometes est, de quo Zuinglius, cùm ipsum videret Tiguri, à Georgio Mullero, Abbate VVettingensi, interrogatus, quid portenderet, respondit: Stellam hanc sibi, aliisque bonis viris viam monstrare ad vitam æternam. Omen simul esse magnæ calamitatis, adeò ut de Evangelio actum videretur.

Sed triumphaturam bonam causam. Alius apparuit a.Ch.1539. *Sleid.*p.142.& a.Ch.1556. sub initium Martii: *Buchholz.* De quo etiam *contin. Sleid.* l.26. Mense namque Februario, aliisque ferè diebus sequentibus in cœlo ardere cometes visus est, quem terris dira minari fatidici dixerunt. Nec fefellit eventus. Nam præter horrida bella, mortes etiam Principum & magnorum virorum mutationes item insignes sunt secutæ. Et *lib.*27.An.Chr. 1558. Dum uterq; Rex collatis castris bellum extraheret mense Augusto, luridus dirusque Cometes, acutum in occiduam mundi plagam telum vibrans per totam ferè Europam apparuit, qui non obscurè plurimorum Regum & Principum funestum exitum minari & portendere visus est, id quod eventus ipse declaravit. A.Ch.1577 Cometes stupendæ & insolitæ magnitudinis visus est d. 11. Novembris, quem alii mense superiore flagrâsse scripserunt, *calv.Buchh.* Scripsit de hoc Cometa judicium Benedictus Burgoverus, quod ἀνέκδοτον habeo. A.Ch.1587. Cometes Genevę per undecim continuos dies visus est. *Salvar.*ad Muscul. An.Ch. 1593.d.3. Augusti, st.n. Cometa apparuit, caudam oblongam à Septentrione Meridiem versus convertens, qui postquam aliquot septimanarum spatio se conspiciendum præbuit, rursum evanuit. d. *Montium evulsiones.* A.Ch.1571. In Anglia mons sat procul à mari dissitus, motus est suo loco, eversis radicitus arboribus. e. *Inundationes* maris, fluviorum, lacuum. Cujusmodi magnæ fuerunt in Frisia, Hollandia, Zelandia, Flandria; *Buchh.Calv.* a. Ch.

Ch. 1570. A.Ch. 1557. scripsit *Bulling.* ad Ambros. Blaur. Eodem tempore (quo Dux Albanus Romę, nomine Regis Philippi initæ pacis articulum primum de petenda venia, effectum daturus fuit) Arnus Fluvius pontes Florentiæ pretiosissimos dejecit, & littora dissipavit, totamque urbem sic attrivit, ut scribatur, Florentiam posthac non talem, qualis fuit, Florentiam futuram. Tiberis quoque exundans prodigiosè urbem damno affecit maximo. Perierunt homines non pauci. Ædificia complura & insignia conciderunt. Antea, a. Ch. 1530. Romæ Tiberis exundavit, maximo cum terrore civitatis, reflantibus ventis, & fluminis decurrentis impetum à mari retropellentibus. Itaque plurimum fuit acceptum damni. Consimilis planè calamitas & atrocior pervasit Batavos, iisque finitimos populos, cùm per aggeres, quibus constringitur iis locis, mare perrupisset, ac omnia secum longè latéque involveret. *Sleid.* p. 82. Et author *Paral. Vrsp.* pag. 475. pauló fusius: Eodem anno Non. Novembr. Brabantiæ, Hollandiæ, ac Flandriæ loca littoralia, maritimáque, Zelandiam propemodum universam dira aquarum obruit alluvio, ruptis aggeribus, mari & fluminibus passim inundantibus, cum magna & hominum & rerum strage, non tantùm pagi, sed & oppida Flandriæ atque Hollandiæ enavigata sunt cymbis fluvialibus. Ferunt, maria omnia adeó insolenter per id tempus aucta, ut ternis aut quaternis pedibus supergressa sint aggerem. Scio (inquit Hadrianus Barlandus) fuisse paucos admodùm in Selandia, quos tam sæva hæc tempestas non

non deprehenderit. Si noctu venisset tam subitus & grandis cataclysmus,non dubium,quin plurima hominum millia fuerit absumta. An.Chr.1595. Vere & æstate in Hollandia, Geldria, tractu Rhenano,Austria, Bohemia, Saxonia, Misnia, Lusatia, Silesia,aliisque Germaniæ locis stupenda & insolita extitit aquarum inundatio, quæ non tantum vicos, pagósque plurimos destruxit: Verùm etiam homines,& magnam pecorum multitudinem absorpsit & suffocavit *Buchbholz*.An.Ch.1598.d.23. Decemb styl.N. tanta támque insolita extitit fluvii Tyberis eluvio & inundatio, ut plerasque ædes in ipsius urbis meditullio sitas,ad medietatem usque eluerit, & fundamenta illarum ita convulserit, ut nulla ferè urbis,aliâs amplissimæ, pars reperta fuerit, quam lignis ac tibicinibus suffulcire & sustentare non oportuerit: multis ædibus jam collapsis, reliquis casum & ruinam in horas minitantibus. In hac eluvione præter magnam pecorum in campis hinc inde suffocatorum multitudinem, mille & quingenti circiter homines perierunt. Damnum urbi illatum multis aureorum myriadibus æstimatur. f. *Gravissimæ tempestates,fulgura,fulmina, pluviæ.* A.Ch.1530.Romæ præter tonitrus ingentes & crebros ignes, tanta vis aquarum cœlo decidit,ut altero se perituros diluvio metuerint homines. An.Chr.1546. ad septimum Augusti diem, Mechliniæ, quod est Cæsaris ditionis,oppidum Brabantiæ, pulcherrimum,pulvis tormentarius in turri quadam, in mœnibus dispositus, in fulmine correptus & incensus,ipsam turrim primùm à fundamen-

lamentis evertit, proxima deinde ædificia, intra & extra urbem, ad quingentos amplius passus in circuitu invasit, ex iis pleraque incendit, plurima evertit, diruit ac disjecit, nonnulla concussit ac disrupit, atque ex his lapides ingentes correptos, plerósque ad sexcentos passus longè abjecit, atque ita corruptis tectis, ac denudatis, vitreis fenestris per omneis vias concussis atque factis, totam propemodum urbem deformavit, arbores radicitus evertit & ambussit. Perierunt in ea calamitate homines plus minus ducenti, partim incendio absumti, partim ruinis ædificiorum ac lapidibus & tegulis obruti; præter eos, qui graviter vulnerati mortem effugerant, quorum ingens erat numerus. Ex his complures biduo ac triduo, nonnulli quatriduo pòst è cellis subterraneis, in quas confugerant, plerique mortui, qui vel fame vel spiritu præcluso extincti erant, pars vivi, qui penu ibi condito, invento vitam toleraverant, reperti atque extracti sunt: Præterea ingens numerus jumentorum atq; pecorum cum stabulis deflagravit: murus autem, qua parte turris steterat, ad ducentos amplius passus dirutus ac solo adæquatus fuit. *Sleid.* p. 219. Autumno 1556. secundo Septembris horribilis & inaudita tempestas Locarni ultra Alpes in finibus Helvetiorum orta est: Summo manè turbo vehemens de nubibus descendens ædificia quædam prostravit: Post meridiem verò pluvia, tonitrua, fulgura & fulmina tantopere per 4. horas sævierunt, ut omnes indigenæ haud aliter sese compararent, ac si ultima dies advenisset. Vnde torrens Remonia ita excrevit,

vit, ut arbores & ædes secum abducens, tandem nullum exitum haberet, propterea totum circumjacentem agrum instar lacus occupavit. Postea verò magno impetu eruptionem nactus, magnam copiam jumentorum, pecorum & hominum absumpsit, atque circumjacentem regionem mirum in modum defœdavit. *Pantal.* contin. Sleid. pag. 350. An. Chr. 1523. in regno Granatæ circa autumnum multæ civitates & arces absorptæ sunt, & in Neapoli circa festum Galli tantæ fuerunt tempestates cum pluviis & tonitruis, ut arces multæ & pagi ac ingentes arbores corruerent, & loco amoverentur. *Paral. Ursperg.* Quid Neocomi a. Ch. 1579 acciderit, ex literis *Dav. Challeti* ad Abrahamum Musculum eruere & in lucem proferre juvat. Die octava mensis Octobris circiter undecimam horam ante meridianam pluebat hic satis largiter. Incepit postea fulgurare, & tonare satis leviter primò, dein & majore sonitu, tertiò cum fragore maximo, qui, ut possum conjicere, nebulam, quæ monti & urbi incumbebat, disrupit, & tantum aquæ pluviæ copiam demisit, ut diceres, catarrhactas cœli apertos, omnésque scaturigines è suis antris & locis abditis emissas. Mox, id est, intra sesqui horam aqua illa, sive fluviolus, qui medius hanc urbem secat, ita intumuit, & tantam copiam & struem lignorum maximorum cum pistrinis Valendinensibus importavit, ut primum castrum (catarrhacta est in editiori parte fluvii) & non procul illinc clibanum majorem cum ponte adjacente, cui imposita erat maxima lignorum strues à fumario diruerit. Hanc molem ligno-

rum

rum propter alveum fluvii ab aliis lignis obstructum, impetuosus aquæ furor in plateam pistrinorum deportavit. Alterum pontem, qui situs est in media urbe disturbârunt ligna. Item tertium, cui impositum erat macellum, & ædificia adhærentia cum turri maxima & antiquissima, ubi cogebatur Senatus, diruerunt, quæ ibi etiam fluvii alveum ita impediverunt, ut aqua cum maximo impetu circumquaque per plateas difflueret. Nihil præter voces & ejulatus audivisses. Inter alia accidit res miseranda & maximè lugubris. Mulier quædam incolens ædes proximas macello cum duobus liberis, aquis domum ipsius circumfluentibus & diruentibus, ad fenestras in anteriorem domus partem se recepit, & ibi prægnans cum charis pignoribus semidirutam & aquam appropinquantem, & mortem minitantem spectans, Domino animam suam & liberorum commendans, à turri est oppressa, nec dum inventa. Pons postremus lacui proximus novus & lapideus, sicut & cæteri disruptus ac dirutus est. Ligna illa maximũ damnum dederunt. Transversa enim liberum aquæ cursum remorabantur, & ita impediebant, ut aquæ per plateas pontibus adjacentes diffusæ jam superiorem partem portarum unicujusque domus occuparent, totasque inferiores ædium partes cum cellis vinariis & porticibus impleverit. Vidisses nonnullas mulieres & ancillas virósque ab ipsa violentia aquarum ex inopinato abripi & submergi, plurimi equi & vaccæ præsepibus alligatæ, non enim spatium dabatur illas solvendi, periere. Ex iis qui periere nonnulli sunt in-

ven-

venti & sepulti, reliqui sub ruinis adhuc latent. Plures ædes dirutæ, & ut verbo dicam, majorem calamitatem nunquam vidi: & si ipsemet spectator non fuissem, vix ex aliorum relatu credere possem. Quamvis autem maximum dederit damnum, quod quadraginta aut quinquaginta millibus coronatorum vix resarciri posset, tamen multum profecerimus, & nobis magno erit emolumento, si inde vitam in melius commutare didicerimus. Ita *Iuellus* ad Henr. Bull. Incredibilis fuit hoc anno toto apud nos cœli atri aëris intemperies. Nec Sol, nec Luna, nec hyems, nec ver, nec æstas, nec autumnus satisfecit officio suo. Ita affatim & penè sine intermissione pluit. Ex hac contagione nata sunt monstra, infantes fœdum in modum deformatis corporibus. Alii prorsus sine capitibus. Alii capitibus alienis. Alii trunci sine brachiis, sine tibiis, sine cruribus. Alii ossibus solis cohærentes prorsus sine ullis carnibus; quales ferè imagines mortis pingi solent. Similia, aliaque complura nata sunt è porcis, ex equabus, & vaccis, & gallinis. g. *Varii, insoliti nonnunquam, morbi.* 1. An. Ch. 1529. novum morbi genus Germaniam invasit. Sudore pestifero correpti homines, intra vigesimam quartam horam, aut exhalabant animam, aut, si virus exudassent, valetudinem paulatim recuperabant, & prius quàm de remedio constaret, multa perierunt millia. Malum hoc, inde ab Oceano, omnem propè Germaniam pervasit, brevissimo temporis spatio, & incredibili celeritate velut incendium aliquod longè latéque depascebat omnia: Vulgò dicitur *morbus*

Angli-

Anglicus: Nam Henrici VII. Britanniæ Regis, anno primo (non ergò planè fuit incognitus, ut scribit *Genebrar.* sed in Germania, &c.) qui fuit annus humanæ salutis 1486. eadem lues Insulam illam invasit, & quoniam in re nova remedium erat incognitum, ingentem hominum stragem edidit. Antverpiæ tridui spatio 400. aut 500. homines extinxit. *Eras.* Epist. lib. 26. Ep. 56. Languebant (*Paral. V sp.* pag. 473.) in domo una septem, octo, plures etiam. Miraculi loco habitum est, si unus mortem evasisset. Immunes erant pueri & senes ab hoc malo. Qui media ætate essent, aut non multò infra hanc, ii incidebant in morbum, prandentes, comessantes, dormientes corripiebat hæc pestis. Ditissimi negotiatores lectis affixi, Medicos ad se vocabant, montes aureos promittentes, si curarentur. Sed tantum erat malum, ut ipsi Medici faterentur, se nescire quid esset. Ipse vidi Euricium Cordum, Medicum Marpurgensem doctissimū, ad hunc morbum ἀδημονεῖν, expavescere & angi, nec dissimulare anxietatem apud amicos. Et *Pantal* ad an. Ch. 1562. Hisce diebus novus quoque & inusitatus morbus hincinde, ob hyemis præteritæ intemperantiam atque perpetuos austrinos ventos, homines invasit: Sanguis enim ater paulatim intra venas putrescens, malis vaporibus tantopere meatus cerebri affligebat, ut multi ad insaniam quasi redigerentur: cùm etiam per aliquot dies magnos cruciatus capitis sensissent, & ardor ille tandem cum mentis perturbatione desiisset, plerique decimo quarto die absumti sunt. 2. An. Ch. 1580. incidit lues Epidemia,

quæ totam ferme Europam est pervagata,& paulatim progressa, mense Iunio Siciliam: Iulio Romam, & vicinia Italiæ loca: Augusto Venetias & Constantinopolin: Septembri Germaniam & Vngariam: Octobri littoris Balthici urbes: Novembri & Decembri Daniam, Sueciam & Livoniam infestavit. *Buchh.chyt.calv.* qui morbū,ex catarrho præcipiti in pectus delapsum, die Schaff-franckheit appellat. 3. *Pestis.* An. Chr. 1502 Pestis ubique per Germaniam sæviit,& multa millia consumpsit; *Basel.* Add. An. Ch. 1580 Pestis in universa Peloponeso, & aliis terris Turcicis sæviit, ut vel in una civitate Hieropoli plus 70 millia consumta sint. *Geneb.* An.Chr.1552. Pestis in multis locis grassata est. *Buchh.* Et 1585. Pestis maximè grassata est Vratislaviæ Metropoli Silesiæ, Gorlitii in Lusatia,& in Bohemia. Idem accidit Basileæ, & in quibusdam Misniæ & Saxoniæ locis. Sequenti anno invasit Turciam,Vngariam & Austriam. *Ib.* An. Ch. 1593. mense Iunio, lues pestifera in Anglia grassari cœpit: & mensibus sequentibus in multam usque hyemem duravit; adeoque vehementer grassata est,ut multa hominum millia sustulerit. An. Chr. 1597. Pestilentis luis contagia in Palatinatu, Hassia, Thuringia & Saxonia inferiori, Lubecæ, Hamburgi, Brunschwigæ, Magdeburgi, Erfortiæ,& passim alibi atrociter grassata, multa hominum millia è medio sustulerunt. *Buchhol.* g. *Pluviæ prodigiosæ.* 1. *Sanguinis.* A.Ch.1501.& 1503. cruces sanguinolentæ per Germaniam apparuerunt. *Buchh. Bzov. Stumpf.* & *Bzov.* a. Ch. 1501. S. 23. ex literis Leodiensis

ensis Episcopi ad Maximilianum Imperatorem commemorat, *à festis Paschalibus, singulis diebus in uno vel alio loco diœcesis Leodiensis apparuisse publicè & inopinatè, aliquando in Ecclesiis, aliquando in plateis, aliquando in domibus, & in ipsis etiam cubiculis signum crucis, &c.* Addit. ex Trithemio, *quòd & anno superiori, & præsenti prædictæ cruces apparuerunt in linteis vestimentis hominum, in camisiis, in mensalibus, & linteaminibus, non solùm in his, quæ habebantur in usu, sed etiam in illis, quæ in cistis inclusa, nullum aëris influxum habere videbantur. In corporalibus quoque & pallis altarium & albis similiter multoties apparuerunt. In Sobenheim & Megsenheim primò visæ sunt cum maximo vulgi timore, & honore, tam subitò, quòd aliquando, dum Salve cantaretur in Ecclesia, XXX. homines cruces habuisse, quas priùs non habuerint, inventi fuerint. Post hæc apparuerunt in Creutzenach & villis circumjacentibus, deinde in Bingen, & in Moguntia, & consequenter in multis Alemaniæ locis. Erant autem cruces parvulæ varii ac confusi coloris, ac si pan-*

nus aliqua pinguedine mixti coloris esset intinctus, nec poterant qualibet lotione deleri, sed post diem nonum aut decimum per se deficientes evanuerunt. Has cruces magna pestilentia hominum in multis locis post biennium secuta est, quod & *Nicol. Basel.* observat, Add. ad Naucler. p. 105 a. 2. *Locustarum.* A. Ch. 1586. Constantinopoli nebula quædam obscura, mense Iunio, exorta fuit: qua desinente locustis pluit, quæ folia arborum, fructus & gramina undique absumserunt. *Leuncl.* in annal. Turcic. *Buchh.* His Germania etiam vexata fuit hospitibus. Referunt Historici, an. Chr. 1541. qui eum, quo confirmatus fuit Iesuitarum ordo, secutus est, in plurimis Europæ provinciis, incredibilem ingentium locustarum multitudinem exortam subitò fuisse. Hæ primò nullas habebant alas, sed magnos dabant saltus: paulò post quatuor adeptæ sunt, tantáque multitudine provolârunt, ut duo milliaria in longum & latum cubito tenus ita occuparent, ut Solis quoque splendorem à toto illo terræ spatio sua densitate excluderent. Dici non posse affirmant earum regionum incolæ, quantum damni dederint rebus humi nascentibus, vastantes & depascentes omnia ad radices usque. Transvolâsse ajunt aquas, arbores, ædes & obvia quæque; cúmque earum alæ succrevissent, fuisse humani digiti magnitudine, & tunc atrociùs multò grassatas in fruges, & ea quæ in usus hominum necessarios gignit terra: Tota æstate nulla vel vi, vel arte earum sævitiam retardari potuisse, sed in autumno demum coe-

cœlo frigescente extinctas esse, atro post se relicto semine, unde sequenti anno alii vermes orti sunt. Mortuos pecus edisse avidissimè, porcos inprimis, Lauren. Surius testatur in comment. suis Hist. qui se illis mirè farserint: credituinque tum fuit non absimiles extitisse illis Ægyptiacis, quarum mentio fit in Exodo *Hosp.* de orig. Monach. p. 293. b. *Buchholzerus* observat an. Chr. 1542. circa finem mensis Augusti magna agmina locustarum in Silesiam involâsse, quæ vagata sint tanto numero, ut cœli conspectum hominibus adimerent, & res terra natas depascerent; quæ tamen fortè cum superioribus sunt eædem. Tale quid in Austria evenisse, ex literis *Mart. Frechti* ad Ambrosium Blaurerum a Ch. 1544. d. 8. Septembris, colligo. *De locustis Austriam vexantibus, arbitror, pridem aliquid ad te relatum. Hodie contigit mihi unam videre & contrectare, quæ in agris Lintzicis vagata, & cum convolatili caterva vastationem molita fuit: perinde atque Monachi cucullam in dorso habet.*

h. *In cœlo non tantùm Eclipses notabiles Historici observant; sed & Chasmata atq; Φαινόμενα prodigiosa.* De *Eclipsibus* (hæ enim, etsi suas habeant causas naturales, diligenter tamen ab Historicis enarrari, & inter prodigia nonnunquam referri solent) ita loquitur *Sleid.* lib. 15. comment. Die 24. m. Ianuarii 1544. fuit magna Solis Eclipsis interdiu, sic ut ab omnibus non sine admiratione conspiceretur. Lu-

næ quoque tres hoc anno fuerunt Eclipses plenæ, res nimirum prodigiosa, & quam à Caroli Magni tempore non accidisse Physici dicunt. De *chasmatis* ita *Stumpfius* noster ad Abrah. Muscul. d. 30. August. 1591. Hesterna nocte circa horam nonam in cœli parte occidua ignitorum Chasmatum instar hastarum ostenta apud nos visa sunt. Huc pertinet rubea, planéque lugubris Solis facies de qua *christian. Vurstis.* ad Henr. VVolph. Petis autem amica satis præfatione, ut quid de rubra planeque lugubri Solis facie, quam penultima superioris mensis, una cum Halone rutilo, conspeximus, sentiam, quidve portendere videatur, aperiam. Etsi verò syderum vias hocce seculo in tanta disciplinarum luce homini studioso indagare non admodum sit difficile, de eorum tamen effectibus, inprimis signis portentosis, judicium ferre non esse nisi prudentis, quique diligenti observatione rerum eventibus intentissimâ curâ, animum adhibeat. Quod autem *φαινόμενον* istud attinet, mira certè & nos quoque rubedine, Martióque sanè colore, Solem imbutum spectavimus, simul etiam lividum atque pallentem, ut radii ejus oculos spectantium aliquandiu non perstrinxerint. Quod sanè si ad causas Physicas revocare velimus, haud quaquam deesse videbuntur. Præcesserant enim dies nebulosi, noctéque præcedente pluviæ multæ deciderunt, materiam vaporibus copiosam subministrantes: Sudum enim æthera toto eo die non vidimus, verùm albicantem fumisque veluti subductum, quos Martio colore, propter ejus Planetæ potentiam, qui in tri-

pli-

plicitate ignea, potenti aſpectu Lunam feriendo, conjunctione item cum regulo, conſtitutus item orientalis, inque domo diurna, materiam fortiter attraxit &c. Solem tinxiſſe, conjectare poſſimus, ſicut & fumoſas nubes rubere experientiâ edocemur. Vt autem tam iſthæc oſtenta ad communem modum revocare nequeo, ita ſi cauſas hujus nonnullas evidentes extitiſſe, diffiteri non poſſumus, quemadmodum omnibus ferè monſtris atq; portentis, aut ſaltem plerisque naturam cauſas ſuppeditare, uſu compertum habemus. Vt igitur natura in Meteororum generatione varia & admiranda exiſtit, adeó ut Phyſici in aliis exactas rationes, in aliis verò prorſus nullas proferre queant; ita nonnulla immediatè à Deo gubernari, ad feriendos mortalium animos, ſcimus. Vtrum verò ex ſiderum poſitu, ejusque Planetæ natura, qui hoſce vapores ſuo colore tinxit, cædes, bella, incendiaque prædicenda ſint, nihil pronuncio, ſed aliis divinandum relinquo. Scis equidem multò melius, optime VVolphi, quid poſt conſpectos hujusmodi Soles conſecutum ſit, inter quos utrum & rubentem hunc Solem collocare debeamus, piorum atque religioſorum hominum erit dijudicare. Equidem, cùm a. Ch. 1567. die 27. Iulii (id quod ipſe obſervavi, inque Diario meo annotavi) Sol veſperi ſanguineus occidiſſet, eundemque colorem Luna tota nocte ſervâſſet, ſequenti item die Sol pari modo cuncta ſanguine tingere videretur, eóque occidente infinitam globorum multitudinem (id quod D. Cœlius p.m. cum tota ſua familia conſpexiſſe narrave-

rat) per aërem spargeret, in Gallia alibique consequutum sit, latere te minimè potest. Totum hoc de rubente Sole Vurstisii judicium addere placuit, ut quid de Meteoris inusitatis, quibus tamen etiam suæ sunt causæ naturales, ne vel τὸ μᾶλλον sectemur vel ἧττον, sentiendum, ut sobriè sentiamus, videatur, discamus.

1. *Monstra.* An. Chr. 1507 Ravennæ natum fuerat monstrum, cornu in capite, alas habebat, brachia nulla, pedem unum, ut avis rapax, oculum in genu, sexum utrumque, in medio pectore ypsilon, & crucis effigiem. Aliqui interpretati sunt, cornu superbiam, alas levitatem & mentis inconstantiam; carentiam brachiorum, defectum bonorum operum: pedem rapacem, rapinam, usuram, & omnimodam avaritiam: oculum in genu solum ad res terrenas mentis deflexionem: utrumque sexum Sodomiam: Et propter hæc vitia Italiam sic nunc bellicis contritionibus quati: Ypsilon verò & crucem signa esse salutis: *Paral.Vrst.*p.440. Freibergæ natus est vitulus cucullatus, habitu Monachum referens: & Lansbergæ vitulus etiam Sacerdotis habitu insignitus. *Βζοϑ*.an.Ch.1523.S.12. *Hospin.*de orig.Monach.p.293. Circa adventum Iesuitarum monstrum marinum in Norvegia captum est mari procelloso. Id quotquot viderunt, statim ei nomen Monachi imposuerunt. Humana enim facie videbatur, sed rustica atque agresti, capite raso & lævi, humeros contegebat veluti Monachorum nostrorum cucullus. Pars infima in caudam latam desinebat: media multò erat latior, sagi militaris figu-

figura. Hanc effigiem Medico & Philoſopho incomparabili, D. Conrado Geſſnero Tigurino, dono miſit illuſtriſsima Margaretha, Navarræ regina, &c. Bellonius addit, nullam vocem edidiſſe, præterquam ſuſpiria quædam, ſummum mœrorem ac luctum referentia. Huic ſimile monſtrum in Gallico etiam Oceano prope Burdegalas, eodem ferè tempore captum quidam Gallus eidem Geſſnero ſcripſit. Homines in littore ambulantes hoc monſtrum libenter allicit, & coram eis ſuper aquas ludit: quòd ſi hominem admirantem appropinquare viderit, appropinquat etiam ipſum, & ſi qua poteſt ratione, hominem rapit & trahit in profundum, ut carnibus ejus ſatietur. Et quanquam, pleraque hæc prodigia, prodromi fuerint memorabilium eventuum; nunquam tamen certiora portendiſſe videntur, quàm à Reformationis tempore, quo belli religionis ergo ſuſcepti ſucceſſus non raró ex ejusmodi nuntiis æſtimari potuit. Videamus exemplum unum & alterum. Quid cladem illam, quâ Saxo victus & captus à Carolo fuerat, anteceſſerit, ex *sleid.* libr. 19. pag. 238. diſce: *Quo tempore Cæſar prope Miſenum acceſſit, quòd fuit Aprilis die 22. deinde, poſtridie, & eo die, quo flumine transmiſſo pugnavit, & aliquot pòſt diebus, Solis aſpectus valde fuit triſtis, obſcurus, pallidus, & veluti caligine quadam circumdatus, ita quidem ut plerique longiſſimè à Saxonia re-*

moti, & ignari quid ageretur, judicarent magni aliquid portendi: Nec enim in Germania solùm; sed per Galliam & Britanniam id fuit observatum. Ita, cùm a. Ch. 1558. mense Augusto inter Occasum & Septentrionem post occasum Solis visus esset Cometa, secuta sunt intra anni spatium funera Caroli V. Imperatoris, Mariæ & Leonoræ sororum ejus, Regis Daniæ, Ottonis Palatini Electoris, Henrici Galliarum Regis, Mariæ Reginæ Angliæ, & aliorum. *Haller.* Memorabilis cumprimis, & prodigiis celebris fuit annus Christi 1560. de quo *contin. Sleid.* pag. 362. *Hoc anno in regione Pedemontana Chirasci apparuit ignis in aëre per horas tres. Travillæ totidem horas sanguine pluit: Fosani tres Cometæ visi sunt: In planitie juxta Centalium maximus equitum numerus turmatim conspectus est: Caragnani animadversus est terræ motus tanquam quadrigæ sonantis. In Gallia quoque mense Decembri, quum Aureliæ essent procerum regni comitia, præsente rege visus est Cometa supra urbem per viginti octo dies, quibus comitia finiebantur. Vuiennæ, decimo tertio Decembris, terræ motus fuit, coruscationes, fulmina, tempestas omnino horrenda, adeò*

ut

ut templum divi Stephani fulmine tactum, atque cœlum passim ardere visum sit. Ejus generis quoque fuerunt duo exercitus in fine Novembris visi concurrentes in Polonia, quorum septentrionalis victor fuit. Eo etiam tempore in Prussia dicitur, sanguinem è cœlo in terram cecidisse, tanquam ignis favillas. In Ducatu VVittenbergico autem, non procul à Tubinga, subitò orta est vorago, vicesimo septimo Decembris, alta pedes triginta sex, lata viginti, circa planum terræ non amplior puteo communi, & ambitu rotundo, cujus aqua alta circiter novem pedes. Sequenti verò die apparuit ignis in aëre amplissimus paulò ante Solis ortum, per totam ferè Germaniam: In quibusdam locis longitudine occupabat quatuor aut quinque stadia, latitudine unum, aut paulò amplius, adeò ut multis in locis homines arbitrati sint incendium esse pagi aut civitatis. Aliquot etiam locis concurrerunt ad extinguendum ignem: Tandem nonnulli deprehenderunt non esse incendium domorum in ambitu terræ, quòd viderent sub flamma candorem. Meteoron hoc etiam observavit *Iohannes Hallerus*, Bernensis Ec-

clesi-

clesiastes,quod Diario suo his inseruit verbis: An. Chr.1560. die 28.Decembris hora integra ante consuetum Solis exortum, & auroram illucescentem,mirabile meteoron visum est per totam Helvetiam,& in aliis quoque locis,ardere cœlum inter Septentrionem & ortum,ita ut passim ferè per totam Helvetiam qualibet vicina loca existimârint ardere. Itaque magnæ fuerunt passim commotiones & discursiones, sed nihil inventum nisi ingens *καῦμα*. Hoc etiam non possum præterire,quod eadem nocte,qua cœlum ita rubere visum est, Tigurini templi turris altera, super quam vigiles agunt ita est concussa & tremefacta,ut rotulæ vitreę ex fenestris deciderent, & vigiles præ metu descendere coacti fuerint. Hæc habeo ex fratre meo (erat is D.*VVolphgangus Hallerus*, Collegii Carolini Præpositus) cui vigiles ipsi viri probi, talia narraverunt. Hæc omnia quas portenderint calamitates sequentium temporum Historia docet.

II. Hæc de *Natura*: *Politiæ* administratio in Imperio Germanico V. Augustorum decursu absolvitur.

Primus est *Maximilianus*, de quo superiori seculo egimus Obiit an.Ch.1519. II. *Carolus V.* Austriacus,Hispanorum Rex, electus a.D 1519.d.28.Iunii,ætatis 20.Francofurti. Pridie ejus diei,Electorum Senatus Imperium detulit Friderico Saxoniæ Electori,qua de re ita *Erasmus* in Epistolis libr.13. Epist.4. *Dux Saxoniæ Fridericus delatum sibi ab omnibus Imperium ingenti animo re-*

recusavit, ídque pridie quàm Carolus eligeretur. Mox igitur rogatus, quem censeret eligendum, negavit sibi quemquam alium videri tanti nominis oneri sustinendo parem, quàm Carolum: Ob hunc insignem animum à nostris (Caroli Legatis) *oblata 30. millia florenorum constantissimè rejecit. Cúmque urgeretur, tantùm 10. millia pateretur dari famulis. Accipiant, inquit, si velint; attamen nemo manebit postridie apud me; qui vel aureum acceperit: ac postridie conscensis equis subduxit sese, ne pergerent esse molesti. Hoc mihi, ut compertissimum, retulit Episcopus Leodicensis, qui Comitiis Imperialibus interfuit.* Historiam electionis Caroli V. habet Georgius Sabinus; Nos, ex *Archontol. cosmica* brevem Imperatorum hujus seculi dabimus prosopographiam. Bellum fecit Carolus V. Francisco I. Gallorum Regi, qui competitor ejus fuerat. Fœdus percussit cum Pontifice & Britannorum Rege: Cumque Carolum Borbonium in Italiam misisset, ut Antonio Levæ, qui Ticini obsidebatur, suppetias ferret, hique duo conjunxissent copias, acie conflixerunt cum Gallis, iisque victis Franciscum I. Regem cum multis viris illustribus ceperunt. Carolus facta pace Francisco Regi sororem suam Eleonoram nuptum dedit, postquam à captivo duos auri milliónes lytri nomine exegisset.

Hinc

ministrandis auxiliis ad defensionem regni Vngarici. Impetravit Maximilianus à Principib. 40000 peditum, octo equitum. Eodem anno, qui fuit 1566. Solimannus Turca cum exercitu, sexaginta millibus peditum, & infinito equitum numero constante, Danubium Dravumque amnes transgressus, cum spatio 14. dierum Istrum ponte stravisset stupendæ magnitudinis, & operis admirandi, Sigethum oppidum obsidione cinxit, ubi mortuus est Tyrannus sanguineo ventris fluxu. At Mahometes, primus purpuratorum, celato Solimanni interitu, continuataque obsidione, expugnavit oppidum, quæ jactura gravissima fuit, interfecto Comite Serinensi, & fortissimo quoque præsidiariorum, amisso insuper munitissimo castro cum circiter centum machinis bellicis majoribus. Post hæc de voluntate Imperatoris Archiepiscopus Moguntinus conventum Principum Fuldam indixit, ut in medium consuleretur de conservanda pace per Germaniam. Expiravit a.d. 12. Octobr. anno salutis 1576. cùm regnavisset annis 12. & sedecim liberos ex uxore sustulisset. V. *Rodolphus II.* Austriacus, Maximiliani filius natu maximus, non Imperium solùm; sed & regna Hungariæ, Bohemiæq; morte patris adeptus est. Imperator factus, cùm annum ageret 25. Turcica inprimis hunc agitaverunt bella, gravia illa quidem, & variante fortuna gesta. Tandem fatigata utraque parte induciæ factæ sunt, mense Novembri an. Chr. 1605. quæ utrinque hactenus servatæ sunt. Post hæc tempora magnæ mutationes rerum per Hungariam, Transsyl-

sylvaniamque acciderant, ut Rodolphus coactus fuerit Matthiæ fratri cedere Vngariæ regnum, cum Austriæ universo Ducatu, relicto Rodolpho Imperio cum regno Bohemiæ, qui mœrore obiit, expers liberorum a.d. 10. Febr. 1612. cùm regnâsset ann. 32. mens. 4. vixit annos 60.

Notandum autem, ἐπιμέτρου loco, variis seculo hoc Reipublicæ administrationem turbatam fuisse seditionibus. I. A. Ch. 1503 in agro Bruchsellano Spirensis Diœcesis, ex pago Vndergrünbach/ exorta fuit rebellio agricolarum, quorum articulos conjurationis fuisse sequentes, in Additionibus *Nicolai Baselii* ad Chronica Naucleri legimus p. 305. b. I. *Ut aucti numero, omne jugum servitutis excuterent, & Helvetiorum more armis libertatem sibi vendicarent.* II. *Admissus in hanc ligam Sotulariam, orationem Dominicam, & salutationem Virginis quinquies in die pro victoria flexis genibus oraret.* III. *Symbolum constituerant, quo se cognoscerent, Virginem Mariam, & Johannem Evangelistam. Item, ut interrogatus à socio Germanicè:* Was ist nun für ein wesen? *Responderet:* Wir mögen vor den Pfaffen nit genesen. IV. *Ut abolerent omnem Magistratum, & qui contra staret, ut hos trucidarent.* V. *Ut Bruchsellam op-*

quæ totam ferme Europam est pervagata, & paulatim progressa, mense Iunio Siciliam: Iulio Romam, & vicinia Italiæ loca: Augusto Venetias & Constantinopolin: Septembri Germaniam & Vngariam: Octobri littoris Balthici urbes: Novembri & Decembri Daniam, Sueciam & Livoniam infestavit. *Buchh.chyt.calv.* qui morbũ, ex catarrho præcipiti in pectus delapsum, die Schaff-franckheit appellat. 3. *Pestis.* An. Chr. 1502 Pestis ubique per Germaniam sæviit, & multa millia consumpsit; *Basel.* Add. An. Ch. 1580 Pestis in universa Peloponeso, & aliis terris Turcicis sæviit, ut vel in una civitate Hieropoli plus 70 millia consumta sint. *Geneb.* An.Chr.1552. Pestis in multis locis grassata est. *Buchh.* Et 1585. Pestis maximè grassata est Vratislaviæ Metropoli Silesiæ, Gorlitii in Lusatia, & in Bohemia. Idem accidit Basileæ, & in quibusdam Misniæ & Saxoniæ locis. Sequenti anno invasit Turciam, Vngariam & Austriam. *Ib.* An. Ch. 1593. mense Iunio, lues pestifera in Anglia grassari cœpit: & mensibus sequentibus in multam usque hyemem duravit: adeoque vehementer grassata est, ut multa hominum millia sustulerit. An. Chr. 1597. Pestilentis luis contagia in Palatinatu, Hassia, Thuringia & Saxonia inferiori, Lubecæ, Hamburgi, Brunschwigæ, Magdeburgi, Erfortiæ, & passim alibi atrociter grassata, multa hominum millia è medio sustulerunt. *Buchhol.* g. *Pluviæ prodigiosæ.* 1. *Sanguinis.* A.Ch.1501. & 1503. cruces sanguinolentæ per Germaniam apparuerunt. *Buchh. Bzov. Stumpf.* & *Bzov.* a. Ch. 1501, S. 23. ex literis Leodi-

ensis

ensis Episcopi ad Maximilianum Imperatorem commemorat, *à festis Paschalibus, singulis diebus in uno vel alio loco diœcesis Leodiensis apparuisse publicè & inopinatè, aliquando in Ecclesiis, aliquando in plateis, aliquando in domibus, & in ipsis etiam cubiculis signum crucis, &c.* Addit. ex Trithemio, *quòd & anno superiori, & præsenti prædictæ cruces apparuerunt in linteis vestimentis hominum, in camisiis, in mensalibus, & linteaminibus, non solùm in his, quæ habebantur in usu, sed etiam in illis, quæ in cistis inclusa, nullum aëris influxum habere videbantur. In corporalibus quoque & pallis altarium & albis similiter multoties apparuerunt. In Sobenheim & Megsenheim primò visæ sunt cum maximo vulgi timore, & honore, tam subitò, quòd aliquando, dum Salve cantaretur in Ecclesia, XXX. homines cruces habuisse, quas priùs non habuerint, inventi fuerint. Post hæc apparuerunt in Creutzenach & villis circumjacentibus, deinde in Bingen, & in Moguntia, & consequenter in multis Alemaniæ locis. Erant autem cruces parvulæ varii ac confusi coloris, ac si pan-*

nus aliqua pinguedine mixti coloris esset intinctus, nec poterant qualibet lotione deleri, sed post diem nonum aut decimum per se deficientes evanuerunt. Has cruces magna pestilentia hominum in multis locis post biennium secuta est, quod & *Nicol.Basel.* observat, Add. ad Naucler. p. 505 a. 2. *Locustarum.* A. Ch. 1586. Constantinopoli nebula quædam obscura, mense Iunio, exorta fuit: qua desinente locustis pluit, quæ folia arborum, fructus & gramina undique absumserunt. *Leuncl.* in annal. Turcic. *Buchh.* His Germania etiam vexata fuit hospitibus. Referunt Historici, an. Chr. 1541. qui eum, quo confirmatus fuit Iesuitarum ordo, secutus est, in plurimis Europæ provinciis, incredibilem ingentium locustarum multitudinem exortam subitò fuisse. Hæ primò nullas habebant alas, sed magnos dabant saltus: paulò post quatuor adeptæ sunt, tantáque multitudine provolârunt, ut duo milliaria in longum & latum cubito tenus ita occuparent, ut Solis quoque splendorem à toto illo terræ spatio sua densitate excluderent. Dici non posse affirmant earum regionum incolæ, quantum damni dederint rebus humi nascentibus, vastantes & depascentes omnia ad radices usque. Transvolâsse ajunt aquas, arbores, ædes & obvia quæque; cùmque earum alæ succrevissent, fuisse humani digiti magnitudine, & tunc atrociùs multò grassatas in fruges, & ea quæ in usus hominum necessarios gignit terra: Tota æstate nulla vel vi, vel arte earum sævitiam retardari potuisse, sed in autumno demum

coe-

cœlo frigescente extinctas esse, atro post se relicto semine, unde sequenti anno alii vermes orti sunt. Mortuos pecus edisse avidissimè, porcos inprimis, Lauren. Surius testatur in comment. suis Hist. qui se illis mirè farserint: credituḿque tum fuit non absimiles extitisse illis Ægyptiacis, quarum mentio fit in Exodo *Hosp.* de orig. Monach. p. 293. b. *Buchholzerus* observat an. Chr. 1542. circa finem mensis Augusti magna agmina locustarum in Silesiam involâsse, quæ vagata sint tanto numero, ut cœli conspectum hominibus adimerent, & res terra natas depascerent; quæ tamen fortè cum superioribus sunt eædem. Tale quid in Austria evenisse, ex literis *Mart. Frechti* ad Ambrosium Blaurerum a Ch. 1544. d. 8. Septembris, colligo. *De locustis Austriam vexantibus, arbitror, pridem aliquid ad te relatum. Hodie contigit mihi unam videre & contrectare, quæ in agris Lintzicis vagata, & cum convolatili caterva vastationem molita fuit: perinde atque Monachi cucullam in dorso habet.*

h. *In cœlo non tantùm Eclipses notabiles Historici observant; sed & Chasmata atq; Φαινόμενα prodigiosa.* De *Eclipsibus* (hæ enim, etsi suas habeant causas naturales, diligenter tamen ab Historicis enarrari, & inter prodigia nonnunquam referri solent) ita loquitur *Sleid.* lib. 15. comment. Die 24. m. Ianuarii 1544. fuit magna Solis Eclipsis interdiu, sic ut ab omnibus non sine admiratione conspiceretur. Lu-

næ quoque tres hoc anno fuerunt Eclipses plenæ, res nimirum prodigiosa, & quam à Caroli Magni tempore non accidisse Physici dicunt. De *Chasmatis* ita *Stumpfius* noster ad Abrah. Muscul. d. 30. August. 1591. Hesterna nocte circa horam nonam in cœli parte occidua ignitorum Chasmatum instar hastarum ostenta apud nos visa sunt. Huc pertinet rubea, planéque lugubris Solis facies de qua *Christian. Vurstis.* ad Henr. VVolph. Petis autem amica satis præfatione, ut quid de rubra planeque lugubri Solis facie, quam penultima superioris mensis, una cum Halone rutilo, conspeximus, sentiam, quidve portendere videatur, aperiam. Etsi verò syderum vias hocce seculo in tanta disciplinarum luce homini studioso indagare non admodum sit difficile, de eorum tamen effectibus, inprimis signis portentosis, judicium ferre non esse nisi prudentis, quique diligenti observatione rerum eventibus intentissimâ curâ, animum adhibeat. Quod autem *Φαινόμενον* istud attinet, mira certè & nos quoque rubedine, Martióque sanè colore, Solem imbutum spectavimus, simul etiam lividum atque pallentem, ut radii ejus oculos spectantium aliquandiu non perstrinxerint. Quod sanè si ad causas Physicas revocare velimus, haud quaquam deesse videbuntur. Præcesserant enim dies nebulosi, noctéque præcedente pluviæ multæ deciderunt, materiam vaporibus copiosam subministrantes: Sudum enim æthera toto eo die non vidimus, verùm albicantem fumisque veluti subductum, quos Martio colore, propter ejus Planetæ potentiam, qui in tripli-

plicitate ignea, potenti aſpectu Lunam feriendo, conjunctione item cum regulo, conſtitutus item orientalis, inque domo diurna, materiam fortiter attraxit &c. Solem tinxiſſe, conjectare poſsimus, ſicut & fumoſas nubes rubere experientiâ edocemur. Vt autem tam iſthæc oſtenta ad communem modum revocare nequeo, ita ſi cauſas hujus nonnullas evidentes extitiſſe, diffiteri non poſſumus, quemadmodum omnibus ferè monſtris atq; portentis, aut ſaltem plerisque naturam cauſas ſuppeditare, uſu compertum habemus. Vt igitur natura in Meteororum generatione varia & admiranda exiſtit, adeò ut Phyſici in aliis exactas rationes, in aliis verò prorſus nullas proferre queant; ita nonnulla immediatè à Deo gubernari, ad feriendos mortalium animos, ſcimus. Vtrum verò ex ſiderum poſitu, ejusque Planetæ natura, qui hoſce vapores ſuo colore tinxit, cædes, bella, incendiaque prædicenda ſint, nihil pronuncio, ſed aliis divinandum relinquo. Scis equidem multò melius, optime VVolphi, quid poſt conſpectos hujusmodi Soles conſecutum ſit, inter quos utrum & rubentem hunc Solem collocare debeamus, piorum atque religioſorum hominum erit dijudicare. Equidem, cùm a. Ch. 1567. die 27. Iulii (id quod ipſe obſervavi, inque Diario meo annotavi) Sol veſperi ſanguineus occidiſſet, eundemque colorem Luna tota nocte ſervâſſet, ſequenti item die Sol pari modo cuncta ſanguine tingere videretur, eòque occidente infinitam globorum multitudinem (id quod D. Cœlius p.m. cum tota ſua familia conſpexiſſe narrave-

rat) per aerem spargeret, in Gallia alibique consequutum sit, latere te minimè potest. Totum hoc de rubente Sole Vurstisii judicium addere placuit, ut quid de Meteoris inusitatis, quibus tamen etiam suæ sunt causæ naturales, ne vel τὸ μᾶλλον sectemur vel ἧττον, sentiendum, ut sobriè sentiamus, videatur, discamus.

1. *Monstra.* An. Chr. 1507 Ravennæ natum fuerat monstrum, cornu in capite, alas habebat, brachia nulla, pedem unum, ut avis rapax, oculum in genu, sexum utrumque, in medio pectore ypsilon, & crucis effigiem. Aliqui interpretati sunt, cornu superbiam, alas levitatem & mentis inconstantiam: carentiam brachiorum, defectum bonorum operum: pedem rapacem, rapinam, usuram, & omnimodam avaritiam: oculum in genu solum ad res terrenas mentis deflexionem: utrumque sexum Sodomiam: Et propter hæc vitia Italiam sic nunc bellicis contritionibus quati: Ypsilon verò & crucem signa esse salutis: *Paral. Vrst.* p. 440. Freibergæ natus est vitulus cucullatus, habitu Monachum referens: & Lansbergæ vitulus etiam Sacerdotis habitu insignitus. *Bzov.* an. Ch. 1523. S. 12. *Hospin.* de orig. Monach. p. 293. Circa adventum Iesuitarum monstrum marinum in Norvegia captum est mari procelloso. Id quotquot viderunt, statim ei nomen Monachi imposuerunt. Humana enim facie videbatur, sed rustica atque agresti, capite raso & lævi, humeros contegebat veluti Monachorum nostrorum cucullus. Pars infima in caudam latam desinebat: media multò erat latior, sagi militaris figu-

figura. Hanc effigiem Medico & Philosopho incomparabili, D. Conrado Gessnero Tigurino, dono misit illustrissima Margaretha, Navarræ regina, &c. Bellonius addit, nullam vocem edidisse, præterquam suspiria quædam, summum mœrorem ac luctum referentia. Huic simile monstrum in Gallico etiam Oceano prope Burdegalas, eodem ferè tempore captum quidam Gallus eidem Gessnero scripsit. Homines in littore ambulantes hoc monstrum libenter allicit, & coram eis super aquas ludit: quòd si hominem admirantem appropinquare viderit, appropinquat etiam ipsum, & si qua potest ratione, hominem rapit & trahit in profundum, ut carnibus ejus satietur. Et quanquam, pleraque hæc prodigia, prodromi fuerint memorabilium eventuum: nunquam tamen certiora portendisse videntur, quàm à Reformationis tempore, quo belli religionis ergo suscepti successus non raró ex ejusmodi nuntiis æstimari potuit. Videamus exemplum unum & alterum. Quid cladem illam, quâ Saxo victus & captus à Carolo fuerat, antecesserit, ex *Sleid.* libr. 19. pag. 238. disce: *Quo tempore Cæsar prope Misenum accessit, quòd fuit Aprilis die 22. deinde, postridie, & eo die, quo flumine transmisso pugnavit, & aliquot pòst diebus, Solis aspectus valde fuit tristis, obscurus, pallidus, & veluti caligine quadam circumdatus, ita quidem ut plerique longißimè à Saxonia re-*

moti, & ignari quid ageretur, judicarent magni aliquid portendi: Nec enim in Germania solùm; sed per Galliam & Britanniam id fuit observatum. Ita, cùm a. Ch. 1558. mense Augusto inter Occasum & Septentrionem post occasum Solis visus esset Cometa, secuta sunt intra anni spatium funera Caroli V. Imperatoris, Mariæ & Leonoræ sororum ejus, Regis Daniæ, Ottonis Palatini Electoris, Henrici Galliarum Regis, Mariæ Reginæ Angliæ, & aliorum. *Haller.* Memorabilis cumprimis, & prodigiis celebris fuit annus Christi 1560. de quo *contin. Sleid.* pag. 362. *Hoc anno in regione Pedemontana Chirasci apparuit ignis in aëre per horas tres. Travillæ totidem horas sanguine pluit: Fosani tres Cometæ visi sunt: In planitie juxta Centalium maximus equitum numerus turmatim conspectus est: Caragnani animadversus est terræ motus tanquam quadrigæ sonantis. In Gallia quoque mense Decembri, quum Aureliæ essent procerum regni comitia, præsente rege visus est Cometa supra urbem per viginti octo dies, quibus comitia finiebantur. Vuiennæ, decimo tertio Decembris, terræ motus fuit, coruscationes, fulmina, tempestas omnino horrenda, adeò*

ut

ut templum divi Stephani fulmine tactum, atque cœlum passim ardere visum sit. Ejus generis quoque fuerunt duo exercitus in fine Novembris visi concurrentes in Polonia, quorum septentrionalis victor fuit. Eo etiam tempore in Prussia dicitur, sanguinem è cœlo in terram cecidisse, tanquam ignis favillas. In Ducatu VVittenbergico autem, non procul à Tubinga, subitò orta est vorago, vicesimo septimo Decembris, alta pedes triginta sex, lata viginti, circa planum terræ non amplior puteo communi, & ambitu rotundo, cujus aqua alta circiter novem pedes. Sequenti verò die apparuit ignis in aëre amplissimus paulò ante Solis ortum, per totam ferè Germaniam: In quibusdam locis longitudine occupabat quatuor aut quinque stadia, latitudine unum, aut paulò amplius, adeò ut multis in locis homines arbitrati sint incendium esse pagi aut civitatis. Aliquot etiam locis concurrerunt ad extinguendum ignem: Tandem nonnulli deprehenderunt non esse incendium domorum in ambitu terræ, quòd viderent sub flamma candorem. Meteoron hoc etiam obſervavit *Iohannes Hallerus*, Bernenſis Ec-

clesi-

clesiastes, quod Diario suo his inseruit verbis: An. Chr. 1560. die 28. Decembris hora integra ante consuetum Solis exortum, & auroram illucescentem, mirabile meteoron visum est per totam Helvetiam, & in aliis quoque locis, ardere cœlum inter Septentrionem & ortum, ita ut passim ferè per totam Helvetiam qualibet vicina loca existimârint ardere. Itaque magnæ fuerunt passim commotiones & discursiones, sed nihil inventum nisi ingens *καῦμα*. Hoc etiam non possum præterire, quod eadem nocte, qua cœlum ita rubere visum est, Tigurini templi turris altera, super quam vigiles agunt, ita est concussa & tremefacta, ut rotulæ vitreę ex fenestris deciderent, & vigiles præ metu descendere coacti fuerint. Hæc habeo ex fratre meo (erat is D. *VVolphgangus Hallerus*, Collegii Carolini Præpositus) cui vigiles ipsi viri probi, talia narraverunt. Hæc omnia quas portenderint calamitates sequentium temporum Historia docet.

II. Hæc de *Natura*: *Politiæ* administratio in Imperio Germanico V. Augustorum decursu absolvitur.

Primus est *Maximilianus*, de quo superiori seculo egimus Obiit an. Ch. 1519. II. *Carolus V.* Austriacus, Hispanorum Rex, electus a. D 1519. d. 28. Iunii, ætatis 20. Francofurti. Pridie ejus diei, Electorum Senatus Imperium detulit Friderico Saxoniæ Electori, qua de re ita *Erasmus* in Epistolis libr. 13. Epist. 4. *Dux Saxoniæ Fridericus delatum sibi ab omnibus Imperium ingenti animo re-*

recusavit, ídque pridie quàm Carolus eligeretur. Mox igitur rogatus, quem censeret eligendum, negavit sibi quemquam alium videri tanti nominis oneri sustinendo parem, quàm Carolum: Ob hunc insignem animum à nostris (Caroli Legatis) *oblata 30. millia florenorum constantissimè rejecit. Cúmque urgeretur, tantùm 10. millia pateretur dari famulis. Accipiant, inquit, si velint; attamen nemo manebit postridie apud me; qui vel aureum acceperit: ac postridie conscensis equis subduxit sese, ne pergerent esse molesti. Hoc mihi, ut compertissimum, retulit Episcopus Leodicensis, qui Comitiis Imperialibus interfuit.* Historiam electionis Caroli V. habet Georgius Sabinus; Nos, ex *Archontol. Cosmica* brevem Imperatorum hujus seculi dabimus prosopographiam. Bellum fecit Carolus V. Francisco I. Gallorum Regi, qui competitor ejus fuerat. Fœdus percussit cum Pontifice & Britannorum Rege: Cumque Carolum Borbonium in Italiam misisset, ut Antonio Levæ, qui Ticini obsidebatur, suppetias ferret, hique duo conjunxissent copias, acie conflixerunt cum Gallis, iisque victis Franciscum I. Regem cum multis viris illustribus ceperunt. Carolus facta pace Francisco Regi sororem suam Eleonoram nuptum dedit, postquam à captivo duos auri milliones lytri nomine exegisset.

Hinc

Hinc reversus in Germaniam belli Turcici consilia agitavit, ut hostem imminentem Austriæ reprimeret. Sed Barbari, non expectato prælio, fugam arripuerunt, multis millibus desideratis. Principes Germaniæ Protestantes, cùm ei bellum intulissent, victi ab eo paulatim sunt. Cùm ingentes in Germania contraxisset copias, obsidione cinxit urbem Mediomatricum, ubi fortunam non ut antea propitiam invenit. Quindecim in universum à Iovio, Thuano, & aliis enarrantur bella, quæ gessit. Sub eo memorabilia illa acta Augustæ contigerunt, ubi Protestantes status Imperii obtulerunt ei confessionem Religionis suæ, quæ prælecta quidem, sed rejecta atque damnata fuit ab Imperatore, qui refutandam dederat Theologis suis: Damnationi subscripserant Electores V. Principes Ecclesiastici XXX. Seculares XXIII. Abbates XXII. Comites & Barones XXXIII. Civitates liberæ XXXIX. conscripta à Philippo Melanchthone, & ab eodem postea limata, & apologia addita fuit. Filio suo Philippo, cùm Mariam Angliæ reginam matrimonio junxisset, regnum Neapolitanum Siculumque donavit. Mirè vexatus cruciatibus podagricis, cessit omni regnorum suorum administratione, Imperio fratri relicto, quod contigit a. Ch. 1555. Inde Bruxellas profectus, inferioris Germaniæ populos in fidem Philippi jurare jussit, ipse in Hispania privatum sibi vitæ genus elegit, mortuusque est a. d. 21. Septemb. an Ch. 1558. cùm vixisset annos 57. mens. 8. dies 21. & annis 38. mens. 7. Imperator; annos autem 44. Rex Hispanorum fuisset. III. *Ferdinandus*

nandus I. qui abdicanti se Imperio fratri successit, salutatus jam antè & appellatus *Romanorum Rex*, Coloniæ mense Ianuario an. Chr. 1531. frustra reclamante & protestante Electore Saxoniæ. Duravit hæc controversia aliquot annis, ad extremum tamen sopita. At mortuo Carolo convenerunt Principes Electores solenniter, & Ferdinandum Regem, Imperatorem elegerunt, quod factum est an. Chr. 1558. Hic Gusmanum Hispanum Romam ablegavit, ut nuntiaret Pontifici suam electionem. Francofurti comitia habuit an. Ch. 1559. in quibus conciliatio religionum quæsita fuit. Anno verò 1561. Principes Germaniæ Protestantes Norimbergæ convenerunt, quibus præter spem supervenerunt duo Legati Pontificis, cohortantes eos, ut ad Concilium Tridentinum venirent, fore enim, ut audirentur. Cumque a. Ch. 1562. Imperator, Electores, cæterique Principes frequentes convenissent, elegerunt *Maximilianum II.* Ferdinandi filium Imperatorem, qui paulò ante in Bohemiæ Regem coronatus fuerat. Sumsit hic diadema Cæsareum magna celebritate & applausu populi. Mortuus est Ferdinandus Viennæ Austriæ a. d. 25. Iulii mensis, cùm vixisset annis 60. mens. 9. solus autem Imperio præfuisset annis 6. & 15, liberos ex uxore Anna Hungariæ Regina sustulisset. Sepultus Pragæ Metropoli Bohemorum. IV. ergo hujus seculi Imperator *Maximilianus* II. prima sua comitia an. Chr. 1564. patre mortuo Augustæ Vindelicorum habuit. Tractatum est hîc de bello Turcis pariter & Iohanni Dacorum regulo inferendo, deque submi-

miniſtrandis auxiliis ad defenſionem regni Vngarici. Impetravit Maximilianus à Principib. 40000 peditum, octo equitum. Eodem anno, qui fuit 1566. Solimannus Turca cum exercitu, ſexaginta millibus peditum, & infinito equitum numero conſtante, Danubium Dravumque amnes transgreſſus, cum ſpatio 14. dierum Iſtrum ponte ſtraviſſet ſtupendæ magnitudinis, & operis admirandi, Sigethum oppidum obſidione cinxit, ubi mortuus eſt Tyrannus ſanguineo ventris fluxu. At Mahometes, primus purpuratorum, celato Solimanni interitu, continuataque obſidione, expugnavit oppidum, quæ jactura graviſsima fuit, interfecto Comite Serinenſi, & fortiſsimo quoque præſidiariorum, amiſſo inſuper munitiſsimo caſtro cum circiter centum machinis bellicis majoribus. Poſt hæc de voluntate Imperatoris Archiepiſcopus Moguntinus conventum Principum Fuldam indixit, ut in medium conſuleretur de conſervanda pace per Germaniam. Expiravit a.d. 12. Octobr. anno ſalutis 1576. cùm regnaviſſet annis 12. & ſedecim liberos ex uxore ſuſtuliſſet. V. *Rodolphus II.* Auſtriacus, Maximiliani filius natu maximus, non Imperium ſolùm; ſed & regna Hungariæ, Bohemiæq; morte patris adeptus eſt. Imperator factus, cùm annum ageret 25. Turcica inprimis hunc agitaverunt bella, gravia illa quidem, & variante fortuna geſta. Tandem fatigata utraque parte induciæ factæ ſunt, menſe Novembri an. Chr. 1605. quæ utrinque hactenus ſervatæ ſunt. Poſt hæc tempora magnæ mutationes rerum per Hungariam, Transſyl-

ſylvaniamque acciderunt, ut Rodolphus coactus fuerit Matthiæ fratri cedere Vngariæ regnum, cum Auſtriæ univerſo Ducatu, relicto Rodolpho Imperio cum regno Bohemiæ, qui mœrore obiit, expers liberorum a.d. 10. Febr. 1612. cùm regnâſſet ann. 32. menſ. 4. vixit annos 60.

Notandum autem, ἐπιμέτρȣ loco, variis ſeculo hoc Reipublicæ adminiſtrationem turbatam fuiſſe ſeditionibus. I. A. Ch. 1503. in agro Bruchſellano Spirenſis Diœceſis, ex pago Undergrümbach/ exorta fuit rebellio agricolarum, quorum articulos conjurationis fuiſſe ſequentes, in Additionibus *Nicolai Baſelii* ad Chronica Naucleri legimus p. 305. b. I. *Ut aucti numero, omne jugum ſervitutis excuterent, & Helvetiorum more armis libertatem ſibi vendicarent.* II. *Admiſſus in hanc ligam Sotulariam, orationem Dominicam, & ſalutationem Virginis quinquies in die pro victoria flexis genibus oraret.* III. *Symbolum conſtituerant, quo ſe cognoſcerent, Virginem Mariam, & Johannem Evangeliſtam. Item, ut interrogatus à ſocio Germanicè:* Was iſt nun für ein weſen? *Responderet:* Wir mögen vor den Pfaffen nit geneſen. IV. *Ut abolerent omnem Magiſtratum, & qui contra ſtaret, ut hos trucidarent.* V. *Ut Bruchſellam op-*

pidum invaderent, mox Marchionatum Badensem. VI. *Ut bona Monasteriorum, & Ecclesiarum, & Clericorum invaderent, & inter se dividerent, & numerum talium imminuerent.* VII. *Ut ultra horas 24. in nullo loco moram traherent, sed pergerent semper, donec omnia sua contributioni subjicerent.* VIII. *Spes eos bona habebat, libertatis amore cives & rusticos, etiam non compulsos, sibi facilimè adhæsuros.* IX. *Ut extinctis Monasteriis & Ecclesiis nulli census & decimas solverent, nec Principibus, Nobilibus aut Clero. Ita immunes futuri à vectigalibus, & omni tributorum genere &c.* X. *Ut venationes, piscationes, pascua, nemora, & id genus alia in communitatem revocarentur, nec Principum aut Nobilium privatis usibus deservirent.* Hæc temeraria consilia non potuerunt stabilire, quare pœnas dederunt, expositi cruciatibus & morti: Nam & Maximilianus Rex, suo mandato jussit in eos animadverti; *Paral.Ursp.* p.437.

2. An.Ch.1524. mense Ianuario, Hagæ Comitis in Hollandia mulieres seditionem excitárunt ob vectigalium portoriorum exactionem, contra publicanos. *Id.* p.460. quod & Erfordiæ eadem de causa acci-

accidit a. Ch. 1509. & Spiræ 1512. teste *Nicol. Basel.* addit. ad Naucl.

5. *Bellum, seu seditio Rusticorum*, quę in a. Ch. 1525. incidit: Sed hæc commodiùs alio loco proponetur. Id modò obiter monemus, malè gnaros Historiarum esse, qui hunc vertiginis spiritum Reformatę religioni impingunt, quasi illa, parere nescia, Magistratibus & superioribus obsequium detrectaret. Nesciunt, ante Reformationem omnia turbarum & seditionum fuisse plena? Nesciunt, emergente paulatim Evangelii luce, inter ejusdem fidei Principes, Proceres, Magistratus dissidia orta & alta fuisse? *Inter hæc*, scribit *Bzov.* a. Ch. 1521. S. 11. *ubique etiam per Europam tumultuatum sive bellatum. Hispani, sicuti Austrii, Vascones contra Carolum Regem: Ipse Carolus non omnino bene animatus in Gallum. Pannones inter se Proceres: Albertus Marchio Brandenburgicus & milites Mariani contra Sigismundum Poloniæ Regem.* Vnde auth. *Paral. Vrsp.* p. 461. *Qui cœlesti Christi Philosophiæ, quæ gratuito* Domini *favore his annis Germaniæ annunciatur, ut super inenarrabili Dei muneri nemo satis gratias agere possit, imputare velit, quod ab hac δὶς διὰ πασῶν distat, ille sanè mihi toto cœlo errare videtur, & in Catalogum eorũ referendus, qui, Ter-*

Tertulliani tempore, ad odii in Christianos
defensionem prætexebant illam quoque va-
nitatem,quòd existimabant omnis publicæ
cladis,omnis popularis incommodi, Christi-
anos causam esse. Si Tiberis ascendit in mœnia,
si Nilus non ascendit in arva, si cœlum stetit, si ter-
ra movit, si fames, si lues, statim Christianus ad leo-
nem acclamatur. Oro hîc vos, qui filium Dei con-
culcatis, qui tantam negligitis salutem, quæ cùm
primum enarrari cæperit per ipsum Dominum,
his temporibus per prædicationem nobis commit-
titur, ante Tiberium, id est, ante Christi adventum,
quantæ clades orbem & urbem ceciderunt? Legi-
mus Hierapolin, & Delon, & Rhodon, & Con In-
sulas multis cum millibus hominum pessum abiis-
se. Memorat & *Plato* majorem Asiæ & Africæ ter-
ram Atlantico mari ereptam. Sed & mare Corin-
thium terræ motus ebibit, & vis undarum Luca-
niam, Italiæ abscissam, in Siciliæ nomen relegavit.
Hæc utique non sine injuria incolentium accidere
potuerunt. Vbi tunc Evangelium? Sed nec Tuscia,
nec Campania de Christianis querebantur, dum
Vulsinios de cœlo, Pompejos de suo monte profu-
dit ignis. Nemo adhuc Romæ Deum verum ado-
rabat, cùm Annibal apud Cannas, per Romanos
annulos, cædes suas modio metiebatur. *Seditio-*
nes auditæ sunt in Germania, in Ungaria,
Carnis & paulò pòst in Sicilia &c. cùm nec
natus esset Lutherus, aut alii, qui hac ætate
do-

docent, veritatis & publicæ utilitatis amore. Et si quis excutiat veterum annales, reperiet plerasque seditiones, ex immodicis exactionibus ortas fuisse. Quid vel in una Gandavensium civitate longo temporum fluxu fuerit observatum, paucis proponit *Sleid.* an. Chr. 1540. l. 13. pag. 149. *Dum hæc geruntur, Cæsar animadvertit in Gandavenses, & seditionis authores capite plectit, & ablatis armis, cùm privilegia & beneficia ipsis omnia ademisset, arcem ibi construit, & præsidium in capite ac cervicibus illorum collocat. Frequens autem est ei civitati, suis ut Principibus resistat. Fuit hoc in Carolo Burgundo, Cæsaris proavo, in Philippo abavo, in Ludovico Flandriæ comite, Philippi proavo materno: quos omnes hic Cæsar ultus esse videtur: Nec enim unquam ita repressi fuerunt, ut in hoc tempore.* Percurre, si placet, unam annorum Decuriam in Additionibus *Bασelianis*, & sentinam habebis discordiarum etiam initio seculi, cùm omnium adhuc cogitationes in sacrorum mutatione teperent & torperent. Habes ibi Iohannem de *Elz* contra *Trevirensem Ecclesiam*; *Spirenses* contra quoslibet contradicentes suæ Ligæ, quam vocabant. *Maximilianum, Fridericum Brandenburgensem Marchionem*, aliosque contra *Philippum*

Palatinum, Ruperti Ducis, quem Socer ejus, Georgius Bavariæ Princeps, hæredem constituerat, patrem. Cruenta fuerunt hæc bella, & Ruperto ita fatalia, ut, cùm videret omnia Mandrabuli more succedere, nimio dolori & tristitiæ indulgens, vivere desierit. Habes moventem *Maximilianum* in rebelles Vngaros. Eundem in *Venetos*, (qui, ut loquitur *Basil.* *cum Ludovico Rege Gallorum contra Maximilianum & Germanorum Regnum atq; Principes fœdus conspirationis percusserunt*) bellum decernentem; *Erfurdienses* contra Magistratum adeò tumultuantes, ut ne Antistitum quidem authoritas fervorem civium reprimere potuerit: *Spirenses*, qui rationem etiam vectigalium, quibus nimiùm se onerari querebantur, à Magistratu poscebant. *Maximilianum* & Henricum Anglorum Regem cum *Ludovico* Gallo collatis signis pugnantes: Bavariæ Duces dissidentes, &c. Hanc, inquam, unam percurre Decuriam, & desines Religioni reformatæ seditionum venenatam radicem exprobrare.

SECTIO II.
DE
ECCLESIA ORIENTALI.

Ecclesia Orientalis, etsi; Turcico ubique ferè [a] jugo pressa, diversisque Pa-

[b] Patriarchalibus sedibus distincta, & ipsa inter se [c] divisa fuerit, & errorum [d] monstris exercita; luculentas tamen multis in locis [e] purioris doctrinæ retinuit stricturas. Et ut major Græcis [f] Ecclesiis, ex Reformatione, veritatis accessit lux; ita quæ de consensu [g] Orientalium, & infenso eorum in nostros animo Pontificii jactant, aut [h] falsa sunt, aut [i] incerta, aut [K] particularia potiùs quàm universalia, aut parùm vel [l] diuturna, vel [m] honesta, aut denique [n] à consensu legitimo aliena.

[a] Græca præsertim, quæ Patriarchatum majori, quàm ante hac, redimere coacta fuit πρoχειρίω; Nam cùm an. Ch. 1522. Constantinopoli iterum lis de eligendo Patriarcha fuisset orta, & alter alterum in offerendo honorario superare conaretur, tributum auctum est, & excrevit ad 4000. ducatorum, præter 500. ducatos, qui honorarii loco initiò offerebantur. *Crus. calvis.* Postea an. Ch. 1557. alio, eandem ob causam, ex orto dissidio, Solimanus eò rem deduci jussit, ut Patriarcha non tantùm quot annis Imperatori Turcico penderet tributi nomine quatuor mille & centum ducatos, sed honorarii etiam loco tria millia Ducatorum, cùm antea quingentos tantum dedissent. Decessit tamen aliquid huic Patriarchæ tributo an. Chr. 1564. Nam in

2000. Ducatis Imperator acquiescere voluit; ita tamen, ut non tantùm novus Patriarcha hoc persolveret, sed idem etiam novo cuique Imperatori: tantundem ferè Basis etiam munerum loco offerre cogebatur. *Crus.*

[*b*] Cujusmodi sunt 1. sedes *Constantinopolitana*, ad quam pertinuerunt Ecclesiæ per Græciam, Mysiam & Bulgariam, Thraciam, VValachiam, Moldaviam, Russiam, Moscoviam, Insulas Ægei maris, & Asiam minorem. 2. *Alexandrina*, cui parebant Cophthi & Æthiopes Ejus sedes hodie est Kahira. 3. *Antiochena*, ad quam Syri spectant. 4. *Hierosolymitana*. 5. *Moscovitica*. Suberant quidem Moscovitæ, Constantinopolitano Patriarchæ; hoc verò seculo sub Duce Basilio M. suum quoque elegerunt Patriarcham, à Constantinopolitano irritati. Mittit tamen in signum pristini moris & subjectionis Moscorum Imperator Constantinopolitano Patriarchæ quotannis, sed quasi eleemosynam, quingentos aureos. Duo ei subsunt Metropolitæ, Novogardiensis & Rostoviensis, his alii Episcopi. Dogmatum tamen consensus utrinque constantissimè servatur, si Russorum distributionem Eucharistiæ, & exactionem conjugii à Presbyteris & Diaconis exceperis: *Brerev.* scrut. Relig. cap 9. b. *Seleuciensis*, cujus authoritatem sibi hodie arrogat Patriarcha Mauzolæ (hanc Seleuciam potiùs Parthorum quàm Bagdadum esse vult. *Brere.* c. 10.) in Mesopotamia. Hic quintū olim, post Patriarchas, occupans locum, Chaldæorum summus Episcopus, *Catholicus* appellari solet: *Hornbeck.* Sum. Controv. p. 875.

p. 875. *Iacelich* illi vocant, & à ritibus Ecclesiæ Romanæ longè abeunt. *Brerevv.* l. c. Nestoriani aliâs sunt, maximam orientis partem occupantes.

[*c*] Certum enim est 1. *Armenos & Georgianos*, à S. Georgio communiter quidem; sed vitiosè dictos, mutuo ita flagrare odio, ut hi suos jubeant: *Siquis vestrum habeat spinam in pede fixam, transiens ante Armenorum Ecclesiam, debet spinam sustinere, nec se ad pedem suum evellendi causâ inclinare, ne per hoc videatur ante Armenorum Ecclesiam, ab omnibus Christianis vilipendendam, inclinare*; referente, ex *Thoma à Iesu*, Hornbeck. Sum̃a Controv. l. XI. p, 883. 2. Nec melius convenire inter *Græcos & Armenos*, scribit *Varenius*, referens, *Græcos cum Armenis vel cibum capere, vel ex eodem bibere poculo nolle*. Rogatus etiam Iohannes, Cypri Episcopus, à Constantino Cabasila Dyrrachii Archiepiscopo, de tolerandis Armenis, & permittendis iis templis, ita respondet: *Ab initio quidem indultum est, ut in Christianorum regionibus & civitatibus diversæ linguæ & religionis homines habitarent, ut puta Judæi, Armeni, Ismaelitæ, Agareni, & alÿ ejusmodi, non promiscuè tamen; sed seorsim. Unde etiam harum tribuum cuiq; intra civitatem, vel extra, loci determinantur, ut*

his circumscribantur, nec ulteriùs eorum habitationes extendantur. Illud autē à veteribus Principibus excogitatum est, tribus,ut opinor,de causis. Una quidem ut habitationis angustiis & definitione, sensum capiant,se propter hæresin rejiciendos judicari. Alia autem, ut propter frequentem cum Christianis consuetudinem, paulatim ad mutationem convertantur,si non omnes, aliqui saltem, quos salus dilexerit. Tertia etiam, ut industriæ ipsorum fructus referant,qui iis ad vitam opus habent. Armeni ergo, si quo loco circumscripti sunt,templa ædificant, & faciunt quæ ad hæresin ipsorum pertinent, extra calumniam manent. Idē enim Judæis licet,& Ismaëlitis,qui Christianicas civitates incolunt. Quòd si definitæ sibi habitationis egrediuntur terminos, non ipsi tantùm prohibebuntur,sed & ædificia eorum, qualiacunque fuerint, diruentur. Indulgentiam enim talium & licentiam jam pridem amiserunt. Extat inter *responsa Patriarch.* T.III. juris Græco-Latini. Vides pari ferè loco cum Iudæis & Agarenis haberi Armenos. 3. *Moscovitas* à *Græcis* abivisse, jam passim monuimus. Vbi tamen notandum, maluisse alios, à

con-

convitiis abstineri, & Syncretismo Christianos inter se coalescere omnes. Ægrè certè tulit *Zaga Zabo* Abyssinus, infensos Occidentalium in Orientales animos. *Indignum est*, inquiebat, *peregrinos Christianos tam acriter & hostiliter reprehendi, ut ego de hac re & de aliis, quæ minimè ad veram fidem spectabant, reprehensus fui. Sed multò consultius erit, hujusmodi Christianos homines sive Græcos, sive Armenios, sive Aethiopes, sive ex quavis septem Ecclesiarum Christianarum in charitate & Christi amplexibus sustinere, eos sine contumeliis permittere inter alios fratres Christianos vivere & versari, quoniam omnes filii baptismi sumus. Nec est causa cur tam acriter de ceremoniis disceptetur, nisi ut unusquisque suas observet sine odio & insectatione aliorum, nec commerciis Ecclesiæ ob id excludendus est, si peregrè in alienis provinciis domesticos ritus observet.*

[d] Sive enim omnia, sive quædam (quod quidem verisimilius est) vera sint, quæ de Græcorum, Armenorum, Abyssinorum, Coptitarum, Chaldæorum, Georgianorum, aliorumque Orientalium dogmatibus commemorantur & sacris: satis ubiq; errorum: Ita tamen ut alii minus, magis alii & pericu-

riculosiùs hallucinentur. De *Græcis* repeti potest Catalogus, superiori seculo p.19. contextus. Confer Sum. Controv. *HornbeK*. pag. 808. *Armeni*, qui duos, postquam ἀποκοπῇ Constantinopolitanæ se subduxerunt, Patriarchas seu Catholicos, alterum Armeniæ majoris, alterum minoris, elegerunt, plerorumque sententiâ, *Iacobitæ*, (quorum hæresin sub diversis titulis per 40. regna sparsam, fama est. *Brerevv. Scrut*. c. 12.) sunt, vel *Eutychiani*. Hinc *Niconis* scriptum de pessima religione Armenorum, quod reperitur apud *Balsam*. in Can. Ep. p. 1097. Alii tamen meliora de ipsis sperant, parùm hoc loco Græcorum tribuentes judicio. Horum ζύμψηφοι habentur *Abyßini*, (Iacobitas esse certum est) suo quidem parentes Catholico, quem *Abuna* appellant; sed & Alexandrino Patriarchæ (neque enim alius à Monachis S. Antonii Hierosolymis degentibus eligitur Patriarcha, quàm qui Alexandrini superioritatem agnoscit, *Brerevv*. c. 14.) multum deferentes. Eadem & *Coptorum* ratio est. Rogatus *Tecla Maria*, Abyssinus Presbyter, *an à Coptis Abyßini discreparent*, respondet: *Nullam esse differentiam inter eos, & in omnibus rebus concordare. Esse etiam sub ejusdem Patriarchæ Imperio*. *Chaldæi*, ut audivimus, Nestoriani sunt, quibus & Indi Christiani, quos communiter *S. Thomæ Christianos* appellant, favent. Vide *Scrut. Brerevv*. c. 11. *Gregoriani* præter Græcorum errores alia miscuerunt figmenta. Nam nec infantes ante

ante octavum annum baptizant, nec ante 40. vel 60. id est, illam ætatem, quâ ad rapinas inepti redduntur, nobiles imprimis templa ingrediuntur, sed Liturgiam foris audiunt. Id. c. 8.

[e] Plerosque orientales παπποπομάστιγας καὶ παπποσυγῶντας hoc etiam Seculo fuisse, quis ignorat? Non in ritibus tantùm, quod *Leo Allatius* in consensu suo Orientalium cum Occidentalibus urget: sed & cumprimis in negato Papæ primatu, quem errorem in Papatu errare periculosum valde est. Et GRÆCI quidem (quos idem *Allatius* temere nimis; Schismatica quippe per 500. fuit habita años, vide *Brerevv. Scrut.* Relig. c. 6. & nonnunquam planè hæretica: cum Latina conglutinare, & sub idem Papismi regimen revocare studet) 1. Vocem Papæ in explicatione Script. S. non audiunt. 2. Virtutem & efficaciam Ministerii à Ministro non suspendunt. 3 Græci in Liturgia & administratione sacræ Cœnæ profitentur, sacrificium non propitiatorium, expiatorium, satisfactorium pro peccatis vivorum & mortuorum, sed tantùm mysticum, recordativum, commemorativum, Eucharisticum pro redemtione generis humani, per unicam Christi victoriam semel parta. 4. Sacram Eucharistiam sub utraque specie, pane videlicet azymo, & vino, licet aqua diluto, participant. 5. Græci nullum ejusmodi igneum Purgatorium credunt, in quo animæ defunctorum detentæ, cruciatu & tormentis, à peccatorum venialium sordibus eluantur, donec absolutè expiatæ, in sedes cœlestes recipiantur. Nullam ejusmodi pro defunctis oratio-

nem

nem credunt, qua animas à tormentis velint liberare; sed Eucharisticam, quà gratias Deo agunt pro animabus ab ergastulo carnis liberatis: qua item corporis resurrectionem & plenam gloriæ cœlestis perfruitionem sperent indubitató 7. Nullas Indulgentias auro argentóque redimendas pro peccatis. 8. Sculptilia ad usum religiosum non prostituunt. 9. Confessionem singulorum peccatorum secretam & auricularem non usurpant. 10. Episcopis & Pastoribus conjugio non planè interdicunt. 11. Sacra Ecclesiastica non nisi linguà vernaculâ administrant. 12. Romani Pontificis Hierarchiam & præeminentiam, ceu supremi omnium Ecclesiarum capitis, in causis divinis & Politicis aversantur, & detestantur. Atque hæc quidem, aphoristicè nunc proposita; fusiùs illustrantur tum ab aliis, *Davide Chytræo*, Resp. ad Ant. Possev. criminat, Tom. 5. Doct. Ies. *Edvardo Brerevv*, Scrut. Relig. c. 6. *Ioh. Iacobo Huldrico* de Relig. Græcor. tum in *Confess. Cyrillis*, à nobis edita. Quid *Hieremias*, seculi hujus Constantinopolitanus Patriarcha, dederit, mox audiemus. *Russi*, Moscorum Duci subditi, horrent quàm maximè Romanorum unionem, & nisi ferente necessitate, iis cum comedere, celebrare minimè sustinent. Qua de re Epistola *Iohannis* cujusdam Metropolitæ Russi, ad Archiepiscopum, ut ipsi dicunt, Romanum, ejusque Canones apud *Bzov*. an Chr. 1514. S. 16. & *Sigismundum Baronem*; cujus & hæc, p. 12. verba sunt: *Nulli homini infensior Moscus*, *quàm*

quàm summo Pontifici, quem nonnisi Doctoris titulo dignatur. ABYSSINI, in quàm multis à Pontificiis abeant, notârunt ipsi Pontificii. *Licèt reverentiam aliquam Romano Pontifici exhibeant, non firmiter sentiunt de primatu Romanæ Ecclesiæ,* inquit *Thomas à Iesu.* Idemque: *De sacramento confirmationis, neq; extremæ unctionis non invenio apud AEthiopum scriptores expressam aliquam mentionem. Credunt, animas infantium decedentium ante baptismum eo solùm salvari, quia orti sunt à parentibus fidelibus.* Præterea traditiones sanctas non admittunt, solùmque verbo Dei scripto fidem dicunt se habere, ut *Alvaresius* c.78. Nullas pro defunctis oblationes habent, nec sacra faciunt pro vivis, fortè, vel quia existimant illis non prodesse, aut quia Purgatorium cum Græcis non agnoscunt. Ministratúrque Eucharistia etiam Laicis sub utraque specie. Hæc *Thomas à Iesu, Monachus Carmelita.* Confer *Bzov.* an. Chr. 1514 S. 19. & *Scrut. Brere.* c. 14 Ipse Davidis, Imperatoris Æthiopum Legatus, *Christophorus Licanatus,* Patri à Linguâ Zaga Zabus, scribit: *Sacramentum Eucharistiæ non servatur apud nos in templis, ut fit hic apud Europæos. Nec in ministerio Sacramentum Eucharistiæ ostenditur, ut hic video fieri. Monachis non li-*

cèt

cèt vicatim mendicare, nec à plebe aliquid eleemosynarum extorquere. Et nullam pro remissione animarum facimus Missam. Præterea constitutum est à sanctis Apostolis in Synodorum libris, Clericis uxores licere ducere. Vide ipsam Confessionem integram apud *Bzov.*an.Chr.1524.S.33. Pontificios autem adeò execrantur, ut referat *Maffæus Hist. Ind.* lib. ult. *quòd quando, suasu Regis Abyssinorum, Patriarcha disputaturus esset cum Jesuita Rhoterigio, id non solum abnuerit, dicens, nullum sibi cum hæreticis sermonis commercium esse; sed Regi etiam graviter interminatus fuerit, si legere scripta illorũ pergeret.* MELCITARVM (qui sub jurisdictione vivunt Archiepiscopi Damasceni, qui Patriarchæ Antiocheni titulum gerit, quem Maronitarum quoque & Iacobitarum Patriarchæ summut, sed renitentibus cæteris Syris, Orthodoxis. *Brerevv.* Scrut.rel. cap.7.) dogmata Pontificiis contraria, dedimus in *Hist. Oriental.* pag. 234. ARMENI, ne ipsis quidem negantibus Pontificiis, *imagines & crucem non tantùm non adorant; sed & adorantes anathemate feriunt.* Negant, *verum Christi corpus realiter in Sacramento Eucharistiæ sub panis; & sanguinem sub vini specie contineri. Præterea etiam Sacramentis*

tis virtutem conferendi gratiam abjudicant Rursus, sic vinum in calice apponunt, ut nullam penitus misceant aquam, eam asserentes minimè miscendam esse. Negant in nuptiis contrahendis aliquod esse Sacramentum; asseverantes, illam maris & fœminæ indissolubilem conjunctionem non esse Sacramentum, neque per illam aliquam gratiá conferri conjunctis. Dicunt etiam, esse aliqua peccata ita prorsus irremissibilia, ut à nullo sacerdote remitti possint. Asserunt præterea, nullum esse purgatorium locũ, in quo animę ab hac luce migrantes purgentur à sordibus, quas in corpore contraxerant, antequam in æterna tabernacula recipi mereantur. Item, beatos Essentiam Dei non videre, sed claritatem quandam illius Essentiæ, in qua visione asserunt supremam constare beatitudinem. Diem Natalis Domini nesciunt, nullaque festa nec vigilias custodiunt, nec quatuor tempora noverunt: Et in Sabbatho, & in Dominica carnes comedunt. Rebaptizant eos, qui jam semel baptisma susceperunt in Ecclesia Romana, dicentes in ea non esse verum baptisma, propterea quod apud Latinos non esse veram & Catholicam Ecclesiam affirment, sed solum penes ipsos. Hæc (plura enim occurrunt in *Scrut. Brerevv.* c. 15.) ex *Nicone, Prateolo, Thoma à Iesu*, Armeniorum adversariis: *Hornbek.* Sum. Controv. lib. XI. p. 881. GEORGIANORUM religio substantiâ quidem cum Græca convenit, proprium tamen habent Metropolitam, cui XVIII. Episcopi parent, qnique in Monasterio S. Catharinæ in monte Sinai habitat. *Brerevv. Scrut.*

relig.c.8. IACOBITÆ per Cyprum, Mesopotamiam, Babyloniam & Palæstinam CLXM. vel ut alii LM familiis occupantes; contra Papam & Papistas; 1.peccata soli Deo plerumque,raro sacerdotibus confitentur, ita ut multi absque confessione auriculari communicent. 2. Nec Purgatorium nec preces pro mortuis admittunt. 3. Sacerdotibus uxores ducere concedunt. *Brerevv. Scrut.* cap. 12. COPTITÆ à regione potiùs quàm religione sic dicti, ut cum Iacobitis, quo ad dogma de unitate naturæ Christi, Damasceno teste, facere dicuntur; Ita à Pontificiis abeunt,dum 1. Euchariſtiam sub utraque specie exhibent. 2. Ægrotis nec Euchariſtiam nec extremam unctionem conferunt. 3. Nec purgatorium, nec preces pro defunctis admittunt. 4. Sacramentum non elevant. 5. Ecclesiam Romanam hæreseos damnant, & Latinorum communionem non minùs quàm judæorum vetant. *Id.*c.13. Maronitas eósque inter Orientales, Indos si exceperis, Romanę Ecclesię, solos, tempore Clementis VIII. accessisse non negant nostri: vide *Scrut.Brerevv.*cap.16 antea tamen & Monothelitas fuisse,& Pontificia dogmata praxi refutâsse, habet Idem.

[*f*] *Iosephus*, *Patriarcha Constantinopolitanus*, Demetrium, Ecclesiæ suæ Diaconum, VVittenbergam misit,ut in Ecclesiæ statum inquireret. Hic per semestre spatium VVittenbergæ commoratus, a.Ch.1559. cùm domum rediisset, Græcum confessionis Augustanæ exemplar, à Melanchthone conscriptum, sub nomine *Pauli Bolscii* ad Patriarcham

chaim suum retulit. Meminit illius *Melanchth. in Epist. ad Bordingum*: *Mitto tibi interpretationem Græcam confessionis, sine meo consilio editam. Proba tamen phrasin, ac misi Constantinopolin per virum doctum, qui ibi Diaconi officio fungitur, & tota æstate noster hospes fuit, ac narravit, multas adhuc Ecclesias in Asia, & in Thracia, & vicinis regionibus esse; sed paulatim propter servitutis ærumnas diminui frequentiam.* De hac Ecclesiarum Orthodoxarum in Oriente ὑπάρξει, aliisque ad rem præsentem facientibus, ipse quoque *Melanchthon* agit, Epistolâ Græcâ ad Constantinopolitanum Patriarcham scriptâ, quæ ita sonat: Εὖ πράττειν. Ἀεὶ μὲν ἡ ἐκκλησία θεοῦ ἐν τούτῳ τῷ βίῳ ὥσπερ πλοῖον ἐν κύμασιν, ἐν πολλαῖς θλίψεσι χειμάζεται, νυνὶ δὲ ἐν ὑστέρῳ τοῦ κόσμου γήρᾳ μᾶλλον ταράττεται ἢ πάλαι. ὅπερ ὁρῶντες πολλάκις στενάζοντες εὐχόμεθα τὸν υἱὸν θεοῦ κριτὴν ἁπάντων ἀνθρώπων, ὅτι τάχιστα ἐλθεῖν θελαμβούσαντα καὶ σύμπασαν ἐκκλησίαν προσάξοντα εἰς τὴν φανερὸν ἀιδίου πατρὸς συνήθειαν, ὅπου ἐν πᾶσι μακαρίοις θεὸς πάντα ἔσεται. Τὰς δυστυχίας οὖν κοινὰς ἀποδυρομένων ἡμῶν ἡ τοῦ Δημητρίου διήγησις παραμύθιόν τι συνέμιξε λέγοντες, ὅτι θαυμαστῶς ἔτι σώζει ὁ θεὸς ἐκκλη-

σίαν οὐκ ὀλίγην ἐν τῇ Θράκῃ, καὶ Ἀσίᾳ, καὶ Ἑλλά-
δι, ὥσπερ πάλαι τρεῖς ἄνδρας ἐν φλογὶ χαλ-
δαικῇ σέσωκε. Τοιγαροῦν εὐχαριστοῦμεν τῷ ἀλη-
θεῖ θεῷ πατρὶ τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὅτι κραταιᾷ χει-
ρὶ ἐν τοσούτῳ πλήθει ἀσεβῶν καὶ θεοστυγῶν ἐχ-
θρῶν σώζει ποίμνιον αὐτοῦ, ὃ τὸν υἱὸν αὐτοῦ Ἰησοῦν
Χριστὸν ὀρθῶς τιμᾷ καὶ ἐπικαλεῖται, καὶ δεόμε-
θα πανταχοῦ συλλέγεσθαι καὶ συγκροτέεσθαι ἁγίας
ἐκκλησίας. Ἑώρακε δὲ αὐτὸς Δημήτριος ἡμε-
τέρας συνάξεις, καὶ τῆς διδασκαλίας ἀκροατὴς
ἐγένετο. Διηγήσεσθαι οὖν δυνήσεται, ὅτι εὐσεβῶς
τὰς ἁγίας γραφὰς προφητικάς τε καὶ ἀποστολι-
κάς, καὶ τῶν ἁγίων συνόδων κανόνα περὶ δογ-
μάτων, καὶ ὑμετέρων πατέρων διδασκαλίαν τοῦ
Εἰρηναίου, Ἀθανασίου, Βασιλείου, Γρηγορίου, Ἐπι-
φανίου, Θεοδωρήτου, καὶ ὁμονοούντων τούτοις τηροῦ-
μεν. Τὰς δὲ παλαιὰς βδελυρίας τοῦ Σαμοσα-
τέως καὶ Μανιχαίων, καὶ μαωμήτων καὶ πάν-
των καταράτων, οὓς ἀποδοκιμάζει ἡ ἁγία ἐκ-
κλησία διαῤῥήδην ἀποβδελυττόμεθα, καὶ δι-
δάσκομεν, θεοσέβειαν εἶναι τὴν ἀληθῆ πίστιν, καὶ
ὑπακοὴν τὴν κατὰ νόμους θεοῦ ἡμῖν ἐπιταχθέν-
τας οὐ δεισιδαιμονίας ἢ ἐθελοθρησκείας, ἃς
ἀπαίδευτοι τῶν Λατίνων μόναχοι εὑρήκασιν ἔξω
ἐντολῶν θεοῦ. δεόμεθα οὖν μὴ πιστεύειν ὑμᾶς σο-
φοὺς

φὺς ἄνδρας ταῖς διαβολαῖς, ἃς πλάττουσι καθ' ἡμῶν ἐχθροί τινες τῆς ἀληθείας, ἀλλὰ κατὰ φυσικόν τε καὶ θεῖον νόμον ὁμοίως, ἀμφοῖν ἀκροᾶσθαι καὶ ἀληθείᾳ καὶ τῷ νόμῳ θεοῦ συνηγορεῖν, ὥσπερ οἴδατε τοῦτο ἔργον λατρείας εἶναι θεῷ μάλιστα ἀρέσκουσαν. ἔρρωσο, σεβασμιώτατε πάτερ. ἐν τῇ Σαξονίᾳ, ἔτει α.φ.ν.θ. Facilia ſunt, nec proinde Interpretationis ullius indiga. Sed & aliud ἀποσπασμάτιον inter Epiſtolas *Blaurerianas* reperi ἀνέκδοτον, quod; vel Theodori Bibliandri, vel alterius manus ſcriptum, ex relatione *Nicolai Hemmingii*, ita habet: Ante biennium, hoc eſt, anno 1557. fuit hic Hafniæ vir ſenex & gravis, miſſus à Conſtantinopolitano Patriarcha, *Demetrius* nomine, natione Theſſalonicenſis, qui mihi narravit multa de religione Chriſtianorum inter Turcas degentium. Et quia in nobiliſsima illa civitate *Kairo*, quæ & *Mizrim* dicitur, vixerat decennium, ejus Eccleſiæ ritum *ex Arabia translatum* in celebranda Miſſa mihi expoſuit; Cujus narrationem hoc pacto diſtinxi.

1. Habent in Kairo Chriſtiani multa templa, omnia inſignita luna falcata, quæ eſt Turcicum inſigne; ſed ſine campanis (humana enim voce convocantur ad ſacra) & ſine Idolis: Niſi quòd picturas hiſtoricas

ex Veteri & Novo Testamento in parietibus templorum habeant depictas.

2. Antiochenus Pastor, est illorum Patriarcha: qui ut agnoscatur Patriarcha esse, pileum latum (in cujus medio est crux rubra) sui muneris insigne in capite gestat.

3. Quatuor vicibus in anno, die Nativitatis Domini, die Resurrectionis, die Pentecostes, & XV. Augusti communicant omnes Christiani, qui illic sunt, sub utraq; specie. Non est discrimen laici & Sacerdotis, sed eadem Mysteria porriguntur utrisq;.

4. Missæ celebratio hoc modo fit. Sacerdos induit albam & pallium, nostro ferè more. Nisi quòd rubras cruces quatuor habeat in veste Sacerdotali, in dextero brachio unam, in sinistro alteram, in pectore tertiam, quartam in dorso, ut quocunq; se vertat, insignia summi sacerdotis contemplanda exhibeat.

5. Sacerdos ita in sacrario ornatus prodit, & mox ad populum conversus, verba hæc alta voce, ut exaudiri possit ab omnibus, qui adsunt, pronunciat: εὐλογημένη ἡ βασιλεία τοῦ πατρὸς, τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος.

τος, καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, hoc est; Benedictum regnum Patris, & Filii, & Spiritus Sancti & semper, & in secula seculorum. Et respondet totus populus Ἀμήν, Amen.

6. Huic Confessioni mox precationem subjungit ad Trinitatem, ad quam totus populus Amen respondet.

7. Finita precatione, canitur à populo; Ἅγιος ὁ θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος: ἐλέησον ἡμᾶς, i. e. Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis; Miserere nostri.

8. Huic lectioni subjungitur lectio ex scripturis Apostolicis primum Græcè, deinde & Arabice. Quia plerique Christiani, qui illic sunt ex Arabia translati sunt. Canitur Halleluja postea.

9. Evangelium legitur Græcè, deinde Arabicé.

10. Finito Evangelio canitur à toto cætu carmen, quod Cherubim vocant.

11. Carmine Cherubim finito fit concio à summo ministro, idque ferè ad horam.

12. Nunquam illa concio se ultra horam extendit.

13. Finita concione recitantur cœnæ ver-

ba, in ipso suggestu, idq; tantùm in quatuor festis.

14. Reversus à suggestu ad mensam, quæ in medio templo sita est, ad populum se convertit Sacerdos, hæc verba pronuncians : πᾶσα δόσις ἀγαθὴ, καὶ πᾶν δώρημα τέλειον ἄνωθέν ἐστι, καταβαῖνον ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων.

15. Sacerdos distribuens Sacramenta cœnæ, singulos communicantium hisce verbis alloquitur. λάβε χάριν παρὰ κυρίου, καὶ ἐλεημοσύνην παρὰ θεοῦ σωτῆρος ἡμῶν.

16. Ad hæc respondet qui accipit Sacra Cœnæ Mysteria: Τοῦ δείπνου σου, τοῦ μυστηρίου υἱὲ θεοῦ κοινωνόν με παράλαβε. οὐ μὴ γὰρ σὲ ἀρνήσω, οὐδὲ φίλημά σοι δώσω, καθάπερ ὁ Ἰούδας. Ἀλλὰ ὡς ὁ λῃστὴς ὁμολογῶ σε. μνήσθητί μου κύριε ἐν τῇ βασιλείᾳ σου: *Hoc est*, Cœnæ Tuæ mysticæ, fili Dei, fac me hodie, participem. Nequaquam enim te negabo, nec osculum dabo ut Iudas : sed veluti latro te confitebor. Memento mei Domine in regno tuo.

17. Nihil canitur inter communicandum, sed omnes spectatores singulari devotione meditantur hæc sacra mysteria.

18. Communicatione finita additur gratiarum actio cum precatione. Et vertens se

se ad populum Minister in hunc modum benedicit populo: ἡ εὐλογία τοῦ κυρίου ἐφ᾽ ὑμῖν; *Et respondet cœtus, Amen.*

Hæc de Missa retulit Demetrius, quæ quater in anno celebratur. Verùm in quotidianis conventibus hunc morem habere Christianos. Omnium primùm orditur Sacerdos à benedictione, ut in Missa. 2. Fiunt preces publicæ. Recitatur aliqua lectio ex Sacris literis: & fit brevis Concio. 3. Distribuitur precibus finitis, sine vino, panis. Hunc panem dicunt, non esse corpus Domini; sed tantùm dari in signum mutuæ fraternitatis, ut hoc Symbolo admoniti ipsorum animi coalescant, qui de eodem pane participant. 4. Percepto hoc pane, populus, cum hac benedictione, ἡ εὐλογία κυρίου ἐφ᾽ ὑμᾶς *dimittitur.* Iosephum secutus est *Ieremias*, cujus commercium Epistolicum cum Tubingensibus, ἐργοδιώκταις Stephano Gerlachio, & Martino Crusio, ab an Ch. 1574 ad 1581. Græcè & Latinè extat. Hic, quamvis suum cum Tubingensibus publicè testatus sit consensum, in sequentibus: ἕνα μὲν τῇ οὐσίᾳ τὸν θεὸν εἶναι τρισυπόστατον δὲ τοῖς προσώποις: καὶ συναϊδίους εἶναι τὰς τρεῖς ὑποστάσεις.

Ἀσπαστέον εἶναι τὸ ἅγιον σύμβολον ἀποστολικὸν, ὡς ἐπιτομὴν ὂν τῆς Χριστιανικῆς πίστεως ἀπηκριβωμένην. τὸν θεὸν οὐκ εἶναι ἁμαρτίας αἴτιον. ἀλλὰ τόν τε Διάβολον, καὶ τὸ ἀνθρώπινον θέλημα. τὸν Χριστὸν ὑπὲρ πασῶν τῶν ἁμαρτιῶν τὸ ἱκανὸν ἀποτίσαι· οὐ μόνον τῆς προπατορικῆς, ἀλλὰ καὶ τῶν πρακτικῶν. τοῖς ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν μετανοοῦσιν, αὐτῶν γίνεσθαι ἄφεσιν πασῶν. Ἀρετὴν διὰ καλῶν ἔργων πράξεως, ὡς ἐπιμελέστατα συζητέον εἶναι. τὴν ἐκκλησιαστικὴν διακονίαν πρὸς οἰκοδομὴν τῆς ἐκκλησίας ἀναγκαίαν εἶναι. τοὺς τῇ ἐκκλησίᾳ ὑπηρετοῦντας, δι' ὃ πεπίστευνται ἔργον, διὰ τιμῆς ἑκτέον. κἂν ὁ βίος αὐτῶν ἀσθένειαν τινα νοσήσῃ ἀνθρωπίνην. Ἐὰν μέντοιγε ψευδῆ διδάξωσιν: οὐκ ἀνεκτέους εἶναι. οὐχὶ ἐκ τῆς ἀξίας, ἢ τῆς καλοκαγαθίας, τοῦ Διακόνου, τὸ δὲ καὶ τὴν δύναμιν κρέμασθαι: μόνον ἐὰν μὴ ἡμαρτημένην διδάξῃ διδαχὴν. οὐ πρὸς τῶν ὑπηρετῶν τοῦ λόγου εἶναι, γνώμην ἐν τοῖς πολιτικοῖς καὶ κεφαλικοῖς πράγμασιν ἀποφαίνεσθαι, ἢ πολέμους μεταχειρίζεσθαι. τοῖς τῇ ἐκκλησίᾳ διακονοῦσιν, οὐχ ἁπαξαπλῶς τὸ γαμεῖν ἀπαγορευτέον. Μηδενὶ συγχωρητέον μὴ νομίμως κληθέντα ἄτλειν ἐπὶ τὸ ἐν ἐκκλησίᾳ διδάσκειν, ἢ τὰ ἅγια διαχειρίζειν. Ἀνάγκης μέντοι προπεσούσης, καὶ τοῖς λαϊκοῖς

Βαπ-

βαπτίζειν ἐξεῖναι. τὸ βάπτισμα παλιγγενεσίας λουτρὸν εἶναι. βαπτιστέον τὰ νήπια, καὶ ἀναμένοντας ἁδροτέραν ἡλικίαν. Διὰ τῆς κοινωνίας, εἴτου τοῦ κυριακοῦ δείπνου, συνάπτεσθαι ἡμᾶς, καὶ ἑνίζεσθαι τῷ κυρίῳ. ἅτε τὴν αὐτοῦ σάρκα καὶ τὸ αἷμα ἀληθῶς ἐν αὐτῇ μεταλαμβάνοντας. τῷ τοῦ κυρίου δείπνῳ ὑφ' ἑκατέρῳ τῷ εἴδει χρηστέον. τὰς ἐν τῇ τῆς πρεσβυτέρας ῥώμης ἐκκλησίᾳ, καὶ ἰδίαις ἐπὶ κέρδει λειτουργουμένας λειτουργίας, ἀθετητέον. Ἀλλὰ μὴν καὶ τὴν τῶν οἰομένων πέρας ἔσεσθαί ποτε τῶν τοὺς ἀσεβεῖς τιμωρησομένων κολάσεων ἀποδιωκτέον γνώμην. τήν τε γὰρ τῶν εὐσεβησάντων μισθαποδοσίαν, καὶ τὰς τῶν ἀσεβησάντων τιμωρίας, αἰωνίους μετὰ τὴν νυνὶ ζωὴν ἔσεσθαι πιστεύομεν. Ταῦτα μὲν πάντα τῇ χάριτι θεοῦ ὁμολογουμένως συμφωνοῦμεν; i.e. *Unum esse Deum, Essentia: & eundem trinum, in Personis: ac tres illas Personas esse coæternas. Amplectendum esse Symbolum Apostolicum, tanquam compendium absolutissimum Christianæ Religionis. Deum non esse authorem peccati; sed Diabolum & voluntatem hominis. Christum satis fecisse pro omnibus peccatis, non modò pro originali, sed etiam pro actualibus. Pænitentiam agentes consequi remissio-*

sionem omnium peccatorum. Bona opera esse quam diligentissimè facienda. Ministerium Ecclesiasticum esse ad ædificationem Ecclesiæ necessarium. Ministros Ecclesiæ, propter officium, cui præsunt, esse in honore habendos: etiam si in ipsorum vita sit aliquid infirmitatis humanæ: si tamen falsa doceant non audiendos. Non pendere virtutem & efficaciam ex dignitate vel probitate Ministri modò non erret in doctrina. Ministrorum Ecclesiæ officium non esse, sententias in politicis & capitalibus causis pronunciare, aut bella gerere. Ministris Ecclesiæ non omnino & simpliciter Matrimonium interdicendum. Nemini concedendũ, ut sine legitima vocatione sibi sumat officium in Ecclesia docendi, aut administrandi Sacramenta: In casu tamen necessitatis Laicos rectè etiam baptizare posse. Baptismum esse lavacrum, per quod regeneremur. Baptizandos esse infantes, nec adultiorem ætatem esse expectandam. Communionem seu Cœnam Domini, coadunare nos Domino: quippe in qua carnem & sanguinem ejus verè participemus. Cœna Domini sub

utraque specie utendum. Missas Romanæ Ecclesiæ privatas, ad quæstum celebratas, esse rejiciendas. Eorum etiam sententiam damnandam, qui opinantur finem aliquando pœnarum fore, quæ impiis sunt decretæ. Piorum enim præmia, & impiorum supplicia fore post hanc vitam æterna. In his, Dei beneficio, partibus, est inter nos indubius consensus: Hæc, inquam, etsi larga utrinque concessa fuerint, manu; quia tamen manifestus utrobique erat dissensus a. *de processione Spiritus Sancti.* b. *Libero arbitrio.* c. *Justitia fidei, & bonis operibus.* d. *Numero Sacramentorum:* e. *Sanctorum invocatione:* f. *Vita Monstica*; Vnio omnimoda non potuit obtineri, sed amicitia; quam constanter servare paratos se esse Tubingenses, ultrò spondent sub finem resp. 3 ad respons. tertium. *Quod superest*, scribunt, *commendamus vestram sanctitatem DEO Opt. Max. & ex nostra parte parati sumus amicitiam, quam vobiscum inivimus, porrò etiam constanter conservare: & vestræ sanctitati optima ac felicissima quæque ex animo precamur: & quidem hoc imprimis, ut Spiritus Sanctus omnes actiones sanctitatis*

tatis vestræ ad nominis divini gloriam & ad salutem Ecclesiæ suæ dirigat, Amen. Hac utinam æquitatis lege cum iis egissent Tubingenses, quibus propiùs illi accedunt!

Pergimus ad *Meletium*, de quo *Scaliger* in Epistolis p. 349. Fuit Alexandrinæ & Constantinopolitanæ sedis Antistes. Virum pium Scaliger appellat, qui cùm adhuc esset *πρωτοσύγκελλος Σιλβέστρου πατριάρχου Ἀλεξανδρείας*, Reginæ Navarrenæ pixidem gemmis instructam cum Epistola misit, quâ Basilii, Chrysostomi, Nazianzeni exemplaria, quæ aliunde habere non poterat, mitti sibi, petiit. *Hic Latinos*, (scribit *Allat.* de Consens. perpet. Oriental. cum Occidental. lib. 3. c. 7: S. 11.) *acriter insectatus est. Inter. alia 1. scripsit plures Epistolas ad Gnesem Basilium, Ruthenos, Chios, Græcos, qui Poloniam & Russiam incolunt, quibus conatur Latinorum dogmata de primatu Pontificis Romani aliaque convellere. 2. Prostat ipsius Catechesis ad Græcos, forma Dialogi, Græcè conscripta. 3. Tractatus alius, de iisdem rebus ad Gabrielem Severum, Philadelphiensem Episcopum.* Ex hoc tempore majorem lucem Orientales quoque Ecclesię habere cæperunt. *Primò* enim ipsi etiam Græci ad Reformatos, pro unione impetranda, mittebantur. An. Chr. 1595. ad

ad Torunensem Synodum, in qua Syncretismus Reformatorum cum Lutheranis ante 15. annos Sendomiriæ initus confirmabatur, destinata fuit legatio ab Illustr. Domino Constantino Duce ab Ostrog. Palatino Kijoviensi, Græcæ religioni addicto, officia amicitiæ Ecclesiis Evangelicis offerente, & cum iis nomine suo ac suorum conjunctionem in vera religione expetente, satis honorificè missa, & per Legatum præsentem Dominum Kasparum Luszkovium expedita. II. *Meletius*, Hebraicè, Syriacè, & Arabicè peritus, quàm propenso fuerit animo in Ecclesias reformatas, ostendit a. quòd quando impostores aliqui Græci a. Ch. 1595. ficto nomine Patriarchæ Alexandrini, Gabrielis, Confessionem Romæ ad placitum Papę edidissent, fraude cognita, tale quid de Alexandrinis, se (non Gabriele Patriarcha) inscio, spargi, qui ab illiusmodi Confessione, vel subjectione Papæ Romano factâ, erat alienissimus. Quæ attingit *Thuanus* lib. CXIV. & plenius ex literis Iunioris Douzæ ad Ianum Douzam patrem, constant. b. Idem probatum ivit literis ad Hypatium Pociey, Russiæ primatem a. Ch. 1599. & Sigismundum III. Poloniæ Regem scriptis a. Ch. 1600. quo Alexandrinus adhuc fuit Patriarcha, super negotio unionis cum Romana Ecclesia initæ, à Russo-Græcis aliquibus regno Polonię subditis, invitis quamvis & reclamantibus aliis: *Perspiceret Majestas Tua, Nos, cum Majoribus nostris, non ignorare (quem precaris ut agnoscamus) Romanum Ponti-*

fi-

ficem (id quod sese ipse autumat) Pontificem scil. Romanum, veluti & Constantinopolitanum Pontificem, Pontificem Constantinopolitanum, cæterósque Apostolicarum sedium Pontifices, cæterarum certarúmque sedium Apostolicarum Pontifices. Qui non unus omnium, sed inter omnes, & ipse unus &c. Unum universale caput, quòd cùm D.N. Jesus Christus sit, alius esse non possit, nisi biceps aliquod sit corpus, aut potius monstrum corporis. Perspiceres, Rex Serenissime (ut interim de Concilio illo Florentino, veluti de re silentio digna, taceam) non Nos è Patriis tum Orientalium, tum Occidentalium dogmatibus, traditionibúsque, quæ per septem universalia Concilia Nobis consignârunt, atque obsignârunt, egressos. Illos egressos, qui novitatibus in dies delectātur.

c. Nostrates de eo arctiùs sibi devinciendo cogitârunt. Cùm enim an. Ch. 1599. d. 15. Maji inter Evangelicos, id est; juxta consensum Sendomiriensem, Augustanos, Bohemos, Reformatos, conventus Vilnæ Polonorum haberetur ad Syncretismum inter Evangelicos Europæos, & Græcos vel Russos non unitos (duum quippe generum Russi sunt; alii unionem cum Romanis sequuntur; horrent eam alii; de quibus *Auctor Hist. Eccles. Sclavon. l. IV.*) in

ineundum scriptum ea de re à nostris ad Meletium his verbis: *Nobis cumprimis in votis est, ut cum iis quoque coalescamus, qui à nobis remotiores, Pontifici Romano jamdudum nuntio remisso, puriori doctrinæ favent. Et licèt locis disjuncti, pietatis professione & Religione propius ad nos accedunt. Qualem quidem semper putavimus esse Ecclesiam Orientalem in Græcia, & inter ejusdem nobiscum linguæ homines in Moscovia, in Russia, & in Lituania, cui non sine insigni laude R.P.V. tempestate nostra præesse scimus. Quamobrem etiam hoc summopere expetimus, ut data occasione cum R.P.V. de religionis negotio agamus, & rationem, qua cœtus nostri orthodoxi Vestris Ecclesiis per sanctam in Jesu Christo consensionem uniri, & arctiore quodam charitatis vinculo in posterum conglutinari possent, collatis sententiis ineamus. Unde etiam cùm ad nos crebris nuntiis rumor is delatus esset, quosdam harum regionum Antistites vestrates, qui antea soliti sunt in omnibus suffragiis R.P.V. accedere, eique obedire, observantiæ jugo excusso Pontifici Romano,*

itinere ad ipsum sat longinquo suscepto obedientiam, fidelitatem & subjectionem omnem, idque nomine omnium Ecclesiarum Græcarum religionem in Poloniæ regno profitentium (sed falsò, utpote insciis plerisque, multis contradicentibus & invitis) permisisse, seq. ei addixisse, doluimus sanè pro eo, ac debuimus ipsos à puriori doctrina ad pessimos errores & jugum Antichristi descivisse. Quia verò tum professio nostra Christiana, tum pericula undique imminentia Nobis suadent, ut cum vestris Græcis Ecclesiis, quarum non exiguum numerum oræ Lituanicæ & Ruthenicæ continent, pacem foveamus, & concordiam colamus: de *eo imprimis R.P.V. cum Reverendissimo Patriarcha Alexandriæ compellandam, & ab eo consilium, piámq. operam petendam existimavimus: ut si qua ratione fieri possit, sublatis omnibus, quæ ab Evangelica veritate abhorrere videantur, Deo uni & Trino sub uno capite Christo in fidei unitate, & sincera fraterna charitate servimus.* Rescripsit Patriarcha per Cyrillum, qui quia minus gratum Regi & Pontificiis, intellexerat, id nec reddidit

di, nec publicavit: ut ipse testatus est in Epistola relicta apud Archiepiscopum Leopoliensem, quam in concionibus suis miscellaneis refert Iesuita Scarga. d. Tandem ipse Meletius in suis scriptis confessionis & fidei suæ luculenta edidit specimina. Extat στρωματέων ejus Tract. 11. de Ecclesia ad *Silvestrum Patriarcham Alexandrinum*, cujus Archimandrita adhuc erat, exaratus, & Theodoro Moscorum Duci oblatus in ipso statim limine Ecclesiæ statum depingit, & Simoniacam in ea nundinationem deplorat. Οἱ γὰρ, inquit, τοῖς λοιποῖς ὀφείλοντες καθηγεῖσθαι, τυφλώττουσιν ἄντικρυς, καὶ γέγονεν ἐν ἡμῖν σκότος τὸ φῶς. ἐμπόρειον νομίζουσι τὴν ἐκκλησίαν, τὰς ἱερατικὰς καὶ ἀρχιερατικὰς τάξεις τοῦ εὐαγγελίου λειτουργίας, οὐ διακονίας καὶ ὑπηρεσίας τὴν κοινὴν σωτηρίαν θηρωμένας καὶ συντεινούσας, εἰς τὴν τῆς ἐκκλησίας οἰκοδομήν. Ἀλλὰ δοξομανίας ὑποθέσεις, καὶ πόρους χρημάτων· ὢ τῶν δεινῶν; καὶ τίς μου δώσει τῇ κεφαλῇ πηγὰς δακρύων καὶ ἐπικλαύσομαι τὴν ξυμφορὰν τοῦ λαοῦ μου; κεκένωται τῆς θείας δόξης ὁ τοῦ θεοῦ μονογενὴς παῖς, τὴν τῶν ἀνθρώπων σωτηρίαν πραγματευόμενος. πτωχεύει τε τὴν ἐσχάτην πτωχείαν πλούσιος ὤν. καὶ ἄνθρωποι, μάλιστά γε οἱ τὸ τοῦ Χριστοῦ πρόσωπον φέροντες, οἱ ποιμένες τοῦ Ἰσραὴλ, ἀπὸ κοπρίας ἐξεγειρόμενοι καὶ καθεσθέντες μετὰ ἀρχόντων λαοῦ θεοῦ, δοξῶν οἰκείων καὶ χρηματολο-

γίας ἀφορμὰς τίθενται τῆς ἐκκλησίας τὰς διακονίας, ἰδίων δηλονότι παθῶν παρανάλωμα τὰς τῶν ἀνθρώπων ψυχάς. Χριστὸν αὐτὸν ἔδει παρεῖναι τριπλόκῳ πάλιν φλαγέλλῳ τῆς ἐκκλησίας ἐκβάλλοντα τοὺς θεοκαπήλους. Σὺ κάθῃ ἱερεύς, ἢ ἀρχιερεὺς ἴσως, μυστηρίων Χριστοῦ ἐπόπτης, ὑπηρέτης, μύστης, μυσταγωγός, τύπον ἐπέχων καὶ τόπον, ἀξίαν καὶ ἐξουσίαν φορῶν Χριστοῦ τοῦ ἔσχατα πτωχεύσαντος, καὶ μηδὲ πετεινοῖς ἴσα, μηδὲ ἀλώπεξιν σκήνωμα ἢ φωλεὸν ἐσχηκότος, καὶ σὺ περὶ χρημάτων λογοθετεῖς, καὶ ζητεῖς τὸ κέρδος, καὶ δοκιμάζεις τὸ κέρμα, καὶ ψηφίζεις τὸν πόρον, καὶ πρὸς τὸ μαρσίπιον κέχηνας, ὅπως ἔχῃ μεμεστωμένως; τῶν ἄλλων ἁπάντων ὑπερορῶν σωρηδὸν τὰς πύλας καταφερομένων εἰς ᾅδου. ὦ γεννήματα τρισταλάνα Ἰσκαριώτου, οὐχὶ καὶ ὑμῖν χρημάτων πέπρασθαι ὁ Χριστός; εἴπατέ μοι, ὦ οὗτοι, ἀνθρώπων ὑμᾶς κατέστησεν ὁ Σωτὴρ ἁλιεῖς, ἢ χρημάτων πορισάς; πῶς ἂν ἀξίως καθάψαιτό τις τῆς ἀτοπίας; ἢ παρὰ πίστιν εἰκότως τὸ κακοδαιμόνιον ἀποκλαύσεται: h.e. *Qui enim alios deberet ducere, caecutiunt è contra, & facta est in vobis lux tenebrae. Ecclesiam emporium esse putant, sacerdotales ordines non existimant publica munera esse, neq; mini-*

ministeria, & servitia communem salutem cõcernentia, & ad Ecclesiæ ædificationem facientia; sed insani gloriæ amoris prætextum, & lucra facultatum. O nefarios homines! Quis dabit capiti meo fontes lachrymarum, ut deplorem calamitatem populi mei? Evacuata est gloria divina. Dei unigenitus filius, dum hominum salutem procurat, extremè pauper factus est, cùm dives esset: Et homines, maximè verò, qui Christi personam gerunt, Pastores Israëlis, ex sterquilinio excitati & cum Principibus constituti populi DEI, propriæ gloriæ & quæstus occasiones ponunt Ecclesiarum Ministeria, propriorum utiq; affectuum impensam superfluam hominum animas. Ipsum oportet adesse Christum iterum, & triplicato flagello expellere rerum divinarum caupones. Tu sedes, ò sacrifice vel summe sacerdos, Mysteriorum divinorum Inspector, Minister, Mysta, sacrorum Princeps, typum gerens & locum, dignitatem & potestatem Christi, pauperrimi, ut qui nec volucribus similis fuit, nec vulpibus tabernaculum aut cavernam habentibus; & tu facultates col-

ligis, lucrum quæris, nummos probas, subdu- cis quæstum, & inhias marsupio, an plenum illud sit, cætera omnia contemnis, quæ cumu- latim tandem in Infernum præcipitan[t]. O miseram progeniem Iscariotæ! Num & vobis pretio venditur Christus? Dicite mi- ki, ô vos, hominum ne vos Piscatores Ser- vator constituit, an quæstuarios? Qua ra- tione hanc absurditatem pro merito tan- get? Aut apud quos jure malum illum ge- nium deflebit? In ipso verò *Stromat.* libro Natu- ram Ecclesię & Ministrorum graphicè depingi[t]. Ecclesiam ait esse, σύλλογον ἕνα, ἓν ἄθροισμα, τὴν συναγωγὴν μίαν ἁγίαν, καθολικὴν, Απο- στολικὴν, ἀνθρώπων τῶν πρὸ καταβολῆς κόσμ- προεγνωσμένων, καὶ προωρισμένων, καὶ ἐκλελεγ- μένων ἐν Χριστῷ, ἰδίοις δὲ καιροῖς πολυτρόπω- κεκλημένων ἐπὶ σωτηρίᾳ, εἰς ἔπαινον δόξη- θεοῦ, καὶ εἰς ταύτην διὰ πίστεως ἀληθοῦς, καὶ ζωο- εἰσαγομένην. Dona & beneficia Ecclesiæ à De[o] concessa gratuita esse, idem apertè asserit: οὕτω ἡ τοῦ ἐλέους χρυσαυγὴς περίκειται στολή. Α- ἐλέους, εἰς ἔλεος. Μάρτυς σοι Παῦλος ὁ μα- καριος ἐλεηθεὶς πιστὸς γενέσθαι. ἤδη γὰρ καὶ τὴ- πίστιν αὐτὴν θεοῦ δῶρον. Μάρτυς καὶ Δαυίδ-

οἰκτι

οἰκτιρμὸν Θεοῦ τὴν σωτηρίαν αὐτοῦ τιθέμενος. Εὐλόγει γάρ, φησιν, ἡ ψυχή μου τὸν κύριον, τὸν στεφανοῦντά σε ἐν ἐλέει καὶ οἰκτιρμοῖς. ὅτι γὰρ ἐκλογὴ χάρις ἐστὶ καὶ ἔλεος, δῆλόν ἐστιν· οὔπω γὰρ γεννηθέντων, οὔτε πραξάντων τι ἀγαθὸν, ἢ κακὸν, ἵνα ἡ κατ' ἐκλογὴν τοῦ θεοῦ πρόθεσις μένῃ, οὐκ ἐξ ἔργων, ἀλλ' ἐκ θεοῦ καλοῦντος, ἐῤῥέθη, ὅτι ὁ μείζων δουλεύσει τῷ ἐλάσσονι· οὕτω τοιγαροῦν γίνεται τὰ μὲν τῆς χάριτος κάτοπτρα, ἐν οἷς ἐπιλάμπει ὁ πλοῦτος τῆς χάριτος θεοῦ ἐν χρηστότητι ἐν χριστῷ Ἰησοῦ. Τὰ δὲ γίνεται σκεύη τῆς ὀργῆς, ἐν οἷς δείκνυσιν ὁ θεὸς τὸ δίκαιον τῆς ἑαυτοῦ ὀργῆς. *Ita enim aurea misericordiæ plectitur catena. A misericordia, per misericordiam ad misericordiam. Testis est. B. Paulus, qui misericordiam consecutus est, ut fidelis esset. Noverat enim, & ipsam fidem DEI donum esse. Testis etiam David, qui misericordiam DEI salutem suam ponit. Benedic, inquit, anima mea, Domino, qui coronat te gratia & misericordia. Electionem autem gratuitam esse, manifestum est. Nam dum nondum essent nati, aut quicquam vel boni vel mali fecissent, ut quod secundum electionem Dei, propositum est, maneat, non ex operibus, sed*

ex vocante, dictum est, quod major serviturus sit minori. Atq; sic fiunt alij specula gratiæ, in quibus elucent divitiæ gratiæ Dei in benignitate, in Christo Jesu: Alij verò, vasa iræ, in quibus Deus ostendit justitiam iræ suæ. *Fidem otiosam*, & mortuam appellat εἴδωλον μᾶλλον πίστεως ἄπνουν, κενήν τε εἰκόνα. *Immutabilitatem Decretorum* elicit ex certa DEI omnium rerum præscientia, quia nempe, οὐχ ὡς ἡμεῖς καὶ θεὸς γινώσκει τὰς ἐκβάσεις ἀναμένων, ὁ ἀδήλως μαντευόμενος. Ἀλλὰ πάντα πάρεστι τῇ προγνώσει τοῦ θεοῦ καὶ πρὶν γενέσθαι. Vt *Ecclesiam* agnoscit *unicam*; ita in unico ejus capite, Christo, acquiescit. κεφαλὴ τῆς ἐκκλησίας εἷς ὁ χριστὸς, ὡς καὶ εἷς νυμφίος μιᾶς νύμφης, ὡς ἔφη ὁ παῦλος. *Caput Ecclesiæ unicus est Christus, quemadmodum unicus sponsus, unius sponsæ, est, Apostolo teste.* Vna verò hæc Ecclesia cur dicatur, rationem reddit luculentam: Διὰ τοῦτο δὲ μία λέγεταί τε καὶ ἔστιν. ὅτι ἐκ πάντων ἀνθρώπων συνέστη, τῶν οἰκησάντων, ἤ τε οἰκούντων καὶ οἰκησόντων πᾶσαν τὴν ὑπ' οὐρανόν. Ἐκ πάντων δὲ ἀνθρώπων φαμὲν, ὅτι ἐκ παντὸς ἀνθρώπων γένους ἡ ἐκκλησία συμπληροῦται, οὐχ ὅτι δὲ πάντες ἄνθρωποι τῷ τῆς ἐκκλησίας περιβόλῳ συνέχονται,

Pro-

Propterea una & dicitur & est, quoniam ex omnibus hominibus constituitur, qui vel habitârunt sub cælo, vel habitant, vel habitaturi sunt. Ex omnibus, inquam, hominibus, quia ex omni hominum genere Ecclesia completur, non verò qoud omnes omnino homines Ecclesiæ ambitu continentur. Cur autem *sancta* vocetur Ecclesia DEI, Orthodoxè idem exprimit: ἐστι δὲ ἁγία ἡ ἐκκλησία, τῷ τε τοῦ χριστοῦ μετέχειν ἁγιότητος χάριτι, τῷ τε πνεύματι ἄγεσθαι ἁγίῳ. Ὅσοι γὰρ, φησιν, ἄγονται πνεύματι χριστοῦ, οὗτοί εἰσι χριστοῦ. υἱοὶ δηλονότι θεοῦ. καὶ τοῦτο γὰρ μεταδίδωσιν ὁ χριστὸς τοῖς οἰκείοις, ὅπερ αὐτός ἐστι φύσει μονογενὴς δηλονότι θεοῦ υἱὸς, αὐτὸς χάριτι ἐργαζόμενος υἱοὺς θεοῦ. Θεῷ δὲ αὐτοῦ καὶ ἐν αὐτῷ υἱοθετηθέντες μεταδίδωσι τῆς αὐτοῦ δικαιοσύνης ὁ χριστὸς, ἰδίαν δικαιοσύνην μὴ ἔχουσιν. *Est autem Ecclesia sancta, tum quod particeps est sanctimoniæ Christi ex gratia, tum quod Sp. S. agatur. Quotquot enim, inquit, aguntur Spiritu Christi, illi sunt Christi, scilicet filij Dei. Hoc enim communicat Christus domesticis, quod ut ille est naturâ unigenitus DEI filius, ita eos etiam ex gratia faciat filios DEI. Adopta-*

tis igitur per ipsum à Deo in filios, largitur justitiam suam Christus, propriam justitiam non habentibus. Redit deinde, tum ad beneficia Ecclesiæ, *Electionem gratuitam, vocationem*, quam certis distinguit ætatibus; tum sortem Ecclesię, quâ premitur quidem semper persecutionibus, non tamen opprimitur. Damnant etiam Donatistarum, aliorúmque Schismaticorum secessionem ab Ecclesia, prætextu miscellæ, proborum & improborum turbæ εἶχε γὰρ, inquit, καὶ χριστὸς ὁμέστιον τὸν Ἰσκαριώτην, καὶ ἡ ἐκκλησία τοὺς ψευδαδέλφους. Accedit deinde ad Apostolos, vocationem & munus eorum, quod aliud nihil sit, quàm διακονεῖν, ὑπηρετεῖν, τὸ εὐαγγέλιον κηρύσσειν, *Matth.* 28. De Romanis Antistitibꝰ cùm hæc scriberet *Meletius*, ita adhuc sensit, ut magno desiderio, omnes homines ad cognitionem veritatis perventuros, motus, ἀδελφοὺς eos nominârit; & τὸν ἰσόχριστον eos potiùs, quam Ἀντίχριστον invexisse, maluerit. Sincerè tamen & apertè scribit, eos τὸν τῆς εὐσεβείας λόγον παραλυπεῖν οὐ σμικρά; idque tum aliâs, tum verò & imprimis ἐν Μοναρχίᾳ καὶ μονοκρατορίᾳ τῆς ἐκκλησίας, quâ Pontifex Romanus Imperium sibi sumit in universam Ecclesiam, quod Meletius & ἀδύνατον judicat, & ἄτοπον. Ἀδύνατον quidem, unum hominem omnibus qui sunt, fuerunt, & futuri sunt (hi enim omnes pariter ad Ecclesiam pertinent,) administrandis

dis sufficere. Ἀτόπως verò, eos qui largiuntur, μίαν ἀρχὴν, ἑνὸς δηλονότι ἁρμόσου σώματος, μίαν ἐφαρμόζουσιν, ἀναλόγως κεφαλὴν, δύο ἐπιπλάττειν. Μεταπλάττοιτο γὰρ εἰς τέρας δικέφαλον τὸ σῶμα. ὥσπερ γὰρ ἄμορφον τὸ ἀκέφαλον, οὕτως ἄσχημον καὶ τὸ πολυκέφαλον σῶμα. Transit jam à thesi ad hypothesin, &, indicata erronei hujus dogmatis causa, ipsum Papam malè sentire, rationibus probat. Vnde, quærit, hic Romanorum error? ὅτι τὸν Πάπαν ζητοῦσι στῆναι τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, καθολικὴν κεφαλήν: *Quia Papam satagunt constituere Ecclesiæ universalis universale caput:* quo ipso tamen οὐδὲ περὶ τῆς ἐκκλησίας εὖ φρονοῦσιν, οὐδὲ τὸν Χριστὸν ἐπιγινώσκουσιν; *neque de Ecclesia rectè sentiunt; neque Christum cognoscunt.* Ad obtinendam autē & evincendam suam heterodoxiam, ipsam de Ecclesia fidē Epitheto alio augent: φασὶ γοῦν μίαν, ἁγίαν, καθολικὴν, ῥωμαϊκὴν ἐκκλησίαν: *Dicunt enim, unam, sanctam, Catholicam, Romanam Ecclesiam.* Imò eò impudentiæ processisse queritur, ut καθολικὴν εἰς ῥωμαϊκὴν, καὶ ῥωμαϊκὴν εἰς καθολικὴν mutârint. Vtrumque parem apud Meletium authoritatem habet. Τῆς δὲ καθολικῆς ἐκκλησίας οὕτω φαμὲν ἀδύνατον εἶναι τὸν πάπαν τὴν καθο-

tatis vestræ ad nominis divini gloriam & ad salutem Ecclesiæ suæ dirigat, Amen. Hac utinam æquitatis lege cum iis egissent Tubingenses, quibus propiùs illi accedunt!

Pergimus ad *Meletium*, de quo *Scaliger* in Epistolis p. 349. Fuit Alexandrinæ & Constantinopolitanæ sedis Antistes. Virum pium Scaliger appellat, qui cùm adhuc esset πρωτοσύγκελλος Σιλβέστρου πατριάρχου Ἀλεξανδρείας, Reginæ Navarrenæ pixidem gemmis instructam cum Epistola misit, quâ Basilii, Chrysostomi, Nazianzeni exemplaria, quæ aliunde habere non poterat, mitti sibi petiit. *Hic Latinos*, (scribit *Allat.* de Consens. perpet. Oriental. cum Occidental. lib. 3. c. 7: S. 11.) *acriter insectatus est. Inter. alia 1. scripsit plures Epistolas ad Gnesem Basilium, Ruthenos, Chios, Græcos, qui Poloniam & Russiam incolunt, quibus conatur Latinorum dogmata de primatu Pontificis Romani aliaque convellere. 2. Prostat ipsius Catechesis ad Græcos, forma Dialogi, Græcè conscripta. 3. Tractatus alius, de iisdem rebus ad Gabrielem Severum, Philadelphiensem Episcopum.* Ex hoc tempore majorem lucem Orientales quoque Ecclesię habere cæperunt. *Primò* enim ipsi etiam Græci ad Reformatos, pro unione impetranda, mittebantur. An. Chr. 1595. ad

ad Torunensem Synodum, in qua Syncretismus Reformatorum cum Lutheranis ante 15. annos Sendomiriæ initus confirmabatur, destinata fuit legatio ab Illustr. Domino Constantino Duce ab Ostrog. Palatino Kijoviensi, Græcæ religioni addicto, officia amicitiæ Ecclesiis Evangelicis offerente, & cum iis nomine suo ac suorum conjunctionem in vera religione expetente, satis honorificè missa, & per Legatum præsentem Dominum Kasparum Luszkovium expedita. II. *Meletius*, Hebraicè, Syriacè, & Arabicè peritus, quàm propenso fuerit animo in Ecclesias reformatas, ostendit a. quod quando impostores aliqui Græci a. Ch. 1595. ficto nomine Patriarchæ Alexandrini, Gabrielis, Confessionem Romæ ad placitum Papę edidissent, fraude cognita, tale quid de Alexandrinis, se (non Gabriele Patriarcha) inscio, spargi, qui ab illiusmodi Confessione, vel subjectione Papæ Romano factâ, erat alienissimus. Quæ attingit *Thuanus* lib. CXIV. & plenius ex literis Iunioris Douzæ ad Ianum Douzam patrem, constant. b. Idem probatum ivit literis ad Hypatium Pociey, Russiæ primatem a. Ch. 1599. & Sigismundum III. Poloniæ Regem scriptis a. Ch. 1600. quo Alexandrinus adhuc fuit Patriarcha, super negotio unionis cum Romana Ecclesia initæ, à Russo-Græcis aliquibus regno Polonię subditis, invitis quamvis & reclamantibus aliis: *Perspiceret Majestas Tua, Nos, cum Majoribus nostris, non ignorare (quem precaris ut agnoscamus) Romanum Ponti-*

fi-

ficem (id quod sese ipse autumat) Pontificem scil. Romanum, veluti & Constantinopolitanum Pontificem, Pontificem Constantinopolitanum, caterósque Apostolicarum sedium Pontifices, caterarum certarúmque sedium Apostolicarum Pontifices. Qui non unus omnium, sed inter omnes, & ipse unus &c. Unum universale caput, quòd cùm D. N. Jesus Christus sit, alius esse non possit, nisi biceps aliquod sit corpus, aut potius monstrum corporis. Perspiceres, Rex Serenissime (ut interim de Concilio illo Florentino, veluti de re silentio digna, taceam) non Nos è Patriis tum Orientalium, tum Occidentalium dogmatibus, traditionibúsque, quæ per septem universalia Concilia Nobis consignârunt, atque obsignârunt, egressos. Illos egressos, qui novitatibus in dies delectãtur.

c. Nostrates de eo arctiùs sibi devinciendo cogitârunt. Cùm enim an. Ch. 1599. d. 15. Maji inter Evangelicos, id est; juxta consensum Sendomiriensem, Augustanos, Bohemos, Reformatos, conventus Vilnæ Polonorum haberetur ad Syncretismum inter Evangelicos Europæos, & Græcos vel Russos non unitos (duum quippe generum Rusi sunt; alii unionem cum Romanis sequuntur; horrent eam alii; de quibus *Auctor Hist. Eccles. Sclavon. l. IV.*) in

ineundum scriptum ea de re à nostris ad Meletium his verbis: *Nobis cumprimis in votis est, ut cum iis quoque coalescamus, qui à nobis remotiores, Pontifici Romano jamdudum nuntio remisso, puriori doctrinæ favent. Et licèt locis disjuncti, pietatis professione & Religione propiùs ad nos accedunt. Qualem quidem semper putavimus esse Ecclesiam Orientalem in Græcia, & inter ejusdem nobiscum linguæ homines in Moscovia, in Russia, & in Lituania, cui non sine insigni laude R.P.V. tempestate nostra præesse scimus. Quamobrem etiam hoc summopere expetimus, ut data occasione cum R.P.V. de religionis negotio agamus, & rationem, qua cœtus nostri orthodoxi Vestris Ecclesiis per sanctam in Jesu Christo consensionem uniri, & arctiore quodam charitatis vinculo in posterum conglutinari possent, collatis sententiis ineamus. Unde etiam cùm ad nos crebris nuntiis rumor is delatus esset, quosdam harum regionum Antistites vestrates, qui antea soliti sunt in omnibus suffragiis R.P.V. accedere, eique obedire, observantiæ jugo excusso Pontifici Romano,*

itinere ad ipsum sat longinquo suscepto obedientiam, fidelitatem & subjectionem omnem, idque nomine omnium Ecclesiarum Græcarum religionem in Poloniæ regno profitentium (sed falsò, utpote inscius plerisque, multis contradicentibus & invitis) permisisse, seq; ei addixisse, doluimus sanè pro eo, ac debuimus ipsos à puriori doctrina ad pessimos errores & jugum Antichristi descivisse. Quia verò tum professio nostra Christiana, tum pericula undique imminentia Nobis suadent, ut cum vestris Græcis Ecclesiis, quarum non exiguum numerum oræ Lituanicæ & Ruthenicæ continent, pacem foveamus, & concordiam colamus: de eo imprimis R.P.V. cum Reverendissimo Patriarcha Alexandriæ compellandam, & ab eo consilium, piámq; operam petendam existimavimus: ut si qua ratione fieri possit, sublatis omnibus, quæ ab Evangelica veritate abhorrere videantur, Deo uni & Trino sub uno capite Christo in fidei unitate, & sincera fraterna charitate servimus. Rescripsit Patriarcha per Cyrillum, qui quia minus gratum Regi & Pontificiis, intellexerat, id nec reddidit

di, nec publicavit: ut ipse testatus est in Epistola relicta apud Archiepiscopum Leopoliensem, quam in concionibus suis miscellaneis refert Iesuita Scarga. d. Tandem ipse Meletius in suis scriptis confessionis & fidei suæ luculenta edidit specimina. Extat στρωματέων ejus Tract. 11. de Ecclesia ad *Silvestrum Patriarcham Alexandrinum*, cujus Archimandrita adhuc erat, exaratus, & Theodoro Moscorum Duci oblatus in ipso statim limine Ecclesiæ statum depingit, & Simoniacam in ea nundinationem deplorat. Οἱ γὰρ, inquit, τοῖς λοιποῖς ὀφείλοντες καθηγεῖσθαι, τυφλώττουσιν ἄντικρυς, καὶ γέγονεν ἐν ἡμῖν σκότος τὸ φῶς. ἐμπόριον νομίζουσι τὴν ἐκκλησίαν, τὰς ἱερατικὰς καὶ ἀρχιερατικὰς τάξεις τὸν εὐαγγελίου λειτουργίας, οὐ διακονίας καὶ ὑπηρεσίας τὴν κοινὴν σωτηρίαν θηρωμένας καὶ συντείνουσας, εἰς τὴν τῆς ἐκκλησίας οἰκοδομήν. Ἀλλὰ δοξομανίας ὑποθέσεις, καὶ πόρους χρημάτων ὢ τῶν δεινῶν; καὶ τίς μου δώσει τῇ κεφαλῇ πηγὰς δακρύων καὶ ἐπικλαύσομαι τὴν ξυμφορὰν τοῦ λαοῦ μου; κεκένωται τῆς θείας δόξης ὁ τοῦ θεοῦ μονογενὴς παῖς, τὴν τῶν ἀνθρώπων σωτηρίαν πραγματευόμενος. πτωχὸς δέ τε τὴν ἐσχάτην πτωχείαν πλούσιος ὤν. καὶ ἄνθρωποι, μάλιστά γε οἱ τὸ τοῦ Χριστοῦ πρόσωπον φέροντες, οἱ ποιμένες τοῦ Ἰσραήλ, ἀπὸ κοπρίας ἐξεγειρόμενοι καὶ καθεσθέντες μετὰ ἀρχόντων λαοῦ θεοῦ, δοξῶν οἰκείων καὶ χρηματολο-

γίας ἀφορμὰς τίθενται τῆς ἐκκλησίας τὰς διακο-
νίας, ἰδίων δηλονότι παθῶν παρανάλωμα τὰς
τῶν ἀνθρώπων ψυχάς. Χριστὸν αὐτὸν ἔδει πα-
ρεῖναι τριπλόκῳ πάλιν φλαγέλλῳ τῆς ἐκκλη-
σίας ἐκβάλλοντα τοὺς θεοκαπήλους. Σὺ κάθῃ
ἱερεύς, ἢ ἀρχιερεὺς ἴσως, μυστηρίων Χριστοῦ ἐπόπτης,
ὑπηρέτης, μύστης, μυσταγωγός, τύπον ἐπέχων καὶ
τόπον, ἀξίαν καὶ ἐξουσίαν φορῶν Χριστοῦ τοῦ ἔσχατα
πτωχεύσαντος, καὶ μηδὲ πετεινοῖς ἴσα, μηδὲ
ἀλώπεξιν σκήνωμα ἢ φωλεὸν ἐσχηκότος, καὶ
σὺ περὶ χρημάτων λογοθετεῖς, καὶ ζητεῖς τὸ κέρ-
δος, καὶ δοκιμάζεις τὸ κέρμα, καὶ ψηφίζεις τὸν
πόρον, καὶ πρὸς τὸ μαρσίπιον κέχηνας, ὅπως ἔχῃ
μεμεστωμένως; τῶν ἄλλων ἁπάντων ὑπερορῶν
σωρηδὸν τῶν πέλας καταφερομένων εἰς ᾅδου. ὦ
γεννήματα τρις τάλανα ἰσκαριώτου, οὐχὶ καὶ ὑμῖν
χρημάτων πιπράσκεται ὁ Χριστός; εἴπατέ μοι,
ὦ οὗτοι, ἀνθρώπων ὑμᾶς κατέστησεν ὁ σωτὴρ ἁλι-
εῖς, ἢ χρημάτων ποριστάς; πῶς ἂν ἀξίως κα-
θάψαιτό τις τῆς ἀτοπίας; ἢ παρὰ τίσιν εἰκότως τὸ
κακοδαιμόνιον ἀποκλαύσεται: h.e. *Qui enim
alios deberet ducere, cæcutiunt è contra, &
facta est in vobis lux tenebræ. Ecclesiam
emporium esse putant, sacerdotales ordines
non existimant publica munera esse, neq;
mini-*

ministeria, & servitia communem salutem cōcernentia, & ad Ecclesiæ ædificationem facientia; sed insani gloriæ amoris prætextum, & lucra facultatum. O nefarios homines! Quis dabit capiti meo fontes lachrymarum, ut deplorem calamitatem populi mei? Evacuata est gloria divina. Dei unigenitus filius, dum hominum salutem procurat, extremè pauper factus est, cùm dives esset: Et homines, maximè verò, qui Christi personam gerunt, Pastores Israëlis, ex sterquilinio excitati & cum Principibus constituti populi DEI, propriæ gloriæ & quæstus occasiones ponunt Ecclesiarum Ministeria, propriorum utiq. affectuum impensam superfluam hominum animas. Ipsum oportet adesse Christum iterum, & triplicato flagello expellere rerum divinarum caupones. Tu sedes, ò sacrifice vel summe sacerdos, Mysteriorum divinorum Inspector, Minister, Mysta, sacrorum Princeps, typum gerens & locum, dignitatem & potestatem Christi, pauperrimi, ut qui nec volucribus similis fuit, nec vulpibus tabernaculum aut cavernam habentibus; & tu facultates col-

ligis, lucrum quæris, nummos probas, subducis quæstum, & inhias marsupio, an plenum illud sit, cætera omnia contemnis, quæ cumulatim tandem in Infernum præcipitant. O miseram progeniem Iscariotæ! Num & vobis pretio venditur Christus? Dicite mihi, ô vos, hominum ne vos Piscatores Servator constituit, an quæstuarios? Qua ratione hanc absurditatem pro merito tanget? Aut apud quos jure malum illum genium deflebit? In ipso verò *stromat.* libro Naturam Ecclesię & Ministrorum graphicè depingit. Ecclesiam ajt esse, *σύλλογον ἕνα, ἓν ἀθροίσμα, ἢ τὴν οὖν συναγωγὴν μίαν ἁγίαν, καθολικὴν, Ἀποστολικὴν, ἀνθρώπων τῶν πρὸ καταβολῆς κόσμου προεγνωσμένων, καὶ προωρισμένων, καὶ ἐκλελεγμένων ἐν χριστῷ, ἰδίοις δὲ καιροῖς πολυτρόπως κεκλημένων ἐπὶ σωτηρίᾳ, εἰς ἔπαινον δόξης θεοῦ, καὶ εἰς ταύτην διὰ πίστεως ἀληθοῦς, καὶ ζώσης ἐισαγομένην.* Dona & beneficia Ecclesiæ à Deo concessa gratuita esse, idem apertè asserit: *οὕτω τε ἡ τοῦ ἐλέους χρυσαυγής πλέκεται σειρά. Ἀπὸ ἐλέους, εἰς ἔλεον. Μάρτυς σοι παῦλος ὁ μακάριος ἐλεηθεὶς πιστὸς γενέσθαι. ἤδη γὰρ καὶ τὴν πίστιν αὐτὴν θεοῦ δῶρον. Μάρτυς καὶ Δαυίδ,*

οἰκτιρ-

οἰκτιρμὸν Θεοῦ τὴν σωτηρίαν αὐτοῦ τιθέμενος. εὐλόγει γὰρ, φησιν, ἡ ψυχή μου τὸν κύριον, τὸν στεφανοῦντά σε ἐν ἐλέει καὶ οἰκτιρμοῖς. ὅτι γὰρ ἐκλογὴ χάριτος ἐστὶ καὶ ἔλεος, δῆλόν ἐστιν· οὔπω γὰρ γεννηθέντων, οὔτε πραξάντων τι ἀγαθὸν, ἢ κακὸν, ἵνα ἡ κατ' ἐκλογὴν τοῦ θεοῦ πρόθεσις μένῃ, οὐκ ἐξ ἔργων, ἀλλ' ἐκ θεοῦ καλοῦντος, ἐῤῥέθη, ὅτι ὁ μείζων δουλεύσει τῷ ἐλάσσονι· οὕτω τοιγαροῦν γίνεται τὰ μὲν τοῦ χάριτος κάτοπτρα, ἐν οἷς ἐπιλάμπει ὁ πλοῦτος τῆς χάριτος θεοῦ ἐν χρηστότητι ἐν χριστῷ Ιησοῦ. Τὰ δὲ γίνεται σκεύη τῆς ὀργῆς, ἐν οἷς δείκνυσιν ὁ θεὸς τὸ δίκαιον τῆς ἑαυτοῦ ὀργῆς. *Ita enim aurea misericordiæ plectitur catena. A misericordia, per misericordiam ad misericordiam. Testis est. B. Paulus, qui misericordiam consecutus est, ut fidelis esset. Noverat enim, & ipsam fidem DEI donum esse. Testis etiam David, qui misericordiam DEI salutem suam ponit. Benedic, inquit, anima mea, Domino, qui coronat te gratia & misericordia. Electionem autem gratuitam esse, manifestum est. Nam dum nondum essent nati, aut quicquam vel boni vel mali fecissent, ut quod secundum electionem Dei, propositum est, maneat, non ex operibus, sed*

ex vocante, dictum est, quod major serviturus sit minori. Atq; sic fiunt alij specula gratiæ, in quibus elucent divitiæ gratiæ Dei in benignitate, in Christo Jesu: Alij vero, vasa iræ, in quibus Deus ostendit justitiam iræ suæ. Fidem otiosam, & mortuam appellat εἴδωλον μᾶλλον πίστεως ἄπνουν, κενὴν τε εἰκόνα. Immutabilitatem Decretorum elicit ex certa DEI omnium rerum præscientia, quia nempe, οὐχ ὡς ἡμεῖς καὶ θεὸς γινώσκει τὰς ἐκβάσεις ἀναμένων, ὁ ἀδήλως μαντευόμενος. Ἀλλὰ πάντα πάρεστι προγνώσει τοῦ θεοῦ καὶ πρὶν γενέσθαι. Vt Ecclesiam agnoscit unicam; ita in unico ejus capite, Christo, acquiescit. κεφαλὴ τῆς ἐκκλησίας εἷς ὁ χριστὸς, ὡς καὶ εἷς νυμφίος μιᾶς νύμφης, ὡς ἔφη ὁ παῦλος. *Caput Ecclesiæ unicus est Christus, quemadmodum unicus sponsus, unius sponsæ, est, Apostolo teste.* Vna vero hæc Ecclesia cur dicatur, rationem reddit luculentam: Διὰ τοῦτο δὲ μία λέγεταί τε καὶ ἔστιν. ὅτι ἐκ πάντων ἀνθρώπων συνέστηκε, τῶν οἰκησάντων, ἤ τε οἰκούντων καὶ οἰκησόντων πᾶσαν τὴν ὑπ᾽ οὐρανόν. Ἐκ πάντων δὲ ἀνθρώπων φαμὲν, ὅτι ἐκ παντὸς ἀνθρώπων γένους ἡ ἐκκλησία συμπληροῦται, οὐχ ὅτι δὲ πάντες ἄνθρωποι τῷ τῆς ἐκκλησίας περιβόλῳ συνέχονται,

Pro-

Propterea una & dicitur & est, quoniam ex omnibus hominibus constituitur, qui vel habitârunt sub cælo, vel habitant, vel habitaturi sunt. Ex omnibus, inquam, hominibus, quia ex omni hominum genere Ecclesia completur, non verò qoud omnes omnino homines Ecclesiæ ambitu continentur. Cur autem *sancta* vocetur Ecclesia DEI, Orthodoxè idem exprimit: ἐστὶ δὲ ἁγία ἡ ἐκκλησία, τῷ τε τῆς χριστοῦ μετέχειν ἁγιότητος χάριτι, τῷ τε πνεύματι ἄγεσθαι ἁγίῳ. Ὅσοι γὰρ, φησιν, ἄγονται πνεύματι χριστοῦ, οὗτοί εἰσι χριστοῦ. υἱοὶ δηλονότι θεοῦ. καὶ τοῦτο γὰρ μεταδίδωσιν ὁ χριστὸς τοῖς οἰκείοις, ὅπερ αὐτός ἐστι φύσει μονογενὴς δηλονότι θεοῦ υἱὸς, αὐτὸς χάριτι ἐργαζόμενος υἱοὺς θεοῦ. Θεῷ δὲ αὐτοῦ καὶ ἐν αὐτῷ υἱοθετηθέντες μεταδίδωσι τῆς αὐτοῦ δικαιοσύνης ὁ χριστὸς, ἰδίαν δικαιοσύνην μὴ ἔχουσιν. *Est autem Ecclesia sancta, tum quod particeps est sanctimoniæ Christi ex gratia, tum quod Sp. S. agatur. Quotquot enim, inquit, aguntur Spiritu Christi, illi sunt Christi, scilicet filij Dei. Hoc enim communicat Christus domesticis, quod ut ille est naturâ unigenitus DEI filius, ita eos etiam ex gratia faciat filios DEI. Adopta-*

dis sufficere. Ἀτόπους verò, eos qui largiuntur; μίαν ἀρχὴν, ἑνὸς δηλονότι ἁρμόσου σώματος, μίαν ἐφαρμόζουσαν, ἀναλόγως κεφαλὴν, δύο ἐπιπλάττεσθαι. Μετεωπλάττοιτο γὰρ εἰς τέρας δικέφαλον τὸ ζῶμα. ὥσπερ γὰρ ἄμορφον τὸ ἀκέφαλον, οὕτως ἄσχημον καὶ τὸ πολυκέφαλον ζῶμα. Transit jam à thesi ad hypothesin, &, indicata erronei hujus dogmatis causa, ipsum Papam malè sentire, rationibus probat. Vnde, quærit, hic Romanorum error? ὅτι τὸν Πάπαν ζητοῦσι εἶναι τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, καθολικὴν κεφαλήν: *Quia Papam satagunt constituere Ecclesiæ universalis universale caput:* quo ipso tamen οὐδὲ περὶ τῆς ἐκκλησίας εὖ φρονοῦσιν, οὐδὲ τὸν Χριστὸν ἐπιγινώσκουσιν; *neque de Ecclesia rectè sentiunt; neque Christum cognoscunt.* Ad obtinendam autē & evincendam suam heterodoxiam, ipsam de Ecclesia fidē Epithero alio augent: φασὶ γοῦν μίαν, ἁγίαν, καθολικὴν, ῥωμαϊκὴν ἐκκλησίαν: *Dicunt enim, unam, sanctam. Catholicam, Romanam Ecclesiam.* Imò eò impudentiæ processisse queritur, ut καθολικὴν εἰς ῥωμαϊκὴν, καὶ ῥωμαϊκὴν εἰς καθολικὴν mutârint. Vtrumque parem apud Meletium authoritatem habet. Τῆς δὲ καθολικῆς ἐκκλησίας οὕτω φαμὲν ἀδύνατον εἶναι τὸν πάπαν τὴν καθο-

θολικὴν κεφαλὴν, ὡς ἀδυνάτως ἔχει εἶναι τὴν καθολικὴν ἐκκλησίαν τὴν ῥωμαϊκὴν, ἢ τὴν ῥωμαϊκὴν τὴν καθολικήν. ὡς ἐστιν ἀδύνατον εἶναι σῶμα ὅλον τῶν μελῶν ἕν, ἢ ἓν τῶν μελῶν τὸ ὅλον σῶμα. *Universalis autem Ecclesiæ adeò dicimus Papam caput universale esse non posse, quàm non potest esse Ecclesia Catholica Romana, aut Romana Catholica. Quemadmodum nec fieri potest, ut integrum corpus unum sit membrum, aut unum membrum integrum corpus.* Effugia Pontificiorum ordine etiã eludit. Nihil enim ait eos juvari κρησφυγέτῳ, quod in vocabulis *Apostolicæ Ecclesiæ* quærant. Quasi Papa N. Test. Ecclesiæ, & quidem præsentis tantùm, sit caput universale. Nam ne hoc; inquit; quidem sensu ullus Apostolorum fuit caput Ecclesiæ. Οὐδεὶς, verba sunt Meletii, τῶν Ἀποστόλων αὐτῶν κεφαλὴ ἦν τῆς καθ' αὐτοὺς ἐκκλησίας, παρόντος μὲν τοῦ σωτῆρος οὐδεὶς τολμήσειεν ἀντειπεῖν. ὅτι δὲ οὐδὲ μετὰ τὴν πρὸς τὸν πατέρα τοῦ σωτῆρος ἀνάληψιν, δι' ὧν ἔπραξαν οἱ Ἀπόστολοι καταλελοίπασι πάσης καὶ φωνῆς καὶ γλώττης συνεχέστερον.

2. Apostolicam Ecclesiam non contradistingui Propheticæ, quasi hæc ab illa, ipsâ fœderis gratiæ substantiâ differret (utramque enim esse Ecclesiam Catholicam; utrobique easdem promissiones) sed Apostolicæ Ecclesiæ in Symbolo veterum mentio-

ionem fieri, non ὥστε θατέραν θατέρας χωρὶς ...ίαν εἶναι καθολικὴν ἐκκλησίαν, ἀλλὰ τῆς μιᾶς ... ταύτης καθολικῆς ἐκκλησίας τὸ μέρος ἡμᾶς ...ναι πιστεύειν δηλοῖ, ὅπερ ἔλαβε τὸν διαγγελλόμενον ...χριστὸν, οὐκέτι κατὰ τὰς προφητικὰς σκιαγρα-φίας προφητευόμενον καὶ ἐρχόμενον, ἀλλὰ κατὰ τὸ ...ποστολικὸν κήρυγμα εὐαγγελιζόμενον ἐληλυ-...θότα. *Quasi altera absque altera Catholica ...sset Ecclesia; sed unius ejusdémque Ecclesiæ ...atholicæ, illam partem nos esse credere ju-...et, quâ exhibitum jam Christum recipit: ...on amplius, secundùm Propheticas deli-...eationes prænunciatum & venturum, sed ...ecundùm Apostolicum præconium, prædi-...atum venientem.* Neque enim ab Ecclesia Ca-...olica excludi eos, qui in V.T. vixerunt prolixè ...emonstrat. Πῶς, inquit, ἀποκλείσομεν τοὺς ἐσχη-...ότας τὸ αὐτὸ πνεῦμα; τὸν αὐτὸν χριστὸν, τὰς αὐτὰς ... αὐτῷ ἐπαγγελίας; πῶς ἐκληψόμεθα, ὅ φη-... Παῦλος, ἐποικοδομηθέντες ἐπὶ τῷ θεμελίῳ ... Αποστόλων καὶ προφητῶν, ὄντος ἀκρογω-...νίου αὐτοῦ Χριστοῦ, ἐν ᾧ πᾶσα οἰκοδομὴ ἔστω, οὐκ ...λλον γὰρ ἐκέκτητο οὐδέτερον θεμέλιον, οὐ γὰρ ὁ Από-...λος θεμέλιον εἶπε τῶν Αποστόλων τὸν Χριστὸν, ...λλὰ καὶ τῶν προφητῶν. Πῶς δ᾽ ἂν εἴη αὐτοῖς

ὁ Χρι-

ὁ Χριστὸς ὁ λίθος. ὁ ἐκλεκτὸς, ὁ ἔντιμος, ὁ Σιωνίτης τεθεὶς εἰς θεμέλιον τῆς μυστικῆς Σιών; πῶς ἂν εἴη, φημὶ, ἀκρογωνιαῖος, εἰ μὴ ἀμφοτέροις ὑποκείμενος; οὐ γὰρ μόνον τῷ μεσίτης εἶναι θεοῦ καὶ ἀνθρώπου, οὐδὲ τῷ τὰ πόρρω καὶ τὰ ἐγγὺς τοὺς ἐξ Ἰσραὴλ δηλονότι, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἐξ ἐθνῶν εἰς ἓν συνδῆσαι, ἀλλὰ πολλῷ μᾶλλον τῷ τοὺς ἐξ Ἰσραὴλ αὐτοῦ τοὺς πρόπαλαι, καὶ τοὺς νυνὶ εἰς μίαν ἐκκλησίαν συναρμόζειν, ἀκρογωνιαῖος λέγεται λίθος. εἰ γὰρ τὸ τοὺς ἔξω τῶν ἐπαγγελιῶν, καὶ τοὺς τὰς ἐπαγγελίας λαβόντας ἑνοῦν λέγεται ἀκρογωνιαῖος, πῶς οὐχὶ διὰ τὸ τοὺς τὰς αὐτὰς λαβόντας, πάλαι μὲν ἐν σκιᾷ, κατὰ δὲ τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου ἐν εἰκόνι καὶ πράγματι. οὕτως οὖν τῆς πάλαι ἐκκλησίας, τουτέστι, τῆς προφητικῆς, καὶ τῆς νεολέκτου, τουτέστι τῆς Ἀποστολικῆς νοητέον ὑγιῶς τὴν διαφοράν. *Quomodo enim excludemus, qui eundem habent Spiritum, eundem Christum, easdem in ipso promissiones? Quomodo accipiemus illud Apostoli:* Superstructi fundamento Apostolorum & Prophetarum, existente angulari lapide Christo, in quo omne est ædificium. *Nec enim alterutrum eorum aliud habet fundamentum; neq; Apostolus dixit: Christum tantum Apostolorum esse fundamentum; sed*

&

& Prophetarum. Quomodo enim esset ipse ic Christus, lapis ille electus & pretiosus, oniticus, positus in fundamentum mysticæ onis; quomodo, inquam, hic esset angula- s, nisi utrisq; subjiceretur? Neq; enim opterea tantum, quod Mediator est inter eum & hominem, neq; quòd & remota & opinqua, Israëlitas videlicet, & ex Genti- bus quosdam in unum compegerit; sed & ultò magis, quòd eos, qui ex Israële suo, qui m erant & nunc sunt, in unam Ecclesiam agmentârit, lapis vocatur angularis. Nã eos, qui sunt extra promissiones, & eos i promissiones acceperunt, angularis lapis adunâsse dicitur, cur non etiam propter- , quòd promissiones easdem acceperunt, m quidem umbratenus, in plenitudine tem temporis, in effigie & facto? Atq; quidem differentia veteris, id est, Pro- eticæ, & novæ seu Apostolicæ Ecclesiæ so- è capienda. Respondet etiam ad objectio- n: Christum constituisse Ecclesiæ suæ vica- m, propter absentiam corporalem necessarium: it universalem illam ἐπισκοπὴν à nullo omni- homine suscipi posse palam facit; ita cumpri- Pontificis regimen tyrannicum rejicit, institu- ta-

ta antithesi inter ministerium Ecclesiasticum & Pontificis potestatem. τὸ γὰρ διακονεῖν τῷ αὐθεντεύειν καὶ κατεξουσιάζειν πολὺ διΐσταται. Αὐτοὶ δὲ καὶ περὶ πίστεος, καὶ περὶ ἐκκλησίας ὁλοσχερῶς παντοίαν ἐξουσίαν τῇ τοιαύτῃ κεφαλῇ διδόασι, μέχρι καὶ ἀνατροπῆς καὶ καινοτομίας τῶν παρὰ Χριστοῦ τοῦ σωτῆρος αὐτοῦ ὁροθετηθέντων. Πῶς γὰρ ἂν ἄλλως εἰ μήγ᾽ ἄλλογε τήνγε εὐχαριστίαν ἡμιτμητον τῇ ἐκκλησίᾳ δι᾽ ἑνὸς μόνου εἴδους τοῦ ἄρτου ἐτόλμησαν καινοτομοῦντες προσφέρειν τοῖς λαοῖς, εἰ μὴ τοιαύτης ἐξουσίας ἐξεδίκουν ἑαυτοῖς, τὴν οὐχ ὑπηρεσίαν καὶ διακονίαν, ἀλλὰ αὐτοκρατορικὴν, &c. *Ministrare namque, & authoritate uti, imò potestatem exercere, multum differunt. Ipsi enim & de fide, & de Ecclesia omnimodam potestatem huic capiti largiuntur, etiam usque ad eversionem & innovationem eorum, quæ Christus ipse lege definivit. Quomodo enim aliâs; si nihil aliud occurreret; auderent Eucharistiam mancam Ecclesiæ, per unam solam speciem panis proferre laicis, nisi hanc sibi potestatem arrogâssent, quæ non ministerium & servitium est, sed Imperium?* Quod quidem dominium adeò injurium in Christum Meletius agnoscit, ut luculentis testetur verbis, eos Servatorem

hac sibi ratione subjicere, & veluti ad denuo Cæsari solvendum tributum compelli, Αὐτὸν, inquit, χριστὸν ὑποχείριον, καὶ δεύτερον, ὡς ἔοικε, φόρον φέροντα καίσαρι καθυποβάλλουσι. Deducit insuper, quę de Petri primatu disputantur, à praxi Apostolica, ejusque prima Synodo, ubi movebatur ζήτημα οὐ τυχὸν, ἀλλὰ τὸ τὴν σωτηρίαν ἀφορῶν, τὴν τοῦ νόμου ἀργίαν, τὴν τοῦ εὐαγγελίου εἰσαγωγὴν, & τὸ κοινῇ δόξαν ἐν πνεύματι ὑπαγορεύουσι, comuniter decernunt, subscribunt, & approbant. Κοινῶς ἔδοξέ φησι, τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ, καὶ ἡμῖν· καὶ ἔδοξε τοῖς Ἀποστόλοις καὶ τοῖς πρεσβυτέροις, ἐκλεξαμένους ἄνδρας ἐξ αὐτῶν πέμψαι εἰς Ἀντιόχειαν. Τὸ δὲ ἐπιφώνημα τοῦ συνοδικοῦ ἐκείνου τόμου οὐκ ἦν. Πέτρος, ἐλέει θεοῦ, Χριστοῦ ἐπίτροπος, καὶ οἱ λοιποὶ, ἀλλὰ, οἱ Ἀπόστολοι καὶ οἱ πρεσβύτεροι, καὶ οἱ ἀδελφοὶ, τοῖς κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν ἀδελφοῖς, χαίρειν. Unde nfert postea; Petrum, nec caput fuisse cclesiæ, nec authoritate reliquis Apotolis superiorem. Et ut ordinis πρωτεῖα acile admittit; ita negat illam ὑπεροχὴν εὐθὺς εἶναι ἀρχοντικὴν, ἢ κεφαλήν. Imò, στω τὶς ἐν ἑνὶ σώματι τῶν μελῶν πρὸς ἄλληλα ὑπεροχὴ καὶ πρόσκλισις, ὅλως καὶ πρὸς ἄλληλα, καὶ πρὸς τὴν κεφαλὴν διασώζουσι τὴν

προσφυῆ τάξιν· ἀλλ' οὐχ ἕπεται τῶν ὑπερεχόντων μελῶν ἕκαστον τῶν ὑπερεχομένων εἶναι κεφαλήν· οὕτως οὖν καὶ ἡμῖν ἡ ἐκκλησία ἡ καθολική, καὶ πᾶσαι αἱ κατὰ μέρος ἐκκλησίαι αὐτὴν μίαν συντελοῦσαι τὴν καθολικήν, εὐεπιστασίᾳ καὶ εὐταξίᾳ κεκόσμηνται, καὶ Χριστὸς μόνος ἐν τῇ οἰκείᾳ ἀρχῇ, ὡς εἰκὸς, ἀλωβήτως, ἀβλαβῶς, μεθ' ὅσης τῆς εὐσεβείας καὶ εὐλαβείας διατηρεῖται κεφαλή. *Esto autem, in uno eodemque corpore membrorum erga se aliqua excellentia & prajudicatio, nempe tum ad membrorum inter se, tum ipsius capitis naturalem conservandum ordinem. Neque tamen sequetur excellentiora membra cæterorum esse caput. Ita & Ecclesia Catholica, ut & omnes particulares (unam eandémque constituentes Catholicam) recta administratione & bono ordine ornata sunt, & solus Christus in suo proprio dominio, sine ulla injuria, magna cum pietate & reverentia conservatur caput. Summâ,* Meletius, ut Capitis Ecclesiastici axioma soli strenuè asseruit & vindicavit Christo; ita libro suo ἐν εἴδει ἐπιστολῶν ad Russorum varios Principes, περὶ τῆς ἀρχῆς τοῦ πάπα, quo eam loco habeat, perspicuè tradit. Meletium secuti sunt Maximus Margunius;

Ga-

Gabriel Severus Monembasiensis, Philadelphiæ Metropolita, *qui Venetiis* (verba sunt *Allatii* lib. cit. p. 997.) *diutissimè semper Schismatis fautor vitam egit, contra quinq; Concilij Florentini capita prolixum tractatum vernaculâ Græcorum linguâ scripsit*; Georgius Coresius Chius, Medicus, cujus contra Romanos extat scriptum, in quo 1. περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος. 2. περὶ τῆς ἀρχῆς τοῦ πάπα. 3. περὶ τοῦ ἐν δόξῃ πυρὸς καθαρτηρίου. 4. περὶ τῆς ἀπολαύσεως τῶν ἁγίων. 5. σύντομία τῶν ἰταλικῶν ἁμαρτημάτων. Quæ de Cyrillo Lucari, Meletii discipulo & successore dicenda restant, ad sequentis seculi Historiam rejicimus. Repeti interim possunt quæ scripsimus P.I. *Anal.* pag. 549. & deinc.

[g] Geneb. l. 4. pag. 742. *Ad Clementem VII. a. Ch. 1524. Helena avia & David AEthiopiæ Imp. literas & Legatos mittunt, obedientiam pollicentes, benedictionem & communionem Apostolicam deprecantes. Eas Latinas fecit Paulus Jovius, & in suum librum de Fide & moribus AEthiopum retulit Damianus Goes, Eques Lusitanus. Legatorum præcipuus erat Zaga Zabo. Elias Levites in lib. Bahur se cum eis contulisse narrat. Ad Emanuelem & Jo-*

hannem Lusitaniæ Reges iidem literas & Legatos mittunt, ad fœdus & amicitiam confirmandam, quam Emanuel per Alvaresium & ejus comites postulaverat. Et p. 759. *Davidis AEthiopum Imp. successor Claudius ad Johannem Portugalliæ scripsit de Communione Catholicorum Regum ineunda, & obedientia summo Pontifici præstanda. Jesuitas ad se missos satis quidem humaniter excepit, sed cæteris non potuit satisfacere, bello Maurico distentus, in quo victus est ac cæsus.* Id. a. Ch. 1554 *Johannes Moscorum Cæsar in tres Monachos Apostatas, hæresis Lutheranæ veneno infectos, sævire voluit; sed illi se fuga celeri è Moscovia in Lituaniam receperunt. Polonos istorum receptatores ex eo tempore odit graviùs. Quare susceptis in eos aliquot expeditionibus, 73. jam arces Lituanicas occupat.* Plura de infenso Moscorum in Reformatos animo, habet pag. 768. & 771. De reditu verò Ruthenorum ad Ecclesiam Romanam, agit Bzov. an. Ch. 1501. S. 21. De Abdisa filio Iohannis de domo Martia civitatis Muzal, electo Patriarcha, refert Geneb pag. 760. *Romam illum venisse, ut confirmaretur, atq; obtulisse Pio professionem fidei, & attesta-*

tionem

tionem manu sua pictam, & subscriptam die 7. Martij an. Ch. 1562. juràsse autem, se credere, recipere & approbare omnia, quæ in sede Apostolica tenerentur, & se (quem jam ad nutum suum finxerant Romani, Candidatum fortè alicujus beneficii) *id curaturum in sua jurisdictione, sub qua essent multi Metropolitæ, Episcopi, &c.* Confer. p. 765. Id. A. Ch. 1565. *Fuit Coloniæ vir grandævus ex Thebaide, ab Alexandrino Ægypti Patriarcha, qui ejusdem Patriarchæ nomine obedientiam Rom. Pont. in scripto offerret.* Vide plura pag. 774. 780. 783. 785. ubi partim de Orientalium cum Romanis consensu, partim de abalienato eorum in Reformatos scribit animo. Magnus cumprimis nostra ætate alastor, *Leo Allatius*, Græculus, fumos vendit magnos, magno de Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis consensione, libro: de quo suo loco.

[*b*] His artibus egerunt Alexandrini, de quibus supra: Accidit res gesta sub Clemente VIII. quando magnifica Ecclesiæ Alexandrinæ ad Romanum Pontificem visa venire legatio, à Gabriele Patriarcha, ut Ægyptii & Æthiopes primatum ac fidem Romanæ Ecclesiæ agnoscerent. Sed fraus erat Bartonis cujusdam, quod *Baronius*, qui in Append. T. VI. nimis prodigiosus auctarii hujus fuit encomiastes, discere debuisset ex aliis fidei suæ sociis. *Thomas à Iesu*, Carmelita lib. VII. de Convers.

Gent.c.6.pag.364. *Summum Ecclesiæ caput universalémq; Pastorem agnoscebant, ut latè in fine 6. Tomi Cardinal. Baronius scribit. Re tamen postea diligentiùs examinata, cujusdam Bartonis impostoris fuisse mendacium ac figmentum apparuit.* Ita Thuan. a. Ch. 1595: *celebratæ magna ceremoniarum pompa cum S. sede Alexandrinæ Ecclesiæ, quæ Coptorum dicitur, & Ruthenorum in Polonia reconciliationes. Jam ante per Joh Baptistam Gregorius 13. & Sixt. 5. cum Amba Johanne Patriarcha egerant, ut ad Ecclesiæ Rom obedientiã ipse & subjecti Episcopi redirent; ei successit Gabriel 93. à B. Marco, qui itidẽ ab Ambrosio Auriensi Episcopo, & Hieronymo vetere Presbytero sollicitatus, Abdelmessiam & Josephũ S. Macarij in AEgypti desertis Monachos, nec non Barsum Archidiaconum. Romam ablegaverat cum mandatis, exeunte anno 93. secundum Copttitarum calculum anno à Martyrum mundorum captivitate, sive ab exordio Imperij Diocletiani 1310. datis, iiq; admissi hoc anno ineunte & 16. Calend. Feb. ad Pontificis pedes prostrati fidei suæ confessionem fecere.*

ri, qua consentaneam Romanæ Ecclesiæ doctrinam, se amplecti professi sunt, ejerto de S. Sp. processione Græcorum errore, & assertis septem Sacramentis, ac S. S. Conciliis Niceno I. Constantinopolitano I. Ephesino Chalcedonensi, Constantinopolitano II. rejecta Synodo Ephesina altera, imò potius latrocinio, quod factioni Dioscori Alexandrini, occiso B. Flaviano Episcopo Constantinopolitano, Eutychianam hæresin confirmavit, Constantinopolitano item III. Concilio adprobato, ac Niceno II. atq; ad extremum Florentino, ac Tridentino, ante 32. annos ad finem perducto, & se primariæ sedis ejusq; Romani Episcopi tanquam Petri, Principis Apostolorum, & veri Christi vicarij totiúsq; Ecclesiæ capitis Principatum in universum orbem Christianum exercentis, auctoritati & censuris subjecerunt. Legatio autem illa Alexandrini à multis in dubium revocata est, quòd non Amba Johannes, aut Gabriel tunc Alexandrinæ Ecclesiæ præesset, sed Meletius Pegas dictus, Creta oriundus, qui Patavii literis operam felicissimè puer dederat, & linguam Latinam commodè di-

dicerat, ac postea Monasticam professus Sylvestro Patriarchæ in eo munere suffectus est. Evulgatæ ad rem revincendam à Georgio Duza literæ ad Johannem Nortovicum Patrem scriptæ, quibus Meletius valde se alienum ab ea fidei confessione testabatur; siquidem se Pontificem Romanum pro Pontifice Romano agnoscere: Cæterum Christum solum universalis Ecclesiæ caput cum Paulo prædicare. Cúmq; literæ illæ, quasi à Calvinianis confictæ arguerentur, prolata alia testimonia; & certè Meletius, Hebraicæ, Syriacæ, ac Arabicæ linguæ peritissimus, qui postea, Constantinopolin accitus est, ut veluti rerum totius Orientalis Ecclesiæ moderator esset, sic in luce omnium vixit, tótque suæ sacræ dignitatis & eruditionis singulares testes habuit, ut nomen ejus obscurum esse non potuerit. *Cupiebat ille summopere, occasione nata, in Galliam venire, ut ex ijs, qui humanissimum virum noverunt, intellexi, & doctissimorum virorum, quos famâ noverat, coràm familiaritate frui Sed nunquam se satis digna aut honesta occasio obtulit, ut tam diu à Patria ac munere suo abesse posset.* Vide & Scrut. Brere. c.13. *Non audiendus est* (inquit idem Brerevv. c.13.) *Alvarez,*

varez, qui in sua AEthiopiæ Historia Christianos Nubienses Pontificis Romani superioritatem agnovisse, & ab ipso consecratos Episcopos habuisse, scribit. Nam, præterquam quòd Salignіacus, Pontificis Protonotarius, & rerum Orientalium satis gnarus, id neget, & à proprio Antistite, quem sacerdotem Legis vocabant, rectos affirmet; certum quoq; est, nullam Ecclesiasticam Historiam, seu veterem, seu recentem hujus rei mentionem facere; certum, Concilium Nicænum, ut in Gelasio Cyziceno legimus, Nubiam; Patriarchæ Alexandrino aßignâsse, non dubium, Patriarchatum Alexandrinum inter Nubiam & Romam jacere: Nubas, Jacobitas (ut Cardinalis Vitriacus & Brocardus prodidere, & baptismus per crucis inustionem, quod apud Salignacum invenies, ostendit) fuisse, qui Patriarchæ Alexandrino subjacebant: denique eosdem, in summa Ecclesiarum neceßitate non ad Pontificem Romanum, ad quem, si ejus authoritatem agnovissent, confugissent, sed ad Regem Abyßinorum confugisse.

[i] Multa enim ὕπουλα habere, quæ de Chal-

dæis nonnullis, seu Nestorianis Pontifici se subjicientibus scribunt Pontificii, vel ex Concilii Tridentini actis manifestum est. Cùm enim Iulio III. hunc primùm detulissent honorem, suorumq. deinceps Patriarcharum confirmationem à Romana Ecclesia accepissent, Abdjesu, Sulakaini, ordinis S. Pachonii Monachi, successor, obtento à Papa, Pio IV. pallio ad Concilium Tridentinum perrexit, orationémque habuit, contra quam Orator Lusitaniæ protestatus fuit, Regem suum apud Antistites Orientales sibi parentes neminem Patriarcham superiorem scire: quæ protestatio multorum excitârat animos, ad varia absurda in oratione Patriarchæ excutienda, quæ alii haut segniter supprimebant & occultabant: *Hornbeck*, Summ. Controv. l. XI. p. 877. ex *Hist. Concil. Trid.* lib. VI.

[*K*] Sic 1. *Rutheni* quidam unione cum Romanis coaluerunt; alii (vide Comp. *Læti*. p. 509.) ab iis abhorruerunt. Imò, ut rectè observat *Ed. Brerevv.* in Scrutinio Relig. c. 9. *Qui in Russia nigra, seu ut, alii volunt, Rubra & Podolia, sub Imperio Regis Poloniæ habitant (quæ magno Duci paret, Alba dicitur) Pontifici quidem Romano an. D. 1594. se submisere, salva tamen religione Græca & ritibus, ut ex articulis, qui apud Thomam à Jesu de conversione Gentium l. 6. p. 3. c. 1. p. 328. patet, ut non iam à religione Græca defecisse, quàm juris-*

jurisdictionem Constantinopolitani Patriarchæ excussisse dicendi sint. 2. *Romanenses Chaldæi* nequaquam sunt comparandi cum reliquis numero; à quibus sunt repulsi fugatique; Nestorianis Chaldæis, ipsorumque Patriarcha nomen, sedem, potestatémque pristinam retinente. Vide *Scrut. BrereVV* c. 10. Meletii querela de unione Græco-Latina à paucis, plerisque insciis, vel contradicentibus, tentata, jam præcessit. Syri Melcitæ, id est, Orthodoxi nostri sunt, Maronitas & Iacobitas hæresium stigmate pridem notatos, si placet, habeant.

[l] *Thomas à Iesu*, lib. VII. c. 19. *At postea in Concilio Florentino, tempore Eugenii IV. celebrata est Armenorum unio cum Ecclesia Catholica, quamvis nunc apud Armenos ipsos, sicut nec apud Græcos, unionis in illo celeberrimo Concilio, præsente Imperatore Palæologo factæ, nullum ferè extat vestigiũ.*

Quæras: Quid de Syris habendum? Refert enim *Ioh. Albert. VVidmenstad.* præfat. in N. T. Syriac. I. Quòd, cùm Leo X. patrum Concilium à Iulio II. convocatum, ad Lateranum haberet, missi ex Syria fuerint Legati, Acurius, Iosephus Sacerdos, Moses Monachus Diaconus, & Helias Hypodiaconus. *Genebrardus* addit; destinatos eos fuisse à Petro, Maronitarum Patriarcha, è Monasterio S. Mariæ de Camibini in monte Libano an. Ch. 1515. Febr. 14. II. *Mosen Meredinæum* ex Mesopotamia Catholicum Sa-

Sacerdotem ab Ignatio Patriarcha Antiocheno, cùm ob alias gravissimas causas, tum ut Novi Testamenti volumen, prelo ex usorio multiplicatum, in Syriam reportaret, Romam missum oratorem fuisse. Quo Ignatius ipse tanquam Pastor prudens & attentus sacrorum Librorum inopiam, ex qua Christiani Syri, multorum annorum memoriâ, majorem in modum laborâssent, Latinæ Ecclesiæ beneficentiâ sustentare posset. Secuta paulò pòst an. Chr. 1555. editio ipsa, præsidibus *Alberto VVidmenstadio*, Iurisconsulto, & Austriæ Cancellario atque Mose Meredinæo. Resp. 1. Syrorum nomine vulgò ipsos Melcitas venire. *Brerevv. Scrut.* Rel. c. 7. *Demus igitur*, quod scribit *Gabriel Sion.* de nonnull. Orient. urb. c. 6. *Maronitarum Patriarchã, qui Antiochenus* (sed larvatus, vel schismaticus, *Brerevv.* l. cit.) *est, cum universo clero suo, maximo amore atque reverentia ferri in Pontificem Romanum, quem & summum pastorem, Christíque in terris legitimum atque unicum vicarium agnoscat*: nondum tamen obtinent, idem vel sentire, vel confiteri cæteros, majori numero (numerosissima enim, *Botero* teste, in toto Oriente esse putatur Melcitarum secta, Græcorum penitus religione imbuta) per Syriam dispersos Christianos. 2. Si vel maximè Pontifici tantum deferant; ejus tamen decretis vel communi Romanorum praxi illos palàm reluctari, patet, tum ex ipso Sionitæ loco citato; *Maronitas*

sacra

sacra celebrare linguâ Syriacâ, atque reliqua, quæ ad cultum DEI pertinent; tum ex instituto Ignatii Patriarchæ, qui linguâ vernaculâ extare voluit N. T. ne ignorantia & barbaries porrò nocere Christianis illis Asiaticis pergeret; quæ quidem Scripturas sacras transferendi libertas à Pontificiis publicis decretis damnatur. Vrget *Genebrardus* lib. 4. p. 754. titulos Epistolarum & Evangeliorum, per totum contextum inspersos, *è quibus appareat admirabilis omnium Ecclesiarum Orientis cum Romana consensio, ut de sacrificio Altaris sive Missa, de adoratione S. Crucis, de jejuniis, de Quadragesima, de cultu Divorum, de Festis eorundem, de ordinationibus Ecclesiasticis, &c.* Sed hos titulos versione ipsa longè esse posteriores, ipsis etiam Arabicis Ecclesiis ignotos, diximus in *Anal.* nostris pag. 282. & 330. Nihil igitur erat, cur dicam Genebrardus *Tremellio* impingeret, quòd noluerit, ἐπίβλημα ῥάκους ἀγνάφου ἐπὶ ἱματίῳ παλαιῷ ἐπιβάλλειν.

[m] *Genebrard.* l. 4. pag. 752. Siud à Nestorianis Syriæ, Assyriæ & Persiæ Patriarcha Mozal sive Seleuciæ Parthorum designatus an. Ch. 1552. Romam venit, ut à Pontifice ungeretur, cum Epistola populi Nestoriani, in qua summum Pontificem Patrem Patrum & Pastorem maximum nominant, Petrum temporis nostri, Paulum dierum nostrorum,

rum, cinguloque comprehendentem universum Christianorum cœtum, vicarium Christi, clavigerum regni cælestis, manu fortis civitatis & matris civitatum Romæ, quam piscatus est Petrus Apostolorum Princeps, & prudens Architectus Paulus. Addunt, se mittere Magistrũ nostrum, Siud virum doctum, temperantem, cælitum charitate præditum, excellentem omni vitæ probitate, quia sacerdotium nostrum (inquiunt) à priscis temporibus à Roma est, quę est sedes Petri, dolentque jam annis 300. viam interceptam esse, quominùs Romam tutò venire queant. Professio autem fidei Siud, quam Romæ professus est ore & scripto an. 1552. edita & versa est ab Andrea Masio. In ea recipit omnia Concilia, quæ Romana Ecclesia admittit, ejurat nominatim Nestorium, ut jam Christiani illi non videantur dici Nestoriani à Nestorio hæretico, sed à gente quapiam. *Hæc Gene.* Siud confessionem non vidi; Quod si tamen Nestoriani Nestoriana non est, emendicatam & pretio redemtam illam esse oportet; quod non novum huic hominum generi esse, Acta Florentinæ Synodi abundè probant. Sin autem in Nestorianorum consensu laudem quærunt Pontificii, cum Patribus illis, qui pridem Nestorium damnârunt, transigant. Pudebit eos, opinor, Nestorii; sed Nestorianis favent; pro ut Maronitæ Maronis nomen admirantur, ab hæretico tamen, qualis Maro ille fuit (vide *Sec.* 7. p. 448.) deduci nolunt.

[*n*] Hic enim quis consensus, cùm Papæ nomen dare videntur, salva tamen sua, Pontificiæ multum dis-

dissimili, religione: Talis unio fuit *Ruthenorum Nigrorum*, de quibus supra, pag. 90. Talis etiam fuit συγκατάθεσις Indorum seu Christianorum Thomæ, in quos adhuc an. Ch. 1562. jurisdictionem sibi vendicavit Abil Iesu, Mosalensis Patriarcha, teste Sandero: Postea à Lusitanis persuasi, nomen Pontifici Romano, sed nulla in ritibus & religione mutatione, permittente id in Synodo Goana Pontifice, facta, dedere. Tandem tamen 1599. in Synodo, Diamperæ, non longè à Maliapar celebrata, religionem quoque Romanam recepisse dicuntur, Vide *Brerevv. Scrutin.* c. 11.

Sectio III.
de
ECCLESIA OCCIDENTALI Pontificia.

I. Ecclesiæ Occidentalis Pontificiæ nomine eam intelligimus Ecclesiam, quæ & doctrinam, & regimen Pontificum Romanorum recipit & amplectitur.

II. In ea spectanda sunt tria 1. *Scholæ & Academiæ.* 2. *Monasteria.* 3. *Ecclesia.*

III. Absolvetur autem Seculi hujus Hi-

Historia tribus periodis: Prima ab initio seculi ad Reformationem. Secunda à Reformatione adConcilium Tridentinum. Tertia à Tridentino Concilio ad Seculi finem.

A.

De Scholis & Academiis.

IV. Scholæ [a] & Academiæ primo intervallo, quod superioris [b] seculi fato adhuc debetur, ita fuerunt comparatæ,ut;quamvis Antecessorum nonnullorum exemplo,[c] linguarum, cæterarúmq; bonarum, divinarum & humanarum,Literarum studia, [d] cultores suos habuerint & [e] fautores; ubique tamen ferè orbiChristano [f] tenebras, varias [g] ob causas, illatas fuisse & offusas,optimi quique viri deplorârint. Unde tot illorum querelæ de corrupta[h]Philosophia,linguis [i]contemptis & [k] neglectis; juris [l] civilis &[m]CanoniciPrudentia in tyrañidem, barbariem,& pecuniæ aucupium conversa, [n] Medicina [o] imperitè facta, ra-

Theologia profanè, [o] perplexè & confusè tradita; Academiarum temeraria [p] levitate, inconstantia, & intolerabili [q] licentia.

[a] Atqui ab his meritò facimus initium. Si enim talem habituri sumus Rempublicam, qualem nunc juventutem videmus: utique non alios Ecclesiarum sperare poterant Antistites, Majores nostri, quàm quos fingebant Scholarum Moderatores. Quæ quidem ratio est, cur paulò plenius hæc repetenda nobis videatur fundi Theologici calamitas. Magnorum & fide dignorum authorum verbis, prolixis quidem sæpe, sed apprimè necessariis, Scholarum & studiorum stragem proponemus, ne dum ipsi Rhetoricationibus sortem seculi deploraremus, calumniatores, heri nata pro veteribus obtrudere nos, conqueri possent. Aut quorsum Lectorem inanem semper dimitteremus, ad eos eum tantùm rejiciendo authores, quos nobis temporis injuria nunc ferè invidet?

[b] Vnde veniam dabit lector, si ad exactiorem aphorismi illustrationem, redeundum nonnunquam nobis sit ad Vallam, &c. aliósque seculi superioris scriptores, quibus, ut suo loco monuimus, & perspicuè satis *Casaub.* præfat. in Polyb. tradit, hæc reformatio magni constitit. Non ægrè hoc ferent adversarii, nisi melius postea habuisse & emendata fuisse, quæ in causa nostra urgemus, ostenderint.

[c] Hic enim se offerunt cultores linguarum Orientalium 1. *Iohannes Lapidanus*, quem suum

Præceptorem Lutetiæ agnoscit Ioh. Reuchlinus, de quo, Seculo sup. pag. 150. 2. *Ælius Antonius Nebrissensis*, *Iacobus Leopes*, *Stunica* Græcæ Hebraicæ & Arabicæ linguæ peritus, uterque Hispanus: *Geneb.* lib. 4. pag. 735. 3. *Petrus Galatinus*, Minorita, qui linguam Hebræam in Italia excoluit. *Id. ib.* Extat ejus opus de *Arcanis Catholicæ veritatis*, ex Hebræorum, Talmudistarum præsertim, libris, referatum. De una fidelia duos Author dealbare parietes voluit, defendere Capnionem contra Hochenstratum & asseclas; & Iudæos convincere impietatis atque perfidiæ. Placet hîc audire *Ioh. Morinum* de plagio fidei suæ socij ita triumphantem: *In eadem prorsus sententia* (ita verba ejus sonant, lib. de Græci Hebraic. Text. Sincer. l. 1. Exerc. I. c. 2.) *est Petrus Galatinus, Franciscanus Monachus, cujus eruditio Hebraica ab omnibus meritò laudatur, cuiq; omnia ferè quæ cæteri authores de Rabbinis, & Talmude citant, in fidei Christianæ defensionem, accepta referri debent: Ab eo enim, licèt fortè nonnulli sileant, ista mutuati sunt. Sed ipsius sententiam post Porchetum inutile est referre. Quæcunq; enim habet Galatinus toto libro suo, à Porcheto Carthusiano desumsit, nec Porcheti, vel de nomine, mentionem fecit.* Plagium sanè portentosum, cui vix simile unquam factum est. *Nam Galatini liber, nihil aliud*

est,

est, quàm Porcheti exscriptio, ipsismet Porcheti verbis, atq; etiam textuum Hebræorum translationibus conservatis, hoc si excipias, quòd elegantiæ causa quædam verba, & constructiones verborum immutantur. Est enim Porcheti phrasis Galatiniana multò simplicior. Deinde alius est ordo Galatini, & minutiùs distinctus, ideo ex uno Porcheti capite duo vel tria componit, & variè digerit, in quæ Dialogica sermocinatione alium paulò colorem inducit; sed in materia, de qua agimus, uterq; unum tantum caput confecit. Quæcunq; igitur ex Porcheto retulimus, eosdem authores citatos, eadem exempla, non plura neq; pauciora, quæ etiam de Esdra, Hillele, & S. Hieronymo apud Porchetum ibidem explicantur, habes c. 8. l. 1. Galatini de arcanis Catholicæ veritatis. Verba Galatini legisti, lector, cum Porcheti retulimus. Non id tantùm semel deprehendimus, sed toties quoties id periclitati sumus, mirati sanè, Galatinum Porcheto, reconditæ Judæorum Historiæ nihil super addere, præter frequentia testimonia ex libello Gale Razeja, quem librum omnes ju-

dai ignorant. Autor dicitur Rabbenu hakkadosch, qui traditiones seu Misnajoth ducentis ferè ante Concilium Nicenum annis composuit, quas Judæi Scripturæ Sacræ æquiparant. Istius libelli pater, quicunque ille sit, de mysterio Trinitatis adeò dilucidè & distinctè disserit, ut S.Athanasio verborum perspicuitate & expressione vix cedat, cæteríque Patres ante Concilium Nicænum, si cum isto omnium judæorum Magistro, & infensissimo Christianorum hoste comparentur, obscurè admodum de tanto mysterio locuti fuerint. Raimundus & Porchetus istum admirabilem mysteriorum Epoptem cum omnibus Judæis ignoraverunt. Citat præterea pauca quædam ex R.Simeone, filio Jochai, hoc est, ex libro zohar: non est enim author ille tam tractabilis, quàm illius Gale Razeja, sed liber ille cùm vivebat Raimundus, judæis erat incognitus, utpote ab iis in explicationem, & confirmationem deliriorum Cabbalisticorum nondum confictus, aut certè adhuc in cunabulis sinúque parentis. Nonnulla alia μυστηριώδη Porcheti sententiis interserit Galatinus, sed ubi Porcheti di-

dicta ta supergreditur Galatinus, Galatinũ deserunt authores Hebræi, qui sententiam confirment, parúmq; Hebræis animadversionibus, hoc scipione subducto, sæpe innititur. Porchetum excusum non vidit Galatinus, aut saltem ante excusum arcana sua composuerat. Excusus enim est Porcheti liber Parisiis anno salutis 1520. id procurante Augustino Nebiensi Episcopo, Linguarum Orientalium homine callentissimo: Galatinus autem opera sua Maximiliano I. Imperatori dicavit, qui, anno uno editionem illam præcedente, diem obierat. Nebiensis Schedularum Porcheti exemplar, ut pretiosum Thesaurum, magno redemerat, ut ipse testatur; sed cùm illiberale judicaret se solum tanto thesauro frui, juris publici librum fecit, prius ab eo hoc elogio commendatum: Demiratus ipse sum non semel, quonam pacto homo Christianus, Christianis natus parentibus, sed & Genuæ, qua in urbe ob religionis reverentiam, judæis interdicitur habitatione, potuerit omnia lustrâsse, quæ apud Hebræos habentur, quando penè infinita recenseantur. *Pluribus ejusmodi libris enumeratis, subjicit:* Hos tamen omnes ita citat Porchetus, ita eorum non

modò sententias, sed & verba, quin & apices ipsos in librum suum reponit, ut credas illum toto vitę tempore in Hebræorum Scholis versatum. *Laus est* hominis ἐβραϊκωτάτου. Ioannes Driedo lib. 2. de translatione Scripturæ, in argumento octavo Porchetum vocat diligentissimum librorum Hebraicorum indagatorem: eum quoque Sixtus Senensis in Bibliotheca sua refert & laudat. *Existimavit Josephus Scaliger, Epist. 241. Galatinum omnia sua surripuisse à Raimundo Sebon Dominicano: Sic scribit,* Galatini liber est epitome ingentis operis, cui nomen Pugio fidei adversus Iudæos, authore Raimundo Sebon Dominicano, qui ante 230 annos, plus minus, Tolosæ vivebat, ejúsque ingens opus ante aliquot annos in Collegio Tolosano extabat, & adhuc extare puto. Quare ingratus fuit Galatinus iste Franciscanus, qui ne semel quidem nomen Raimundi Sebon memoravit. *Extat adhuc, ut de hac re certiorem me fecerunt, qui viderunt & legerunt, illustrissimus Dominus de Montchal, Archiepiscopus Tolosanus, præsul non modò literatissimus, & librorum antiquorum ingenti supellectile instructus, sed etiam de literis, literarúmque studiosis optimè meritus: nec non eruditus juvenis, Franciscus Bosquetus docta Synopseos legum Michaëlis*

chaëlis Pselli è Græco in Latinum versione, & Historia Pontificum, qui è Galliis orti in ea sederunt correcta editione, horúmq; eruditis notis illustratione, apud omnes antiquitatis amantes meritò charus & acceptus. Extat prætereà Neapoli, in cœnobio B. Dominici, ut testatur Possevinus in apparatu sacro, his verbis: Scripsit contra Coranum Saracenorum. Librum item adversus judæos, quem prænotavit Capistrum Iudæorum; alterum quoque contra eosdem inscriptum, Pugio de diversitate errantium à via salutis, quem quidem Latinè atque Hebraicè manu propria scripsit, qui Neapoli in cœnobio D. Dominici asservatur. *Fallitur Scaliger, cùm authorem istum vocat Raimundum Sebon: vocabatur Raimundus Martinus. Sic eum vocant Porchetus, Augustinus Nebiensis, & Possevinus. Raimundus Sebon alius est author, Hispanus quoq;, Martino centum annis junior, cujus libri Hebraicas literas non sapiunt. Scribebat saltem Raimundus ille Martinus ante annos trecentos, cùm à Nicolao Lyrano honorificè commemoretur. Deniq; cum Porchetum Scaliger nunquam legisset, & Tolosæ in Raimundi manuscriptum codicem in-*

cidisset, Galatinum credidit à Raimundo arcana sua suffuratum, & magni operis compendium, præterito authoris nomine, composuisse. Verùm cùm ea, quæ Galatinus scripsit apud Porchetũ reperiantur omnia, eodem modo & ijsdem verbis, nec plura, à Porcheto, sua mutuatũ esse Galatinum, dictu magis est consentaneum. Porchetus quidem à Raimundo permulta mutuatus est, sed mutuum grato animo in præfatione non diffitetur. Sequar, *inquit*, literam codicum Hebræorum, Veteris scil. Testamenti, secundum quod translatum est à fratre Raimundo Martino, Hispano, Ordinis Prædicatorum, de partibus Cathaloniæ, à quo sumpsi hujus libelli materiam, in plerisque compilandi; Qui fuit vir eximius tam in scriptis Hebraicis & Arabicis, quàm Latinis. *Citando pergit*, qui quidem in prooemio sui Pugionis ait: Materia hujus libelli duplex est. Prima & principalis, autoritates Legis & Prophetarum totiúsque Veteris Testamenti. Secundaria verò, quædam traditiones, quas in Talmud & in Medraschim, id est, in traditionibus & Glossis antiquorum judæorum reperi, & tanquam margaritas quasi de quodam maximo fimario sustuli, non modicum lætabundus. Quas quidem in Latinum; Deo juvante; transferam, & inducam suis locis, atq; interseram, prout mihi visum fuerit expedire, *& cætera*

tera bene multa à Porcheto relata. Suspicatur Augustinus Nebiensis, Raimundum illum judæum fuisse, eò quòd existimet Porchetum, hominem Christianum, & Carthusiensem Monachum de judæis, sine alicujus judæi auxilio, spolia tam opima reportare non potuisse. Cæterum utriusq; labores vir Græcè, Hebraicè, Chaldaicè & Arabicè doctissimus ijs verbis commendat; quæ hic omittenda non videntur. His omnibus ipse utcunque instructus legi in Hebræorum monumentis bonam partem eorum quæ citantur, tum à Raimundo, tum à Porcheto, ut nullus sit reliquus dubitationi locus de allegationum fide; possúmq; rei hujus locupletissimam apud unum quemque fidem facere, atque id testimonio librorum, unde desumta est hæc pretiosa supellex, quos ferinè omnes mihi comparavi, observóque apud me perinde ac Reges margaritas & gemmas. *Hæc obiter adnotata sunto de verissimis arcanorum Catholicæ veritatis ex judæorum archivis depromtorum fontibus, Raimundo & Porcheto, qui primi Christianos docuerunt judaicam perfidiam propriis armis confodere, ut Goliathum David, & Holofernem judith, quorúmq; arvo feracissimo vix est hacte-*

nus qui glebam addiderit. Totum hunc ex Morino locum dare placuit, quòd & præsenti tractationi lucem afferat, & ut, unde Galatinus prodierit in tanta varietate sententiarũ meliùs constaret: Testem etiam haberemus, quàm fraudes illæ, suppositítiis adversarios convincendi scriptis, licenter in Ecclesiam irrepserint.

4. *Franciscus Ximenius*, Toletanus Archiepiscopus, de quo sup. secul. p. 259. Ejus opera a. Ch. 1515. Biblia Hebræa, Chaldaica, Græca & Latina, Complutensia vulgò dicta, edidit sex Tomis. Majorem apud omnes bonos iniisset gratiã, si à ridicula, quam habet in Præfatione, abstinuisset allegoria, qua rationem reddit, cur Latinam in medio esse voluerit; *Se*, inquit, *mediam inter Hebraicam & Græcam posuisse, tanquam duos hinc inde latrones, medium autem Jesum*, hoc est, *Romanam sive Latinam Ecclesiam.* De hac Editione prolixè agit *Bzov.* a. Ch. 1502. S. 12.

5. *Augustinus Nebiensis*, de quo *Sixt. Senens.* Bib. Sancta, p. 207. Augustinus Nebiensis in Corsica Insula Episcopus, patria Genuensis, ex illustri Iustinianorum familia, Prædicatorii ordinis Professor observantissimus, Theologus sincerè doctus, & linguarum omnium, quæ toto terrarum orbe dispersæ, peritissimus, novo & ingenti ausu primus omnium utrumque sacræ Legis Instrumentum quinque præcipuis linguis Hebræa, Chaldæa, Græca, Latina & Arabica in unum corpus, Octapla inscriptum, redegit, tanto artificio, ut in singulis paginis

ginis octo columnas disponeret, in quibus omnes prædictæ linguæ, propriis characteribus expressæ, totidem lineis, totidémque verbis sibi correspondentes, uno eodémque aspectu cernerentur. Hujus tam præclari operis ego duo tantùm volumina videre merui, videlicet ex Veteri Testamento ad Leonem X. Pontificem Max. in totum Psalterium octaplum typis excusum: cujus initium est: *Scio, Pater benignissime*: & ex Novo Testamento in universa quatuor Evangelia octaplum, ipsa autoris manu atramento minióque descriptum, cujus initium est: *Fructum salutiferum magnúmque utilitatis incrementum.* Notas ex Psalterio ejus dedimus in *Thes. Philol.* p. 278. Ita *Geneb.* l. 4. An. Ch. 1516. Augustinus Iustinianus, Episcopus Nebiensis, octaplum utriusque Testamenti quinque præcipuis linguis molitus, prægustamenti loco, Psalterium emittit. Novum etiam Testamentum more veteris Hebraici, per versiculos distinguit, numerorúmque notis dividit, cùm antea duntaxat distingueretur per paragraphos, literis A. B. C. &c. expressos ab Hugone Cardinali, sub an. 1240. quam versuum distinctionem deinceps nostri secuti sunt.

6. *Theseus Ambrosius*, *Geneb.* l. 4. pag. 736. Ab his (Syrorum ad Lateranense Concilium Legatis) Theseus Ambrosius, Albonesii Regulus, Iurisc. Syriacas literas didicit, à quo postea Canonico D. Augustini Bononiæ, illæ inter nos cæperunt propagari, Leone IV. Pontificatum administrante, quando

do Introductionem in linguam Chaldæam, Syriacam & Armenicam evulgavit. *Albert. VVidmenstadius* (quem, etsi is tempore posterior sit, septimo hîc ponimus loco) Præfat. in N. T. Syriac. addit. *Eum postea multis annis* (erat enim voto suo S. Augustini Canonico instituto obstrictus) *meditando tantùm profecisse, ut Syri quoq; ingenium ipsius, & acrem præsentémque in eo labore animum vehementer admirarentur.* Cæterùm cum ego (pergit *VVidmenstad.*) Christianæ salutis anno 1529. in Divi Caroli Cæsaris invictissimi, sacri diadematis causa, Bononiam proficiscentis comitatu essem, & mihi contubernalibusq; meis, Regii Lepidi, à metatoribus hospitium, juxta cœnobium, ubi Theseus jam senex vitam agebat, fortè attributum fuisset, postridie ejus diei templum ingressus, venerandum senem casu obvium salutavi: qui, ut me de Cænobii Bibliotheca rarísq; in ea libris sciscitari intellexit, è vestigio in conclave introduxit, & arreptis è pluteo sacro Sanctis Evangeliis Syriacè scriptis, *Hospes*, inquit ingemiscens, *peregrinis his studiis deditus sum annis circiter 15. eaq; sine rivali ad hanc diē amavi. Utinā obveniat mihi aliquando promto paratoq; ingenio vir, qui sermonem hunc Jesu Christi sanctissimis labris consecratum, posteris tanquam per manus tradendum; nam ætas mihi propè jam exacta est; à me accipere ve-*

velit. Cui ego, Pater inquam, si paucarum horarum operæ parcere nolueris, auditorem me habebis in hac ipsa expeditione expeditissimum. Quo audito Theseus, omneis in ea lingua Thesauros, multo sudore sibi comparatos protulit, manúque sua, quantum angustia temporis, ingeniíque mei vires tum ferebant, ex commentariis suis descripsit, & mihi ea obtestatione suppeditavit, ut quo me beneficio tum complecteretur, id olim apud Ecclesiam Iesû Christi collocarem. Quarto post anno in Bibliotheca Lactantii Ptolomæi reperi *quatuor Evangelistarum libros, una cum Ephremi & Jacobi Syrorum opusculis nonnullis,* quæ ipse mox transscripsi, atque cum Thesei munere splendidissimo conservavi, usque dum Simeonis, Syrorum, qui juga Libani incolunt, Episcopi Catholici & doctissimi viri institutione profeci adeò, ut sentirem Thesei desiderium, quod è Christi lingua in Latinam Ecclesiam introducenda cupiebat, leniri jam aliquantum posse.

8. *AEgidius, Viterbiensis Senator*; de cujus studiis Arabicis per Leonem Eliberitanum traditis, idem scribit *VVidmerstad.* l. c. Et cùm superioribus seculis Arabum literæ, post Græcarum disciplinarum interitum, propter Philosophiæ, Medicinæ, Astrologiæ, Chymisticæ aut Magicæ artis doctrinam tantum à nostris, iisque paucissimis expeditæ fuissent, eodem Leonis Pontificatu, iis literis rudimenta ejusmodi Romæ posita fuerunt, ut in earum incunabulis, Christianæ religioni opem & auxilium pol-

polliceri viderentur. Accidit enim, ut Ioh. Leo Eliberitanus (qui Mauris à Rege Catholico Hispania pulsis, fortunam gentis suæ secutus in Aphricam transmisit) Phessæ in literarum & artium Arabicarum studiis operæ multum poneret, atque Africâ, Asiáque annis aliquot peragratâ, in Mauritaniam ad suos rediturus propè Lothophagiten Insulam, à Classe nostra cum cęteris vectoribus caperetur, & propter ingenii amœnitatem, eruditionemque variam Leoni X. tanquam ex manubiis votiva donatio, Romam missus, sacro fonte tingeretur, Pontificique admodum charus esset: qua occasione Ægidium Viterbiensem senatorem doctissimum Arabicæ linguæ præceptis ad hoc diligenter compositis instituit: quo etiam tempore cùm & Justinianus Nebiensis Antistes ex hac vita, & Leo Eliberitanus, Catholica fide cum Punica commutata, Tunetem migrâsset, Arabicarum literarum dignitatem inter Christianos propè solus tueretur. Qui, ut à Hier. Scripando, gradu Senatorio, quem ille moriens reliquit, dignissimo viro, accepit, me Leonis audiendi causa in Africam, quod æstate superiore infeliciter tentaveram, denuo navigaturum, extremo vitæ suæ tempore Romam ad se invitavit, mihique de Arabici sermonis præstantia & utilitate multa commemorando, author fuit, ut ejus amorem, quem fatis ita fortasse impellentibus excitatum in me intellexisset, ne deponerem: nam se quoque, si vita incolumis foret, me quo posset favore, studio & benevolentia adjuturum.

9. *Aleander*; de quo *Sleid*. Comment. lib. 2. p. 22.

Alean-

Aleander erat Italus, patria Mottensis, Hebraicæ linguæ peritissimus: docuit aliquando bonas literas Lutetiæ: Romam profectus paulatim crevit, factus deinde Archiepiscopus Brandusinus, post etiam Cardinalis.

Cæteros, qui Linguarum subsidium ad Religionis reformationem contulerunt, suo loco, dabimus.

[d] Nullum disciplinæ genus fuit, quod jam non excoli cæperit. *Medicinam* vindicabant Nicolaus Leonicenus, Romæ; Ambrosius Leo Nolanus, Venetiis; Guilielmus Copus, Basileensis, & Iohannes Ruellius in Gallia: Thomas Linacer apud Britannos. *Ius Cæsarium* instaurabat Lutetiæ Guilielmus Budæus: apud Germanos Vdalricus Zasius: *Mathematicem* Glareanus Basileæ. Intra *Theologiæ Scholasticæ* spineta latitabant Monachi complures, quorũ postea celebre inter Theologos reformatos fuit nomen. In *gemina literatura* celebrabantur Erasmus apud Germanos, Budæus apud Gallos, Antonius Nebrissensis apud Hispanos. Reuchlinus Hebræas literas in Germaniam, Marcus Masurus Græcas Venetias inferebat. Virebant hoc tempore Iacobus VVimphelingus, Ludovicus Vives, Longolius, Hermannus Buschius, Conradus Goclenius, Petrus Mosellanus, Thomas Morus, Conradus Celtis, de quo ut & aliis, Suevis maximam partem, literarum hoc seculo restauratoribus, agitur in Addit. *Bas.* ad Naucl. pag. 309. & 316. b. In spem verò novi seculi efflorescebant, Beatus Rhenanus, Simon Gryneus, Brentius, Frechtus, & Philippus ille Melanchthon, de quo hoc legimus *Erasmi* præsagium

gium prima Edit.N.T.1515. *At Deum immortalem, quam non spem de se præbet etiam adolescens, & penè puer, Philippus ille Melanchthon, utraque literatura penè ex æquo suspiciendus? quod inventionis acumen? quæ sermonis puritas? quanta reconditarum rerum memoria? quàm varia lectio? quàm verecunda regiaque prorsus indolis festivitas?* *Scultet.* Annal. Dec. 1. a. Ch. 1516.

[e] *Id.* p. 3. Porrò, cùm in Comitiis VVormatiensibus, quæ prima Maximilianus, Friderici filius, anno 1495. celebravit, omnibus suffragiis decretum fuisset, ut Septemviri in sua quisque ditione, publicis scholis sedem figerent: *Fridericus* Saxoniæ Elector 1502. VVittembergæ, *Ioachimus* I. Brandeburgicus Elector (maximus, imò unicus tum ferè literatorum Germaniæ Mœcenas: *Basel.* in Add. Naucl. p. 308.) 1506. Francofurti ad Viadrum Academias condidere. Et, quod mireris, uno & eodem tempore in diversis mundi regionibus intermortua pridem studia, in vitam revocabant, *Leo X.* Pontifex, Romæ: apud Hispanos *Cardinalis Toletanus*: apud Anglos *Rex Henricus*, ejus nominis octavus, quo imperante plurimos Anglia aluit viros doctos, de quibus *Bal.* Cent. 8 p. 633. & deinc. novaque aliquot erecta sunt Collegia, *Bzov.* an. Ch. 1509. S. 15. Apud Belgas *Rex Catholicus*: Apud Gallos *Rex Franciscus*, qui (referente *Sleid.* l. 19. an. Chr. 1547. pag. 236.) *prandens atque cœnans ferè loque-*

loquebatur de literis, & avidissimè quidem, usus ad eam remper multos annos Jacobo Colino, homine docto, & in lingua populari mirabiliter facundo: post hunc subit Petrus Castellanus. Ab iis, quicquid est in Poëtarum, Historicorum, Cosmographorum libris, hauserat: quitquid de plantis, herbis, animalibus, metallis, gemmis prodiderunt Aristoteles, Theophrastus, Plinius, & id genus alij, multo, sicut dictum est, usu & quotidiana recitatione cognitum habebat & exploratum: de Mathematicis etiam & rebus divinis frequens erat collocutio. Circumsistebant mensam omnis ordinis viri magnifici. Et quoniam de variis argumentis inferebatur sermo, vix erat ut nō ex ijs aliqui semper in medium aliquid adducerent: & id quidem unicuiq; licebat, qui modò esset paulò notior: Exemplum etiam istud, studiumq; Regis multos, ut cum laude coram eo differere possent, ad majorem diligentiam exacuit. In sua lingua semper habitus est inprimis eloquens atq; gravis. Per Italiam atq; Græciam habebat, qui veterum authorum scripta conquirerent atq; descri-

berent: & bibliothecam instituit amplissimam, qua libros aliquot insignes postea dedit: ejus erat custos Castellanus, Episcopus Matisconensis, qui defuncto (vide pag.239.) *Regi, sermonem funebrem habiturus, inter alia multa, Regem constituisse prædicat exædificare Collegium, in quo docerentur omnes artes & linguæ, & ad studia literarum alerentur sexcenti, ad eamq; rem designâsse dicit aureorum millia quinquaginta annua.* Confer. *Bzov.*a.Ch.1533.S.22.*Thuan.*Hist. l.3.p.141.

Quid de *Italo* & *Ferrando cordubensi* sentiendum sit, viderint alii, nobis nudam dedisse Historiam sufficiet: De qua, ex Trithemio, *Bzov.*an. Ch.1501.S.18.19. His ipsis diebus, *inquit*, Lugduni in Gallia apparuit quidam *Italus*, nomine *Italus*, qui se *Mercurium* maluit appellari propter omnimodam, quam profitebatur scientiam antiquorum. Vxorem circumduxit, & filios omnes lineis indutos, & imitatione Apollonii Thyanensis quondam Philosophi, catenam ferream à collo portantes. Magna promittebat, & se veterum Hebræorum, Græcorum & Latinorum omnium perfectissimam gloriabatur habere scientiam. Contemtor veterum, se cunctos eruditione excellere putabat, asserens, neminem Græcorum, vel Latinorum præter se unicum fuisse sapientem, se namque in omni scientia Mundi consummatum ostendebat, rerum-

rumque naturalium, & arcanorum omnium Interpretem profundissimum esse confirmabat. Magnam in publico præ se ferebat gravitatem, moribus & incessu severus, cum mendicitate vitam ostentans se ducere Propheticam, se natum ad res summas testabatur, & divino numine plenum. Metallorum transmutationem veram promittebat, & nihil ignorare videri appetebat, artem secutus Magicam, ut dicebat, naturalem, quam prisci Reges & sapientes in pretio habuissent. Se felicia infelicitare, infeliciáque felicia reddere posse pollicebatur. Aliquanto tempore apud Regem Gallorum fuit, cui duo dona contulisse memoratur; alterum fuit ensis centum, & octoginta gladiolis refertus; alterum verò clypeus mirabili speculo illustratus; quę duo miranda sub certa constellatione facta in quodam libello commemorabat, & quem essent productura effectum vi naturę secretum manifestabat. Rex volens hominis experiri scientiam, præcepit, Medicos convenire omnes, gratiâ Disputationis, qui ignari hominem refellere, illum, facto examine, supra hominem sapere, & cunctos mortales sapientia superare dixerunt. Aurum, quo illum Rex honoravit, omne pauperibus distribuit, & sua paupertate contentus, sibi omnibus penitus nihil reservavit. Venit & alter ex Hispaniis in Galliam, *Ferrandus Cordubensis*, miles auratus, Artium, Medicinæ & Theologiæ Doctor, qui universam Parisiorum Scholam sua mirabili scientia vertit in stuporem. Erat enim in omni facultate scripturarum doctissimus, vita, & conversatione honestissimus, non sicut ille, de quo diximus, arrogans & superbus, sed

humilis multùm,& reverentia plenus. *Memoriter tenuit Bibliam totam, Nicolaum de Lyra, Scripta S.Thomæ Aquinatis, Alexandri de Hales, Johannis Schoti, S.Bonaventuræ & aliorum in Theologia complurium. Decretum quoque, & omnes utriusq; Juris libros, & in Medicinis Avicennam, Galenum, Hippocratem & Aristotelem atque Albertum, omnésque Philosophiæ & Metaphysicos libros, & commentaria ad unguem* (ut ajebant) *memoria retinebat.* In allegando fuit promtissimus, in disputando acutus, & à nullo unquam superatus. Denique linguas Hebraicam, Græcam, Latinam, Arabicam, & Chaldæam perfectè legebat, scribebat ac intelligebat. Romam à Rege Castellæ missus orator, in omnibus Italiæ, Galliæque gymnasiis publicè disputans convicit omnes, ipse à nemine vel in minimo convictus. *Varia de ipso inter Doctores Parisienses erat opinio: alijs Magum illum ac Dæmone plenum cavillantibus, aliis sentientibus contrarium. Non defuerunt qui Antichristum putarent, propter incredibilem scientiam Scripturarum, qua cunctos mortales videbatur excellere.* Carolo Duci Burgundiorum, Astronomica vaticinatione, longè antè prædixit interitum. Commentaria in Alma-

magistum Ptolemæi edidit, & in Apocalypsin S. Iohannis Evangelistæ, aliáque opuscula conscripsit. Verùm, quo pervenerit, (monet *Nicol. Basel.* in Addit. Naucl p. 304. b.) aut qualem vitæ habuerit finem, nihil certi scribitur.

[*f*] Qua de re egimus in *Dissert.* de Necess. Reform. S. IV. quibus commodè addimus querelam ἀνδρὸς πολλῶν ἀντάξίου ἄλλων, *Iohannis Reuchlini* ex præfat. lib. de Accent. a. Ch. 1517. editi. *Quondam nempe adolescens ego, dum asperam & rudem seculi superioris Phiosophiam apud Rauracos meditor, statim ad cultum, & æquabile genus orationis Latinæ, sive solutam velles, sive modis vinctam, adjeci animum, interque primos Professores ut esset aliquis etiam usus mei in restituendis literis, extra ordinem, utriusque generis authores publicè docui. Atque id primum studio, magis ut Grammatici, quàm elegantes haberemur; quid enim requireres amplius ab hominibus, qui annos jam supra trecentos aliud nihil moliebantur, quàm ut barbari essent? Unde cum loquendi vitio, amor etiam & voluptas quædam balbutiendi insederat. Sed prosperè cessit. Magnæ rei non frustra manū admoliti sumus, tametsi stre-*

nuè refragarentur initio istius generis Magistri, quos hodie scilicet hostes patimur, quibus corruptissimo judicio, & admirabili φιλαυτίᾳ tumentibus, nihil præter feces suas rectè probatur. Jam usu res explendescebat, fiebatque ut purius & scriberet & diceret juventus Germanica, idque me auspice. Deinde accessit Græcarum literarum studium, sine quibus nemo sat politus censeri potest. Hisce ad Philosophiam revocabamur Aristotelicam, quæ nonnisi à Græcis hominibus propriè ac ritè tradi solet. Huc aspirabant, si qui bonis ingenijs non corrupta ista & perturbata disciplina infecti erant. Sensim pueriles Scholarum nugæ deserebantur. Ibi verò supercilia attollentes veternosi Sophistæ mirum ut ridiculi, ajebant, literarum genus à nobis tractari alienum à Romana pietate, Græcos Schismaticos esse. Interdictas eorum disciplinas, contra Ecclesiæ decreta, nobis Magistris prodi. Viden' quanti ratio mihi primorum studiorum constiterit, per quæ rerum discrimina, quid passus à Sophistis, effecerim ut resipisceret Germania vel tandem? Scholasticum superioris

perioris Seculi statum joco quidem & sale, eruditè tamen depinxit *Erasmus* ; in sua Moria, qua quid in Philosophis & Theologis sui temporis desiderârit, posteritati constare voluit. Pauca quædam, ἱστορίας ἕνεκα, excerpamus. *Adjungamus his* Dialecticos ac Sophistas *hominum genus, quovis ære Dodonæo loquacius, ut quorum unus quivis cum vicenis delectis mulieribus, garrulitate decertare possit, feliciores tamen futuri, si tantùm linguaces essent, non etiam rixosi, adeò ut de lana caprina pertinacissimè digladientur, & nimium altercando plerunque veritatem amittant. Hos tamen sua φιλαυτία beatos reddit, dum tribus instructi syllogismis, incunctanter audent quavis de re, cum quovis, manum conserere. Cæterum pertinacia reddit invictos, etiam si Stentorem opponas. Sub hos prodeunt Philosophi, barba pallióque verendi, qui se solos sapere prædicant, reliquos omnes mortales umbras volitare.* Porrò Theologos *silentio transire forsan præstiterit,* καὶ ταύτην καμαρίναν μὴ κινεῖν, *nec hanc Anagyrim tangere, utpote genus hominum mirè superciliosum, atque irritabile, ne fortè turmatim sexcentis conclusionibus adoriantur,*

& ad palinodiam adigant, quòd si recusem, protinus hæreticum clamitent. Nam illico solent hoc terrere fulmine, si cui sunt parùm propitij. Sanè quamquam non alij sunt, qui minus libenter agnoscant meam in se beneficentiam, tamen hi quoq; non mediocribus nominibus obstricti sunt, dum felices sua philautia, perinde quasi ipsi tertium incolant cælum, ita reliquos mortaleis omnes, ut humi reptantes pecudes, è sublimi despiciunt ac propè commiserantur, dum tanto magistralium definitionum, conclusionum, corollariorum, propositionum explicitarum & implicitarum agmine septi, tot exuberant κρῆς φυγέτοις ut nec Vulcanijs vinculis sic possint irretiri, quin elabantur distinctionibus, quibus nodos omneis adeò facile secant, ut non Tenedia bipennis melius, tot nuper excogitatis vocabulis, ac prodigiosis vocibus scatent. Præterea, dum arcana mysteria suo explicant arbitratu, qua ratione conditus ac digestus sit mundus? Per quos canales labes illa peccati in posteritatem derivata sit, quibus modis, qua mensura, quantulo tempore in virginis utero sit absolutus Christus, quemadmodum in Synaxi accidentia subsistant sine domicilio? Sed hæc protrita. Illa demum magnis & illuminatis (ut vocant) Theologis,

gis, digna putant, ad hæc, si quando incidunt, expergiscuntur, Num quod instans in generatione divina? Num plures in Christo filiationes? *Num possibilis Propositio: Pater Deus odit filium? Num Deus potuerit suppositare mulierem, num Diabolum, num asinum, num cucurbitam, num silicem? Tum quemadmodum cucurbita fuerit concionatura, editura miracula, figenda cruci?* Et quid consecrâsset Petrus, si eo tempore consecrâsset, quo corpus Christi pendebat in cruce? Et num eodem tempore Christus homo dici potuerit? Et num post resurrectionem edere aut libere fas sit futurum? Iam nunc famem, sitimque præcaventes. Sunt innumerabiles λεπτολεσχίαι, his quoque multo subtiliores; de instantibus, de formalitatibus, de quidditatibus, ecceitatibus, quas nemo posit oculis assequi, nisi tam Lynceus, ut ea quoque per altisimas tenebras videat, quæ nusquam sunt. Adde nunc his γνώμας illas adeò παραδόξους, ut illa stoicorum oracula, quæ paradoxa vocant, crasissima præ his videantur, & circumforanea, *velut, levius esse crimen, homines mille jugulare, quàm semel in die Dominico calceum pauperi consuere. Et potius esse committendum, ut universus orbis pereat, una cum victu & vestitu, quod ajunt, suo, quam unicum quantumlibet leve menda-*

ciolum dicere. Iam has subtilissimas subtilitates subtiliores etiam reddunt tot Scholasticorum viæ, ut citius è Labyrinthis temet explices, quàm ex involucris Realium, Nominalium, Thomistarum, Albertistarum, Occamistarum, Scotistarum, & nondum omnes dixi, sed præcipuas duntaxat. In quibus omnibus tantum est eruditionis, tantum difficultatis, ut existimem ipsis Apostolis alio Spiritu opus fore, si cogantur hisce de rebus, cum hoc novo Theologorum genere, conserere manus. Paulus fidem præstare potuit, at cùm ajt, fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium, parùm magistraliter definivit. Idem ut charitatem optime præstitit, ita parùm Dialecticè vel dividit, vel finit, in priore ad Corinthios Epistolas capite decimo tertio. *Ac piè quidem illi consecrabant synaxin, & tamen rogati de termino à quo, & termino ad quem, de transsubstantiatione, de modo quo corpus idem sit in diversis locis, de differentia, qua corpus Christi in cœlo, qua fuit in cruce, qua in Sacramento Synaxeos, quo puncto fiat transsubstantiatio, cùm Oratio per quam ea fit, ut quantitas discreta, sit influxu,* non pari, sicut opinor, respondissent acumine, quo Scotidæ disserunt hæc, ac definiunt. Noverant illi Iesu matrem, sed quis eorum tam Philosophicè demonstravit, quomodo fuerit ab Adæ macula præservata, quàm nostri Theologi? Petrus accepit claves,

ves, & accepit ab eo, qui non committat indigno, & tamen an intellexerit, nescio, certè nusquam attigit subtilitatem, quomodo scientiæ clavem habeat is quoque, qui scientiam non habeat. Baptizabant illi passim, & tamen nusquam docuerunt, quæ sit causa formalis, materialis, efficiens & finalis baptismi, nec Characteris delebilis, & indelebilis apud hos ulla mentio. Adorabant quidem illi, sed in Spiritu, nihil aliud sequentes quàm illud Evangelicum: Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum in Spiritu & veritate, oportet adorare. Verùm, haud apparet, illis tum fuisse revelatum, *una eadémque adoratione, adorandam imaguncolam carbone delineatam in pariete, & Christum ipsum, si modò duobus sit porrectis digitis, intonsa coma, & in umbone, qui adhæret occipitio, treis habeat notas.* Quis enim hæc percipiat, nisi triginta sex annos totos, in Physicis & ultra mundanis Aristotelis contriverit? Identidem inculcant Apostoli gratiam, at ijdem nusquam distinguunt, quid intersit inter gratiam gratis datis datam, gratiam gratificantem. Passim inculcant charitatem, nec secernunt infusam ab acquisita, nec explicant, accidens ne sit, an Substantia, creata res an increata. Detestantur peccatū, at emoriar, si potuerunt scientificè definire, quid sit illud, quod peccatum vocamus, nisi fortè Scotistarū Spiritu fuerunt edocti. Nec enim adduci possum, ut credam, Paulum, è cujus unius eruditione licet omneis æstimare, toties damnaturum fuisse quæstiones, disceptationes,

tiones, genealogias, & ut ipſe vocat, λογομαχίας, ſi eas percalluiſſet argutias, præſertim cùm omnes illius temporis contentiones, pugnæque ruſticanæ fuerint & craſſæ, ſi cum Magiſtrorum noſtrorum plusquàm Chryſipeis ſubtilitatibus, conferantur. Quanquam homines modeſtiſsimi, ſi quid fortè ſcriptum ſit ab Apoſtolis, indolatius, parumque Magiſtraliter nondamnant quidem, ſed commodè interpretantur. Hoc videlicet honoris, partim antiquitati, partim Apoſtolico momini deferentes. Et hercle, parùm æquum erat, res tantas ab illis requirere, de quibus ex Præceptore ſuo, ne verbum quidem unquam audiviſſent. Idem ſi eveniat in Chryſoſtomo, Baſilio, Hieronymo, tum ſat habent aſcribere, *non tenetur.* Et illi quidem confutârunt Ethnicos, Philoſophos ac Iudæos, ſuapte natura pertinaciſsimos, ſed vita magis ac miraculis quàm Syllogismis tum eos, quorum nemo fuerint idoneus, vel unicum Scoti Quodlibetum, ingenio conſequi. Nunc quis Ethnicus, quis Hæreticus non continuò cedat, tot tenuiſsimis ſubtilitatibus, niſi tam craſſus, ut non aſſequatur, aut tam impudens, ut exibilet, aut iisdem inſtructus laqueis, *ut jam par ſit pugna, perinde quaſi Magum cum Mago committas, aut ſi gladio fortunato pugnet aliquis cum eo, cui gladius ſit fortunatus.* Tum enim nihil aliud, quàm tela Penelopes retexeretur. Ac meo quidem judicio ſaperent Chriſtiani, *ſi pro pinguibus iſtis militum*

cohor-

cohortibus, per quas jam olim ancipiti Marte belligerantur, clamosissimos Scotistas, & pertinacissimos Occamistas & invictos Albertistas, una cum tota Sophistarum manu, mitterent in Turcas & Saracenos, spectarent opinor & conflictum omnium lepidissimum, & victoriam non ante visam. Quis enim usque adeò frigidus, quem istorum non inflamment acumina? Quis tam stupidus, ut tales non excitent aculei? Quis tam oculatus, ut hæc illi non maximas offundant tenebras? Verùm hæc omnia videor vobis propemodum joco dicere. Nec mirũ sanè, cùm sint & inter ipsos Theologos, melioribus instituti literis, qui ad frivolas, ut putant, Theologorum argutias nauseant. *Sunt qui velut sacrilegii genus execrentur, summámque ducant impietatem de rebus tam arcanis & adorandis magis, quàm éxplicandis, tam illoto ore loqui, tam prophanis Ethnicorum argutiis disputare, tam arroganter definire, ac divinæ Theologiæ Majestatem, tam frigidis imò sordidis verbis simul & sententiis conspurcare.* At interim ipsi felicissimè sibi placent, imò plaudunt, *adeò ut his suavissimis næniis, nocte diéque occupatis, ne tantulum quidem otii supersit, ut Evangelium, aut Epi-*

Epistolas Paulinas vel semel liceat evolvere. Atque interim dum hæc nugantur in Scholis, existimant sese universam Ecclesiam, alioquin ruituram, non aliter Syllogismorum fulcire tibicinibus, quàm Atlas cœlum humeris sustinet apud Poëtas. Iam illud quantæ felicitatis esse putatis, *dum arcanas literas, perinde quasi cereæ sint, prò libidine formant, ac reformant, dum conclusiones suas, quibus jam aliquot Scholastici subscripserunt, plusquam Solonis Leges, videri postulant, & vel Pontificiis decretis anteponendas, dúmque veluti censores orbis ad palinodiam trahunt, si quid usquam cum explicitis & implicitis eorum conclusionibus, non ad amussim quadrârit, ac non secus atque ex oraculo pronunciant,* hæc propositio scandalosa est, hæc parùm reverentialis, hæc hæresin olet, hæc malè tinnit, ut jam nec baptismus, nec Evangelium, nec Paulus aut Petrus, nec sanctus Hieronymus aut Augustinus, imò *nec ipse Thomas* Ἀριστοτελικώτατος *Christianum efficiat, nisi bacculauriorum calculus accesserit* : tanta est in judicando subtilitas. Quis enim sensurus erat, eum Christianum non esse, qui diceret: *has duas propositiones, Matula putes, & Matula putet: Item, ollæ fervere, & ollam fervere, pariter esse congruas, nisi*

sa-

ſapientes illi docuiſſent? Quis tantis errorum tenebris liberâſſet Eccleſiam, quos ne lecturus quidem unquam quisquam fuerat, niſi magnis ſigillis iſti prodidiſſent? Verùm, annon feliciſsimi, dum hæc agunt? Præterea, dum inferorum res omneis, ſic examuſsim depingunt, tanquam in ea Republ. compluréis annos ſint verſati? Præterea dum pro arbitrio novos orbes fabricantur, addito denique latiſsimo illo, pulcherrimóque, ne ſcilicet deeſſet, ubi felices animæ commodè vel ſpatiari, vel convivium agitare, vel etiam pila ludere poſſent. His atque id genus bis mille nugis horum capita adeò diſtenta differtaque ſunt, ut arbitrer, nec Iovis cerebrum æquè gravidum fuiſſe, cùm ille Palladem parturiens, Vulcani ſecurim imploraret. Quare nolite mirari, ſi videtis caput illorum tot faſciis tam diligenter obvinctum in publicis diſputationibus. Alioquin enim planè diſsilirent. *Illud ipſa quoque nonnunquam ridere ſoleo, cùm ita demum maximè ſibi videntur Theologi, ſi quàm maximè barbarè ſpurcéque loquantur, cúmque adeò balbutiunt, ut à nemine niſi balbo poſſint intelligi, acumen appellant, quod vulgus non aſſequatur.* Negant enim è dignitate ſacrarum literarum eſſe, ſi Grammaticorum legibus parere cogantur. Mira verò majeſtas Theologorum, ſi ſolis illis fas eſt mendosè loqui, quanquam hoc ipſum habent cum multis cerdonibus commune. Poſtremò jam Diis proxi-

mos

mos sese ducunt, quoties quasi religiosè Magistri nostri salutantur, in quo quidem nomine tale quiddam subesse putant, quale est apud Iudæos τετραγράμματον. Itaque nefas ajunt esse MAGISTER NOSTER secus quàm majusculis scribere literis. *Quòd si quis præposterè* Noster Magister *dixerit, is semel omnem Theologici nominis perverterit majestatem.* Ad horum felicitatem proximè accedunt ij, qui se vulgò *Religiosos ac Monachos* appellant, *utroque falsissimo cognomine, cùm & bona pars istorum longissimè absit à religione, & nulli magis omnibus locis sint obvii.* Is non video quid possit esse miserius, nisi ego multis modis succurrerem. Etenim cùm hoc hominum genus omnes sic execrentur, ut fortuitum etiam occursum ominosum esse persuasum sit, tamen ipsi sibi magnificè blandiuntur. *Primùm summam existimant pietatem, si usque adeò nihil attigerint literarum, ut ne legere quidem possint. Deinde cùm Psalmos suos numeratos quidem illos, at non intellectos, asininis vocibus in templis derudunt, dum verò se putant Divorum aures multa voluptate demulcere.* Et sunt ex iis nonnulli qui sordes ac mendicitatem magno vendunt, proque foribus magno mugitu panem efflagitant, imò in nullis diversoriis, vehiculis,

lis, navibus non obturbant, *non mediocri profecto reliquorum mendicorum jacturâ.* Atque ad eum modum homines suavissimi sordibus, inscitia, rusticitate, impudentia Apostolos (ut ajunt) nobis referunt. Quid autem jucundius, quàm quòd omnia faciunt ex prescripto, quasi, Mathematicis utentes rationibus, quas præterire piaculum sit. Quot nodos habeat calceus, quo colore cingula vestis, quot discriminibus varieganda, qua materia, quótque culmis latum cingulum, qua specie, & quot modiorum capax cucullus, quot digitis latum capillitium, quot dormiendum horas. Atque hæc quidem æqualitas in tanta corporum & ingeniorum varietate quàm sit inæqualis quis non perspicit? Et tamen his nugis, non alios modò præ se nauci faciunt, verùm invicem alii alios contemnunt, atque Apostolicam charitatem professi, ob aliter cinctam vestem, ob colorem paulò fusiorem, omnia miris Tragædiis miscent. Ex his videas quosdam adeò rigidè religiosos, ut summa veste nonnisi Cilicina utantur, intima Milesia, alios contra qui supernè linei sint, intimè lanei. *Rursus alios, qui pecuniæ contactum ceu aconitum horreant, nec à vino interim, nec à mulierum contactu temperantes.* Denique mirum omnibus studium, ne quid in ratione vitæ conveniat. Nec illud studio est, ut Christo similes sint, sed ut inter se dissimiles. Porrò magna felicitatis pars est in cognomentis, dum hi funigeros se appellare gaudent, & inter hos alii Coletas, alii Minores, alii

Minimos, alii Bullistas: Rursum hi Benedictinos, illi Bernhardinos, hi Brigidenses, illi Augustinenses, hi Guilhelmitas, illi Iacobitas, quasi verò parum sit dici Christianos. *Horum magna pars in tantum suis nititur ceremoniis, & hominum traditiunculis, ut patet unum cœlum, parum dignum esse tantis meritis, præmium,* haud cogitantes futurum, ut Christus contemptis his omnibus suum illud sit exacturus præceptum, nempe charitatis. Alius ostentabit aqualiculum omni piscium genere distentum. Alius Psalmorum centum effundet modios. Alius Iejuniorum myriadas annumerabit, & toties unico prandio penè dissuptam imputabit alvum. Alius tantum cæremoniarum acervum proferet, quantum vix septem onerariis navibus vehi posit. Alius gloriabitur sexaginta annos nunquam attactam pecuniam, nisi digitis duplici chirotheca munitis. Alius cucullam ingeret, adeò sordidam & crassam, ut nullus nauta suo dignetur corpore. Commemorabit alius, se plusquam undecim lustris spongiæ vitam egisse, semper eidem affixum loco. Alius raucam assiduo cantu vocem adducet. Alius lethargum solitudine contractum, alius linguam jugi silentio terpentem. At Christus interpellatis, nunquam alioquin finiendis gloriis, unde nam hoc, inquiet, novum judæorum genus? Vnicam ego legem verò meam agnosco, de qua sola nihil audio. Et olim palam, nulloque parabolarum utens involuero, paternam hæreditatem pollicitus sum, non cucullis, preculis, ine-

inediis, sed charitatis officiis. Nec eos agnosco, qui sua facta nimis agnoscunt, isti, qui me quoque sanctiores videri volunt, Abraxasiorum cœlos, si libet, occupent, aut ab his sibi novum extrui cœlum jubeant, quorum traditiunculas meis præceptis antepofuerunt. *Cùm hæc audient, & videbunt, nautas & aurigas sibi præferri, quibus putatis vultibus se se mutuò contuebuntur?* Sed interim spe sua felices sunt non absque meo beneficio. Atque hos quidem, quanquam à Republica semotos, nemo tamen audet contemnere; *præcipuè mendicātes, propterea quòd omnia omnium arcana teneant, ex confessionibus, quas vocant. Quæ tamen prodere nefas habent, nisi si quando poti, fabulis amœnioribus delectare se volunt*, sed conjecturis modò rem indicant, tacitis interim nominibus. *Quòd si qui hos crabrones irritânt, tum in popularibus concionibus, probè ulciscuntur se se, & obliquis dictis hostem notant, adeò tectè, ut nemo non intelligat*, nisi qui nihil intelligit. Nec prius oblatrandi finem faciunt, quàm in os offam objeceris. *Age verò quem tu mihi comœdum, quem circulatorem spectare malis, quàm istos in concionibus suis rhetoricantes*, omninò ridiculè, sed tamen suavissimè imitantes ea, quæ Rhetores de dicendi ratione tradi-

derunt? *Deum immortalem ut geſticulantur?* Vt aptè commutant vocem, ut cantillant, ut jactant ſe ſe, ut ſubinde alios atque alios vultus induunt, ut omnia clamoribus miſcent. Atque hanc orandi artem, ceu rem arcanam, fraterculus fraterculo, per manus tradit. Eam tametſi nō mihi eſt fas ſcire, tamen utcunque conjecturas ſequar. Primo loco invocant id quod à Poetis mutuo ſumpſerunt; *Dein, dicturi de charitate, à Nilo AEgypti fluvio, ſumunt exordium: aut crucis myſterium enarraturi à Babylonio Dracone, Bel, feliciter auſpicantur: De jejunio diſputaturi, à duodecim Zodiaci ſignis, principium faciunt, aut de fide verba facturi, duci de quadratura circuli præloquuntur. Audivi ipſa quendam, eximiè ſtultum, erravi, doctum volebam dicere, qui in concione celeberrima, divinæ Triadis myſterium explicaturus, quo & doctrinam ſuam non vulgarem oſtentaret, & Theologicis ſatisfaceret auribus, nova prorſus ingreſſus eſt via, nimirum à literis, ſyllabis, & oratione, tum à concordia nominis & verbi, adjectivi nominis & ſubſtantivi, mirantibus jam pleriſq; & Horatianum illud apud ſe muſſitantibus. Quorſum hæc tam putida tendunt?*

dunt? Tandem huc rem deduxit, ut in Grammaticorum rudimentis sic expressum ostenderet totius Triadis Simulachrum, ut nemo Mathematicorum, in pulvere posset evidentius depingere. Atque in hac oratione θεολωγότατος ille totos octo menses, ita desudârat, ut hodie quoque magis cæcutiat, quàm talpæ nimirum tota luminum acie, ad ingenii cuspidem avocata. Verùm, haud pœnitet hominem cœcitatis, ac parvo quoque putat emptam eam gloriam. Auditus est à nobis alius quidam octagenarius, adeò Theologus, ut in hoc Scotum ipsum renatum putes. *Is explicaturus mysterium nominis Jesu, mira subtilitate demonstravit, in ipsis literis latere quicquid de illo dici possit. Etenim, quòd tribus duntaxat inflectitur casibus, id manifestum esse simulacrum divini ternionis. Deinde quod prima vox* Jesus, *desinat in* S, *secunda* Jesum *in* m, *tertia* Jesu *in* u, *in hoc ἄῤῥητον esse mysterium. Nempe tribus literulis indicantibus eum esse summum, medium & ultimum. Restabat mysterium his quoque retrusius, Mathematica ratione, Jesus sic in duas æquales diffidit portiones, ut scilicet penthemimeres in medio resideret. Deinde*

docuit eam literam apud Hebraos esse, quam illi Syn (Schin) *appellent porrò* Syn, *Scotorum opinor lingua, peccatum sonat. Atque hinc palàm declarari, Jesum esse, qui tolleret peccata mundi.* Hoc tam novum exordium sic inhiantes admirati sunt omnes præcipuè Theologi, ut parùm abfuerit, quin illis acciderit, quod olim Niobę, cùm mihi propemodum evenerit, quod ficulno illi Priapi, qui magno suo malo, Canidiæ Saganæque, nocturna sacra spectavit. Nec injuria profectò. Nam quando similem ἔφοδον commentus est Demosthenes ille Grajus, aut Cicero Latinus? Illis vitiosum habebatur prooemium, quod à re foret alienius. Quasi verò non ad istum modum exordiantur & subulci, natura videlicet Magistra. At hi docti præambulum suum, sic enim vocant, *ita demum eximiè rhetoricum fore ducunt, si nusquam quicquam habeat, cum reliquo argumento confine; ut interim auditor admirans illud secum murmuret, quo nunc se proripit ille?* Tertio loco ceu narrationis vice nonnihil ex Evangelio, *sed cursim ac velut obiter, interpretantur, cùm id solum fuerit agendum.* Quarto loco jam nova sumta persona, quæstionem movent Theologalem, aliquoties οὔτε γῆς, οὔτε οὐρανοῦ ἁπτομένην, atque id quoque ad artem pertinere arbitrantur. Hic demum Theologicum attollunt supercilium, Docto-

res

res solennes, Doctores subtiles, Doctores subtilissimos, Doctores Seraphicos *magnifica nomina, auribus inculcantes. Tum syllogismos, majores, minores, conclusiones, corollaria, suppositiones frigidissimas, ac plusquàm Scholasticas nugas apud imperitum vulgus jactitant.* Superest jam quintus actus; in quo summum artificem præstare convenit. Hic mihi stultam aliquam *& indoctam fabulam, ex Speculo opinor Historiali, in medium afferunt,* & eandem interpretantur. Atque ad hunc quidem modum Chimæram suam absolvunt, qualem nec Horatius unquam assequi poterat, cùm scriberit; *Humano capiti, &c.* Sed audierunt, à nescio quibus, ingressum orationis sedatum, minimeque clamosum esse oportere. Itaque principio sic exordiuntur, ut nec ipsi vocem propriam exaudiant, quasi referat dici, quod nullus intelligat. Audierunt nonnunquam ad concitandos affectus, exclamationibus utendum esse Proinde presse alioqui loquentes, subinde repente vocem tollunt, furioso planè clamore, etiam cùm nihil opus. Iures elleboro homini opus esse, perinde quasi nihil referat, ubi clames. Præterea, quoniam audierunt, oportere sermonem in progressu fervescere, in singulis partibus, principiis utcunque sanè recitatis, mox mira vocis contentione utuntur, etiam si res sit frigidissima, atque ita denique desinunt, ut Spiritu defectos credas. Postremò didicerunt, apud Rhetores de risu

mentionem fieri,eóque student & ipsi jocos quosdam aspergere, ὦ φίλη ἀφροδίτη, quàm plenos gratiarum, quamque in loco, ut planè ὄνον πρὸς τὴν λύραν esse dicas. Mordent quoque nonnunquam, sed ita, ut titillent magis, quàm vulnerent. Nec unquam verius adulantur, quàm cùm maximè παῤῥησιάζεσθαι videri student. Denique tota actio est ejusmodi,ut jures eos à fori circulatoribus didicisse, à quibus longè vincuntur. Quanquam utrique alteris usque adeò sunt similes, ut nemo dubitet,quin aut hi ab illis, aut illi ab his Rhetoricen suam didicerint. Et tamen inveniunt hi quoque, mea nimirum opera, qui cùm hos audiunt, Demosthenes meros ac Cicerones audire se putant. Quod genus sunt præcipuè Mercatores ac mulierculæ, quorum auribus unicè placere student, quod illi nonnullam prædæ portiunculam, de rebus malè partis, soleant impartiri, si commodè fuerint palpati. Illæ cùm alii,multis de causis huic ordini favent, tum præcipuè,quod in horum sinus soleant effundere,si quid in maritos stomachantur. Hæc *Erasmus*, festivè quidem, sed verissimè,cui proinde Gerardus *Listrius* suis in Moriam notis luculentis ferè ubique in medium adductis exemplis, applaudit. Dolet & illi, *adeò crassos quosdam esse Theologos, qui vel ineptas quæstiunculas consectentur, vel arroganter magis, quàm piè docti sint: Supercilium quorundam Theologorum esse mirum, qui nihil non*

non definiant, ut qui ulli decretorum refragetur, aut ullum verbum commutet, statim illud odiosum nomen hæretici occlament, cùm palàm sit, nullum hominum genus longius abesse à vera Christi doctrina. Reprehendit, portenta vocabulorum, quæ nec apud Ethnicos reperiuntur, ut sorteitas, quidditas, qualificatio, ecceitas, transsubstantiare: Disputationes absurdas, non solùm in scholis publicis, sed etiam in concionibus ad plebem haberi, ut à quibus piæ aures abhorreant. Nihil penè aliud Theologos illos crepare, quàm notiones secundas, naturas communes, quidditates, respectus, ecceitates, atque id genus sexcenta alia. Ipsum Paulum Apostolum non satisfacere tam subtilibus ingeniis, cùm fidem definit, substantiam rerum sperandarum: Glossema quippe illud, quod in principio Decretalium occurrit, asserere; *Definitionem fidei à Paulo datam, non esse bonam, tum quòd conveniat spei, quæ etiam est substantia rerum sperandarum, tum quod tantùm loquatur de futuris.* Quæstiones Scholasticorum de termino ad quo & ad quem in Synaxi, tractatus *plurimum habere contentionis, & pietatis nihil.* Characterem Sacramenti vocari ab illis signum quoddam spirituale, impressum à Deo suscipienti Sacramentum non iterabile (cujusmodi sint Baptismus, confirmatio & ordo) manens indelebiliter:

de quo charactere neque sacræ literæ meminerint, neque Theologi veteres. Confinxisse Scholasticos hæc, ut rationem redderent aliquam, cur unum Sacramentum nonnisi semel, aliud frequenter liceat sumere. Vnde aliæ mox natæ quæstiones; utrum character sit forma absoluta, an relativum quid? Sit ne in potentia animæ, an in essentia? An baptizatis flamine & igni etiam insit character? An Mariæ & Christo etiam insit character? Theologorum conclusionem esse super *Dist.* 10 lib. 3. *Imagines rerum adorandarum eadem specie adorationis adorandas esse, qua ipsæ res significatæ: sic quod si res adorentur latria, latria & imagines adorabuntur, si dulia, dulia, si hyperdulia, hyperdulia. Nebulones quosdam otiosos passim parietes per otium imagunculis inficere, quas dicunt non minus adorandas, quàm ipsum Christum: Pingi autem Christum porrectis digitis, ut videatur dare benedictionem, aut cruci se munire.* Permultos esse Theologos Doctores, sibi familiariter notos, *qui ante quinquagesimum annum nondum evolverant omnes Pauli Epistolas. Esse, qui non accommodent suas sententias ad mentem Scripturarum, sed*

Scri-

Scripturas ad suam mentem trahunt, quod vocant fundare. Thomam ferè primum fuisse, qui Aristotelica miscuerit sacris. Multos existimare, nihil eruditum, nihil acutum, quod non sit barbaris ac spurcis dictum verbis. Quicquid elegans, illud ut Grammaticum aspernari. Nimium verum esse, quod scribat Erasmus, *Monachos ubiq; ferè esse execrabiles.* Olim Monachos fere Laicos fuisse, quales Benedictini & Francisci socii: Esse Monachos, qui putent irreligiosum, scire literas, præcipuè bonas, nec recipere eruditos, & libenter expellere fortè receptos, cùm ipsi ventres magis sint, quàm homines. Quod queritur Erasmus: Monachos pro foribus magno mugitu flagitare panem, ita confirmatur à *Listrio*, ut in hæc eruperit verba. *Pudet me, quoties id video. Et tamen videmus. Imò irrumpunt in diversoria publica, obstrepunt in mediis conviviis, nihil pudet sacerdotes.* Portentosa familiarum Monasticarum esse nomina, Christianæ illi & unitati & charitati inimica, quæ Paulus longè ante prævidens tantopere detestatus est, nullas volens factiones esse inter Christianos. Ex quibus discriminibus magnæ ac periculosæ nascantur discordiæ. De quibus, exclamat, *quid attinet dicere multa, cùm nemo nesciat?* Tantas esse homunculorum traditiones, ad quas solùm discendas vita non sufficeret. Et tamen nonnullos Christianos plus cere-mo-

moniis illis inanibus per se, tribuere, quàm spiritui, cujus nunquam scintillam senserint, quos tanquam nihil à Iudæis re differentes, novum Iudæorum genus stultitia, sed haud quaquam stultè, vocet Erasmus. Ne confessionis quidem sigillum Monachis ita esse munitum, quia pleni minarum, omnia effutirent. *Audivimus enim sæpe numero,* inquit, *narrantes, quicquid audiverint à confitentibus, ídque non ad ædificationem, sed ridendi causa. Nominant urbem, nominant collegium, denique domum, hominem quoque, si defunctus sit. Quasi satis sit, si vivum nominatim non prodant. Multa possent hoc loco referri de malis, quæ malo ob bonorum honorem reticere.* De Concionatoribus nulla nos sperare jubet meliora. Ab Ecclesia non malè institutum esse Iejunium verno tempore eos clamare, *Solem enim in jejunio illo, arietem, primum Zodiaci signum ingredi, eóque tunc omnia magis humescere & calescere, crassósque humores corporum, qui in hyeme, propter cœli frigiditatem resolvi non poterant, tunc resolvi incipere, atque idcirco paucis tunc egere corpora nutrimentis.* Hæc plebi proponi, addita, ut in mystaceo laureolam quærant, prolixa de zodiaco, ἐξηγήσ.

Vt

Vt plus scire videantur Aristotele, & Sophistas in scholis, & in concionibus fratres de quadratura circuli multa garrire. *Ipsos Theologos malle audire subtiles nugas fabellásque, quàm Evangelium, aut Paulinas Epistolas.* Hæc & id genus alia, quę joco exciderunt ante Reformationem Erasmo, seriò deplorantur à *Gerardo Listrio* viro magno, & inter Literarum restauraturus non postremo, ipsique adeò Erasmo charissimo: quæ ipsa deinceps ex aliis etiam authoribus κατὰ μέρη plenius in apricum proferentur. Quod antequam fuit, breviter, quàm apud multos, Monachos cumprimis scripto suo inierit gratiam, expendemus. Ægrè hanc Erasmi παῤῥησίαν tulerunt superciliosi ejus seculi Theologastri, unde cùm ζυμπάθειαν hoc suam ei nomine probare vellet *Martinus Dorpius*, non tantùm, Erasmus, ludendo & jocando verum dici posse; sed & purum à se dictum esse, palàm testatus est. *Quis nescit*, respondit inter alia; *quàm multa dici potuerint in malos Pontifices, in improbos Episcopos & Sacerdotes, in vitiosos Principes, breviter in quemvis ordinem, si ad Juvenalis exemplum non puduisset ea mandare literis, quæ multos non pudet facere?* Et paulò pòst: *Habet enim, id quod in confesso est, hoc hominum genus* (Theologos intelligit) *ad mixtos quosdam, primum*

mum ingenio judicióque adeò infelici, ut ad nullas omnino literas sint appositi, nedum Theologicas. Deinde posteaquam pauculas Alexandri Galli regulas edidicerint, ad hæc paululum Sophistices ineptissimæ attigerint. Pòst ex Aristotele decem tenuerint propositiones, nec has intellectas: Postremò ex Scoto aut Occam, totidem edidicerint quæstiones: Quod superest, ex Catholico, Mammetrecto, & consimilibus Dictionariis, velut ex copiæ cornu petituri, mirùm quàm cristas efferant, ut nihil est arrogantius imperitia. Isti sunt, qui contemnunt divum Hieronymum, ut Grammatisten, quia non intelligunt. Isti Græcas, Hebraicas, imò & Latinas rident literas. Et cùm sint quovis sue stupidiores, ac ne sensu quidem communi præditi, putant se totius arcem tenere sapientiæ. Et iterum: *Maria jocatur tantùm in otiosas Theologorum disceptatiunculas, nec has ipsas tamen simpliciter improbat, verùm eos damnat, qui in his solis Theologicæ rei puppim, ut ajunt, & proram collocant, quique logomachiis, ut divus appellavit Paulus, ejusmodi sic occupantur, ut nec*

Evan-

Evangelicas, nec Propheticas, nec Apostolicas literas vacet legere. Atque utinam, mi Dorpi, pauciores essent huic obnoxii crimini. Possem tibi producere, qui annum egressi octogesimum, tantùm ætatis in hujusmodi tricis perdiderint, nec unquam contextum Evangelicum evolverint, id quod à me compertum, ipsi quoque demum confessi sunt. Ne sub Mariæ quidem persona sum ausus dicere, quod tamen rarò multos audio deplorantes, Theologos & ipsos, sed verè Theologos, hoc est, viros integros, graves, eruditos, & qui Christi doctrinam penitus ex ipsis imbiberint fōtibus. Hi quoties apud eos sunt, apud quos fas liberas voces animi depromere, deplorant hoc recentius Theologiæ genus mundo invectum, & vetus illud desiderant. Hinc sæpe numero coguntur Theologi cordatiores aliud apud populum dicere, quàm vel apud se sentiant, vel apud familiares loquantur, & aliquoties non habeant, quod respondeant consultoribus, cùm perspiciunt, aliud docuisse Christum, aliud humanis traditiunculis imperari. Quæso, quid commercii Christo & Aristoteli?

li? Quid Sophisticis captiunculis,cum æterternæ sapientiæ mysteriis? Quorsum tot quæstionum labyrinthi? Inter quas quàm multæ sunt otiosæ,quàm multæ pestilentes, vel hoc ipso quod contentiones & dissidia pariunt. Breviter eo redacta res est,ut negotii summa non tam ex Christi præcepto, quàm ex Scholasticorum definitionibus,& Episcoporum qualiumcunque potestate dependeat. Quibus rebus sic involuta sunt omnia,ut ne spes quidem sit, mundum ad verum illum Christianismum revocandi. Hæc aliáque permulta perspiciunt ac deplorant sanctissimi, ijdémque doctissimi viri, quorum omnium præcipuam causam inaudax hoc & irreverens recentium Theologorum genus rejiciunt.

[g] De quibus doctissimè scripsit *Ioh. Ludovicus Vives*, Valentinus libr. 20 de disciplinis. Libro primo ostendit causas corruptarum artium in universum Initium facit *à tenebris ingeniorum*, cujusmodi sunt a. *naturalis* quædam *hebetudo* atque obscuritas, vel in universum ad omnia, vel ad eam ipsam rem atque artem ad quam se applicat; p. 10. b. *Superbia*, seu eminendi atque excellendi cupiditas,ut videatur habere,quæ nullus alius,aut quæ pauci, nempe altissima ac præstantissima; rara, nova,plurima aut omnia.

omnia. Vnde Grammaticus se unum putat sapere, desipere reliquos: Philosophus reliquos miseratur, ut pecudes: Iureconsultus alios omnes deridet: Theologus despicit: non quod se cæteras artes ignorare dicant, aut pręse ferant: imò nihil cunctantur confirmare sua illa una disciplina reliquas universas præstantius claudi ac contineri, quàm in libris eorum, qui de illis nominatim tradiderunt. L. Crassus apud Ciceronem omne disciplinarum atque artium genus, cognitione juris contineri asseverat, & quidem, si Diis placet, libello XII. tabularum. Hoc idem nostri Iurisconsulti habent persuasissimum. Grammaticus totam Philosophiam, quam latè se diffundit, Historicorum & Poëtarum libris contineri autumat, quos quam habeat in manibus, nihil sit, quod Aristotele aut Platone indigeat: pag. 13. c. *Invidia Magistrorum*, qui discipulis eruditionem inviderint, ne illi gloriam suam æquarent; p. 16. d. *Pudor discendi. Puduit enim à superioribus doceri, qui nullos volebant fateri superiores se.* Vnde nec malè dicta aut scripta emendantur. *Unus Aurelius Augustinus, vir tantus Retractationum libros reliquit simpliciter & bona fide, quem nullus est ad hoc tempus imitatus: videlicet mansueto vir ingenio, & modicè de se ipso sentiens. Isti nostri fastu, & superbia turgidi, inverti ac corrumpi malunt, quod non ignorant verum esse, quàm videri errâsse, aut*

K

fuisse, à quo monstrari illis aliquid potuerit: & tantò admonitionem ferunt acerbius, si quæ dixerint, literis consignata evulgârint. In quo maximam artes plagam accipiunt: p. 18. c. *Avaritia & ambitio.* Vulgo enim in eam opinionem ventum est, ut eruditio velut diurna quædam sit opera, cui ad vesperam honor aut utilitas veluti laboris merces necessariò sint paratæ: p. 19. Accedit postea ad tenebras *extrinsecus* ab authoribus, sive Doctoribus illatas, de quibus ordine agere nimis foret operosum. Nonnulla tantum excerpam, quæ fatum & statum seculi scholasticum plenius explicent. 1. *Partium studium*, de quo p. 32. Nullum est tam incorruptum disciplinæ genus, in quo non sint partes ac factiones, etiã in ipsa Theologia, ubi minimè congruebat. In disciplinis omnibus passim scribunt & docent periti, imperiti, boni, mali. Vnusquisque constantissimè defendit sua, nec est ulla adeò absurda, atque infelix secta, quæ non invenerit suos adjuratos. Deducitur ad Scholam filius ab indocto patre: quantæ felicitatis est non incidere in malum ac imperitum doctorem, quum ejusmodi sint plena omnia? Quid aliud est tum patri faciendum, quàm suscipere vota pro institutione sui filii. Venit eo adolescens novus, rudis omnium, imbuitur statim sectæ placitis: recipit, assentitur, afficitur priusquam possit judicare: audit dici omnia constantissimè à præceptore ingenti asseveratione vultus, superciliis sententiæ: Videt recipi omnia magno consensu atque admiratione

tione à condiscipulis, credit esse mera oracula, ita haurit tanquam certissima & indubitata, tanquam illa, quæ prima principia nominantur. Quare de motu, de tempore, de his quæ sunt in anima, de constitutione corporum, denique de rebus incompertissimis, omnia ingenti asseveratione confirmantur: ut si quis vel ambigat, non secus putet contra hunc non esse disputandum, quàm si negaverit unum quemque esse, aut non esse. Non solùm ita his se addicit & mancipat, ut ea modò censeat esse verissima, sed ut alia cujuscunque modi habeat suspecta; adeò judicio se spoliat præcipuo, non solùm in tractandis artibus bono, sed in tota vita, facultate inquirendæ veritatis aptissima. Multi eorum ne possunt quidem à receptis semel discedere, quum alia penitus nec legerint, nec audierint, ignari sint ne aliqua suis vel meliora, vel pejora, ut qui non credunt aliam esse Dialecticam, aliam Theologiam, quàm cui ipsi sunt dediti: quod mihi Lutetiæ, & aliis plerisq; meis condiscipulis contigisse memini. Quæcunque à receptis discrepant explosa, exibilata sunt velut insaniæ & furosis plena, nec cognita nec audita, tantùm ex suspicione, quòd cum suis non consentirent. Nunc quęcunq; ab Scholę placitis dissident, Scholastico Theologo sunt hæretica, quod quidem crimen ita vulgatum est, ut rebus quoq; levissimis impingatur, cùm sit ipsum per se atrocissimum. Idem inter se facerent Thomæ addictus de Scotico, hic vicissim de illo, nisi quod Scholæ assuefactio, in qua personant varię Scholasticorũ sententiæ audiendi sensum mitigasse ac emollivisse animũ

videtur. Nam qui sua non sunt cœnobia egressi, planè isti quicquid non est ex præceptis sectæ, refugiunt tanquam venena, & illico errorem clamant. Nec tam pertinaciter principes opinionum quamlibet obstinati pro suis inventis depugnâssent, quàm isti pro placito alieno. 2. *Authorum παρερμηνεία, & sensus genuini detorsio.* Si quid, inquit pag. 39. exempli causa dicitur, id judicant ab authore affirmari, quod frequentissimè in Aristotele faciunt. Quas Dominus noster ad facilem mentis suæ explicationem parabolas usurpat, isti pro Lege vitæ accipiunt, sic nos debere agere, quia sit in Evangelio. Novi qui diceret de bello, an sit justum, disputari non oportere, quod Dominus in Evangelio bellum approbârit. Quærenti quo loco, responderit, in parabola de Rege, qui bellum illaturus reputat, quibus copiis possit rem gerere. Item in illa de forti armato, custodiente atrium suum. Quid non pervertant hujusmodi judicia? His Paulus scripsit ad Romanos Romanè, ad Ephesios Hebraicè, Iohannes Evangelium suum Hebraicè, Hieronymus Græcè, & versus est ab Erasmo. Matthæus Latinè, & si quis tentet corrigere, id verò nihil sit aliud, quàm profiteri se Magistrum Spiritus Sancti: quàm tragicis verbis puerilia? Parem tribuerunt fidem omnibus. Dicat unus quilibet de rebus Romanis aliquid, puta Vincentius vel Antoninus, vel qui confinxit gesta Romanorum moralizata, tantum apud istos nactus est fidei, quantum Livius aut Suetonius; dicat de Cosmographia, quantum Strabo aut Mela: de jure, quantum Vlpianus,
aut

aut Papinianus: satis est esse scriptum, à quo, non putant referre: alba linea sunt omnes in albo saxo. In Hispania puer audiebam in fidem dicti alicujus citari librum impressum: hoc locupletissimum erat testimonium. Nempe, quòd vel de eodem, vel alio observat Melchior Canus in loc. commun. non putavit quicquam typis excudi, quod fidem non mereretur. Confer, quæ sequuntur pag. 58. & deinc. 3. *Pertinax disputandi cacoëthes*, de quo solidè & prolixè p. 42. quo fit, ut nihil tam liquidum, tam clarum, quod quæstiuncula aliqua velut vento excitato non perturbent. Quanta verò, rogat paulò post, hinc nascitur corruptela & moribus, & disciplinis, inflammatis animis & ad pertinaciam obfirmatis? Clamores primum ad ravim, hinc improbitas, sannæ, minæ, convitia dum luctantur, & uterque alterum tentat prosternere: consumtis verbis venitur ad pugnos, ad veram luctam ex ficta & simulata. Quin etiam quæ contingunt in palæstra, illic non desunt, colaphi, alapæ, consputio, calces, morsus, etiam quæ jam supra leges palæstræ, fustes, ferrum, saucii multi, nonnunquam occisi. Est ne hæc exercitatio sapientiæ? 4. *Rejectio veterum authorum*, de qua gravissimam movet querelam, pag. 45. 5. *Artium confusio*, quæ multos in Scholis peperit errores. Recentiores, scribit pag. 55 qua tandem dexteritate tractabunt artes, quum nesciant, quæ cujusque artis sit materia, qui finis & quasi scopus, quid agat, quo spectet, in quem usum discatur. Modò artes ex similitudine conjungunt & faciunt unam ex duabus diversissimis. Rhetoricam

vocârunt Grammaticam, quòd utraque esset de loquendo. Poetam dicunt Rhetorem, ob concinnam & modulatam orationem, Dialecticem de locis argumentorum Rhetoricen appellant, quia Rhetorica quoque inventionem argumentorum traderet. Modò ex artificibus distinxerunt.. Si quis bene loquatur Latinè, quia hoc in ludo literario putatur didicisse, Grammatica est, quicquid loquatur, & de quacunque re. Disserant duo de re eadem Philosophica, Latinè unus, alter vitiosè ac barbarè, quæ Latinus dixerit, erit Grammatica, quæ verò imperitus, Philosophia. Quæ Lyranus aut Hugo scribunt in N.T. Theologia est, quæ Erasmus, Grammatica: Idem de Hieronymo, Ambrosio, Augustino, Hilario dicturi, nisi nomen obstaret, tametsi etiam hic nescio quid mussant. *6. Imperitia cum arrogantia & impudentia.* Sed fortâssis; verba ejus sunt pag. 60, non adeò nocuisset imperitia, nî fuisset cum arrogantia & impudentia conjuncta: nam cessissent indocti melioribus, aut verecundè utique tradidissent, quæ sentiebant. At verò arrogantia audaciam & impudentiam confirmavit. Ita nihil dubitârunt, ut quæque in mentem veniebant, ea continuo cum ingenti supercilio asseverare; de formosissima portenta sunt illata in jus civile, in Theologiam, in Poetas, in Oratores: & ea erat sive confidentia, sive socordia, nunquam ut crederent futurum ullum, qui illa refelleret, quia refelli in præsens non poterant. *7. Mores professorum corrupti & avaritiæ studium.* Nostro tempore (pag 63.) qui artium doctrinam profitentur, nec ea exhibent, quæ sint cui-

cuiquam usui, nec se meliores viros, quàm illi, de quibus modò dixi. Cujus mali eadem causa est, nempe illa ipsa, quæ quibus cunque rebus se admiscent, magnam & præsentem perniciem affert rebus publicis, privatis, sacris, profanis, *aviditas pecuniæ.* Nam in Scholis quo in majore numero lautior esset docentis conditio, nullus est ingeniorum habitus delectus, admissi omnes promiscuè, & qui cum fructu aliquo versaretur in literis, & qui vel operam luderet & impensam, vel magno esset suo atque aliorum malo literis abusurus: nec solùm tales in cætus sunt Scholarum recepti, ut essent discipuli, verùm etiam in numerum eorum, qui alios essent docturi. Excogitati sunt in publicis Academiis quidam velut honorum gradus, non malo utique sententia mea consilio. Nam ut Romæ sub Cæsaribus non licebat cuivis de jure respondere, sed cui hoc esset à Principe concessum; ita Rectoribus Scholarum visum est arcere à Professione artium imperitos. Eos verò, quos ad hoc magno adhibito judicio & severo axamine dignos censuissent, gradu aliquo honoris insignirent batalarios dixerunt, vocabulo vetere lingua Gallica usurpato in tyrocinio militiæ de iis, qui jam prælio interfuissent, ideo longe alio, quàm vulgò creditur, Etymo: Sed non hoc agimus: hinc licentiatos, quos facta copia quandocunque velint Magistros fieri, postremò Magistros & Doctores. Verùm, quod Scholæ nonnunquam opus esset pecunia ad sumtus inevitabiles, velut alendis ministris publicis, Gymnasio conservando, sarto tecto, imposita est summa pecu-

niæ iis,qui honores inirent: à primo modica, quáque necessariis impenderetur usibus. Expetiit eum dignitatis locum indignus aliquis, & quod eruditione atque ingenio præstare non poterat, tentavit iis, per quos ageretur, corrumpendis: alius adorsus est illos gratia,alius promissis,alius præsenti pecunia: ubi semel Sancti prius atque incorrupti homines lucri dulcedinem gustaverunt. Is sensus reliquos omnes semel extinxit: certas statuerunt summas, quas illi penderent,qui admitterentur ad honores: quarum pars Scholæ & Ministris ejus cederet, pars Magistris & Rectoribus Scholarum: Nec providerunt,quantam literis, artibus, disciplinis, orbi toti, qui ab iis regitur, ac disponitur, cladem & ruinam auferrent, promiscuè quibuslibet admittendis: sed potentior fuit respectus exigui commodi,quàm tanti publici, in universum hominum gentem. Igitur quæstuosa res cœpit esse Scholarum regimen, & emtum est non secus ac mercimonium promercale, ut revenderet, qui erat mercatus: quæsitum est pretio, ambitu, & ne quid deesset dedecori ac indignitati armis quoque. Qui erat adeptus agebat propter quod quæsierat: nullus locus, nullus honor, nulla dignitas denegata est ei, qui numeraret. Sed ut sciretur, quanti ordinariè emeretur dignitas,statuta est certa summa pecuniç qua minorem nefas est accipere, de majore fas est liceri: definitum etiam tempus, & assignati, qui examinarent. *Nominent (NB) mihi vel unum,iis ducentis annis rejectum, qui Versatus*

tus præscripto tempore in Scholis, certam illam pecuniam dependerit, quacunque ætate, conditione, ingenio, peritia, moribus. Si quis non credit, inspiciat tot per Galliam cerdones, fartores, coquos, rhedarios, nautas, fabros & pejores ijs grassatores, latronésque, artium vel Magistros, batalarios: Nec desunt in Germania, nec in Italia. Si quis alibi non invenit, Romæ quærat. De Licentiatis juris nihil scil. possum dicere; sed hoc fortassis risu magis dignum, quærunt ubique lites, quas nutricent, pueriliter cavillando, & homines in odio illo detinent, molesti & clientibus, & adversariis & judicibus. Illud dolendum magis, quod annis omnibus tot Batalarii, Licentiati, Magistri Medicæ artis ex Academiis in Vicos atque urbes, tanquam carnificum manus emittuntur. Isti ergo quando nihil in Scholis egerunt aliud, quàm, macerando se, expectare finem stati temporis, ut honoribus donarentur, adepti quod concupierant omni renuntiant labori, & si eruditioni non queant, certè nomine se authoritatem tuituros confidunt. Quum verò ex Schola exeunt insignes nomine, magnæ ad populum authoritatis, ac Venerationis, quid aliud possunt docere, quàm quæ negligenter & imperitè didicerunt? Ab his ignorantia per Europam omnem velut seminatur ac propagatur. Videas in eis pueros jam Magistros, qui pædagogo adhuc indigeant, & quos Aristoteles, tanquam inidoneos Au-

ditores de Schola expellit moralis disciplinæ, tum hanc,tum alias omnes non præstant, quidem, profitentur tamen. Quid aliud oportet hos facere tam immaturo honore onustos & pressos, quam disciplinarum labori cedere, & arrogantia, invidentia, cæterisque vitiis repletos intolerabiles fieri, quum Magistri nominentur earum artium, quarum vix prima rudimenta posuerunt. An putamus insolentiores quosquam esse iis,qui quum Sapientiam nullam habeant, pro sapientibus tamen ad turbam se se venditant: Nihil est medium; sapientia optimos facit; Simulatio sapientiæ pessimos. Propterea quod, quæ tenere bonis artibus nequeunt, fraude & flagitiis tuentur.

[b] Idque secundum omnes partes. In *genere* quidem *Rodolphus Agricola* Iacobo Barbiriano scribit: *Plerique etiam loquaces has inani et strepitu crepitantes, quas vulgò artes jam vocamus sibi vendicant, & perplexis disputationum ambagibus, vel etiam (ut veriùs dicam) ænigmatibus diem terunt. Quæ tot jam seculis nullum invenerunt Oedipodem, qui ea solveret, nec inventura sunt unquam. His miseras adolescentium onerant aures, hæc subinde ingerunt inculcántque. Et in plerisque meliorem ingenij spem atque frugem in tenerioribus adhuc annis velut in herba enecant.* In *specie* verò de *Grammatica* con-

constat illam 1. *Humi jacuisse*, abjectam ut plurimum prostratam & contemtam, Grammaticorum nomen exosum. *Lud. Viv.* de Corrupt. art l. 2. pag. 78. *Adhæc quomodo potuit vel ab ipsis artis Professoribus sedulo, & pro dignitate Grammatica tractari, cum illi quoque ipsi probro ducerent Grammaticos vocari se. An potest rectè munus aliquod administrari, nisi ab eo, qui illo & delectatur, & gloriatur tanquam sibi decori futuro.* Et, p. 75. *Quidam ætate hac oderunt magis hanc disciplinam* (Grammaticam) *quia ignotam sibi, quam contemnunt tanquam utilem aut se indignam. Sed ne odisse existimentur, contemtum aut negligentiam præ se ostendunt, tanquam eam pro nihilo ducant cura rerum præstantiorum occupati, resque hæc est paulatim deducta, ut Grammatici nomen jam objiciatur pro convitio.* Et p. 77. *Nam quando de linguis desperaverant, tum auditores suos, ad omnia quæ traderentur sequaces, tum populum minimè repugnantem in eam opinionem adduxerunt, ut cultu illo atque ornatu sermonis magnæ atque excellentes artes tradi non posse, haberent persuasum, quicquid suo illo mo-*

more fœdè ac sordidè, id demum esse ex disciplinis altissimis ac præcellentibus. Quoties illud mihi Johannes Dullardus ingessit: Quantò eris melior Grammaticus, tantò pejor Dialecticus & Theologus. *Quasi verò non sit Latinus & Græcus sermo multò, quàm ipsorum balbissima barbaries facundior & copiosior, & non maximi viri de artibus omnibus quantò quàm nunc accuratiùs & rectiùs purissimo scripserunt sermone.* Insaniam hanc & Epidemicum Aristotelicorum morbum tangit etiam *Iohan. Murmell.* in suo Scopar. *Contemnendi sunt,* inquit, *& irridendi magnopere plerique, qui eo se Aristotelicos existimant, quod humanitatis studia & eloquentiam oderunt, falsi libris, qui vulgò in nonnullis scholis tractantur, de quibus in Aristotelis vita Guarinus Veronensis, vir Græcè Latinéque doctissimus.* Sed non sunt (*inquit*) illi Aristotelis libri, nec, si vivat ipse, suos dici velit; sed merè translatorum ineptiæ. Ille politissimus Scriptor esse voluit, & quod voluit curavit, & quod curavit assecutus est. *Et post pauca idem Guarinus subjecit:* Desinant igitur isti ex infantia sua Aristotelis facundiam metiri. Nam qui eorum, qui ætate nostra Philosophos se haberi volunt, primas literas tenent? Rapti de Grammati-

cis

cis immaturi, & rudes, & pleni adhuc puerilium tenebrarum, ad ea properant audienda, quorum nec verba nec significata intelligunt, ac rerum ipsarum vix umbram quandam intuentur. 2. Τῆς ἀνθολικῆς ἀμετρία *à nonnullis ita superstitiosè excultam, ut ambitu Grammatico complecti omnia viderentur.* Hinc a. *Alii à gravioribus studiis ad tricas redierunt Grammaticas. Novi quendam,* scribit Eras. in Morias encom. *πολυτεχνότατον, Græcum, Latinum, Mathematicum, Philosophum, Medicum, & ταῦτα βασιλικὸν, jam sexagenarium, qui cæteris rebus omissis, annis plus viginti se torquet ac discruciat in Grammatica, prorsus felicem se fore ratus, si tam diu liceat vivere, donec certò statuat, quomodo distinguendæ sint octo partes orationis, quod hactenus nemo Græcorum aut Latinorum ad plenum præstare voluit. Perinde quasi res sit bello quoque vindicanda, si quis conjunctionem faciat dictionem ad Adverbiorum jus pertinentem.* b. *Alii disputationibus sui fecerunt juris, quod alius erat fori. Ludov. Viv.* de corrupt. art. l. 2. pag. 82. *Jam verò mirum, si altercationes & rixæ hanc studiorum partem quietam reliquerunt, minimè gentium, sed quæstiunculæ illæ*

illæ verè Grammaticæ de cognitione antiquitatum de fabula, de historiola, de loco alicujus scriptoris, de voce, de proprietate sermonis, de ratione carminis, parum sunt visæ aptæ ad suppeditandam altercationi contentiosam materiam. Nam si quæras, quis confecerit primum bellum Punicum, aut quo primum appulerit Aeneas post tempestates, aut quid sit vitilitigator apud Plinium & Catonem: si rectè ille responderit, ad aliam quæstionem est tibi transeundum: sin secus adducta conscriptoris sententia & authoritate corrigendus. At isti in eadem quæstione volunt diu litigari: cedere melius dicenti, aut ad aliud differendi argumentum transire turpe, tanquam torpidi & rudis sit ingenii non invenire quod in eodem cavilleris: statim conclamant ad rem, imò verò in rem, & præter rem. Ergò ex aliis artibus pertracta sunt in Grammaticam prolixioris rixæ & incitamenta & fomenta: quod non facile modò fuit factu Philosophis & Theologis, qui occupârunt ludos literarios, ut ex suis concertationibus aliquid in prima hæc rudimenta derivarent, sed etiam neces-

sa-

sarium iis, qui alia omnia præter rixosa hæc nescirent. Ex Dialectica sumpserunt definitionem & divisionem, rationes, argumentationes, majorem, minorem, conclusionem, consequentias. Unde sunt quæstiones super Donatum, & Glossa notabilis cum argumentis & manulis, & alia jucundiora dictu, quàm lectu. Tum ex Metaphysicis realitates, formalitates, Entitates, de modo significandi vocum: de quo scripserunt Scotus & Albertus Saxo: & libellus Boethi tam illius, quàm cui titulus est de Scholarium disciplina: qua re nullam ego in universa artium omnium corruptela ineptiorem aut stultam magis excogitatam unquam esse arbitror. 3. *Vestigia veterum Grammaticorum deserta.* Hinc querela *Lud. Viv.* loc. cit, pag. 79. *Exegeticen Grammaticam amisimus; Methodicen verò, clausis Donato, Prisciano, Capro, Phoca, Diomede, & reliquis veteribus, invaserunt: qui quum de sermone Latino præciperent, eas ipsas præceptiones barbarè tradebant, ut Alexander Gallus: & quia expositionem vocabulorum qualemcunque, aliquam certè oportebat Scholis perhiberi, Donato, Servio,*

Acro-

Acroni, Porphyrioni, Festo, Varoni, Marcello, & hujus notæ successerunt Hugutio. Papias, Catholicon, Brachgologus, Græcismus, Johannes de Garlandia, & alia ridicula nomina, quæ docerent suam quisque patriam barbariam, non Latinam linguam. Huc facit consilium Aldi Manutii literarii ludi Magistris datum Venetiis a. Ch. 1507. quod & Ludov. Vives urget, l.c.p. 79. *Alterum, quod vos meminisse velim, est, ne quid nisi doctissimorum auctorum ediscere cogatis adolescentulos: imò ne Grammaticas quidem regulas nisi compendia quædam brevissima, quæ teneri facile memoria queant; laudo eos ediscere, sed tantùm ut illas assiduè accuratéq; legant, Nominaq; & Verba declinare optimè sciant. Nam dum lucubrationes nostras vel carmine, vel prosa oratione etiam de arte commendare memoriæ eos cogimus, erramus, ut mihi quidem videtur, multis modis. Primùm quod quæ summo labore edidicerunt; dediscunt paucis diebus, quod ego & puer olim & juvenis, compositis etiam à me regulis, sum sæpe expertus. Nam cùm Generum regulas, Præteritorúmve summa cum me-*

memoriæ mandâssem, perbrevi obliciscebar. Idem cæteris quoque evenire existimo. Præterea difficultate tum materiæ, tum styli eò desperationis veniunt, ut & scholas, & literas fugiant & studia, quæ amare nondum possint, maximè oderint. Tum eo ipso tempore, quo nostra ediscunt, faciliùs, meliúsque vel Ciceronis aliquid, vel Vergilii, aliorúmve illustrium possent ediscere, olim & decori, & commodo illis non mediocri futurum. Equidem puero mihi cum Alexandri carmen ineptum de Arte Grammatica, præceptore cogente, memoriæ mandabam, non ita contigisse plurimum doleo. Addite quòd, cùm incultos & Barbaros discimus, tales ac potius incultiores & ipsi evadimus Solemus enim iis, quos imitamur, plerunque esse deteriores. Quapropter optimos, & statim & semper legendos putat Quintilianus, atque eorum candidissimum quemque, & maximè expolitum. Cum de Cicerone sic inquit: Cicero (ut mihi quidem videtur) & jucundus incipientibus quoque, & apertus est satis: nec prodesse tantùm, sed etiam amari potest. Hic verò Alexander quo fuit molestior viris erudi-

tis, eò ei arctius Monachorum caterva adhæsit. Testis est Ioh. *Murmellius*, in suo Scopar. *Quidam cucullati*, inquit, *nimis alienarum rerum curiosi, quorum Princeps magis lites, quàm literas, aut literatos homines amare videtur, cùm audissent in ludo nostro literario parabolas Solomonis, & aliquot Psalmos bonarum artium studiosis adolescentibus enarrari, magnas tragœdias excitârunt, clamantes, indignum facinus comperisse se in Schola Murmelij, sacros libros ne sibi quidem satis intellectos prælegi pueris, jam Gallis Jaspidas, margaritas suibus obspergi; multò rectiùs consultum iri pueris, si nihil eis præter Alexandrum Gallum, & Petrum Hispanum prælegatur, in quibus solida Grammatices, Dialecticésque fundamenta consistant, ex quorum probatissima doctrina tales ipsi, tantíque literarum proceres evaserint.* Qua verò ratione ipsi ab Alexandri lectione, aliorum judicio, κρείττονες ἑαυτῶν abierint, manifestum satis est ex Apologetico *Baptistæ Mantuani*. *Vidi nonnullos*, inquit, *ex istorum numero, qui se, postquam Alexandri Grammatici, & AEsopi versiculos didicere, consummatos Grammaticos arbitrentur, & postquam Dia-*

Dialectices & Legum aliquid addidicerunt, se Solones & Chrysippos existiment. Post modum cùm vel Augustini, vel Hieronymi, vel Hilarij, aut alterius ex his, qui Latinam linguam tenuere, proferunt aliquid, hæsitant, tacent, mussant, audisse dissimulant, doceri pudet, ignorantia cruciat. Dicunt aliam esse nunc, aliam tunc fuisse Grammaticam. Et cùm dicitur, oportere illam, quæ tunc erat non ignorari, quod secundùm illam conscripta sunt Evangelia Pauli & aliorum Apostolorum, Epistolæ, magnorum Doctorum libri, qui utiq; magni non fuissent, nisi periti Grammaticæ fuissent; Respondent: Satis esse, summa sequi fastigia rerum, & suum quoddam Catholicon venerantur, quod pluribus erratis, quàm pardus maculis aspersum est. Vnde mirandum non est, politioris Latinitatis candidatos, magno id egisse studio, ut & Alexandrum Scholis ejicerent, & Glossularios ejus ludibrio haberent. Murmell. ex VVimphelengio: *Fuerunt in Germania clarissimi, doctissimíque viri, prius quàm Alexander in utero matris conciperetur, & hodie videmus Italos, prudentia præ-*

ditos aliter liberos suos instituere. Imbibitis enim brevissimo tempore Grammaticæ rudimentis (quantum ad concinnitatem locutionis attinet) traducunt eos ad Poëtas, ad Oratores, ad Historicos, ubi Latinitas, ubi elegantia, ubi significationis proprietas, ubi Orationis splendor & copia, uti exquisita compositio, ubi difficilium vocabulorum interpretatio, ubi persuasio planè discitur. Sícque Italorum filij mox evadunt idonei ad audiendas leges, ad Canones, ad sacras literas, & in ea frequenter ætate jurisconsulti redduntur in qua nostrates miselli adhuc de vocativo, de quinque figuris, déque appositionis vitio decertant, inq; obscuris Genitivi viribus, ineptísque Alexandri carminibus (si carmina dici merentur) ridiculosè versantur. Cúmque apud bonos præceptores lauream sive Doctoratum assequi potuisset, post duorum etiam aut trium lustrorum studia interrogati quidnam didicerint, respondere aliud nihil possunt, quàm ambas Alexandri partes. Itaque fit, ut plerunque apud nostrates, quòd Philosophiæ septemve disciplinarum Magistri nuncupan-

pantur, cùm Academias exeunt, ínque peritorum hominum concionem veniunt, neque Latinè loqui nôrint, neque Epistolam, neq; carmen edere, neq; Historiam recensere, neque brevissimam Ecclesiæ oratiunculam (quam collectam vocant) interpretari possint. Hinc valere jubet *Antonius Illuminatus*, Epist. ad Antonium Mancinellum, *Alexandrum. Abeat jam barbarus Alexander, & barbaram cum sua barbarie repetat patriam.* Plura occurrunt apud Murmell. de erratis Alexandri: *Quis est adeò hebetis ingenij, ut Alexandrum probet? Legat Pyladæ Buccardi Brixiani librum, qui inscribitur; Adnotationes Pyladæ in Alexandrum. Legat librum Nestoris Dionysii, de quantitatibus syllabarum, & tandem desinat ineptire. In glossularios Alexandri. Miror, quosdam, non illiteratos homines eò ineptiarum devenisse, ut glossulis diligenter concinnatis Alexandri, tanquam AEsopi corniculam putârint adornandam. Quantò meliùs ij bonas horas collocâssent, si nuntio nugis Alexandrinis remisso, novos usui studiosorum componere libros, quàm veteres parietes recenti alba-*

rio, variaq; pictura decorare maluissent. Quid prodest vel cassas nuces aureis ornare bracteolis, vel sudes vetustate confectas purpureis indumentis amicire? Sed boni homines dum multum tribuunt Alexandro, nonnihil ab eo barbarici receperunt. Et ut ad cætera nunc conniveam, non est hoc diutius dissimulandum, falli illos, & fallere pueros, cùm passim syllabam brevem vocant curtam. Multò enim aliud est breve, aliud curtum. Nam curtum dicitur propriè mutilum, fractum, diminutum, cujus integritati quippiam deest. Persius: Tecum habita, & noris, quàm sit tibi curta supellex, &c. Idem fatum reliquarum etiam, quæ ad tribunal Grammaticum pertinent partium. *Lexica* nulla nisi obscura valde, inficeti, seculi barbarie defœdata, studiosorum manibus terebantur. *Catholicon* illud, cujus modò meminimus, *Pepias, Eberardus, Hugutio, Mammatractus, Aino, Breviloquus, Hemma gemmarum, Vocabularius* rerùm, *Ioh, Garlandinus*, de quibus *Murmell.* & *Ludov. Viv.* *Poësin* Philosophastri quidam ex Christianorum Scholis eliminatam planè voluerunt; quibus se masculè opposuit *Baptista Mantuanus* in Apolog. ubi inter alia: *Vellem, ne toties bonos incesserent, antiquissimos & sanctissimos Hebræorum viros scirent, non legisse modò, sed & fa-*

factitâsse Versus, & Poëmata, & Poëtas fuisse.O Sapientes viros, & dignos, quibus Ecclesiæ credamus habenas! Proscribere volunt carmina, proscribent ergò Mosis, David, Hieremiæ, & Job immortali veneratione digna volumina. Et tamen ipsi illi, qui carmina & Prosodiam rejiciebant, in recitatione hymnorum hic maximè impingebant. Exprobrat hoc illis tum *Mantuanus* loco citato, tum cumprimis *Philippus Beroald.* in V. comment. Asini aurei. Videris, *accentu acuto prima syllaba pronunciatur, ut* videris *exponas, pro,* videbis, *quæ locutio apud eruditiores est frequentissima, sicut in Evangelio quoque legi debet: Quid ad nos? tu* videris, *quod malè literati Sacerdotes Latinitatis prorsus ignari (in quorum libris solæcismi, barbarismique scaturiunt) perperam enunciant media producta, in propatulo, in Ecclesia recitantes. Quos ergò, dum tam putidè, támque barbarè frigutientes inaudio, mecum dicere soleo: Tu videris, scil. bestia, & insensatus.*

Pergimus ad *Dialecticam*, de qua *Lud. Viv.* libr. 3. p. 119. Et quia clarum hoc loco speculum exhibet nugarum è Scholasticis, ut *KeKerm.* scribit Præcog. Log. Tract. 2. p. 96. totum Historiæ nostræ inferemus locum.

Sed venio jam ad amicos meos recentes, ut ipsi vocant, Sophistas, in quos tanquam in navis sentinam omnia hujus artis convitia confluxerunt, & Aristotelis & priorum, & longè plura & fœtidiora. quæ ipsi de suo adjecerunt. Itaque quæ in antiquis reprobavi ea supersedebo hic recensere: tantùm ea consectabor, quæ sunt recentiorum propria. Irrumpit ad tradendam Dialecticam juvenis ignarus Latini, & Græci sermonis, ignarus earum rerum, atque artium, quæ his duabus Linguis sunt proditæ. Primum omnium quorsum pertineat Dialectica ignorat, quæ sua, quæ aliena. Nam totam eam partem, quæ est de argumentis inveniendis, occupârunt rhetores dialectico non invito. Primum quod quum Aristotelem partis hujus vel inventorem, ut inquit Cicero, vel certè præcipuum præceptorem viderent illa adeò obscurè edidisse, ut verti in usum aliquem non queant, Ciceronem verò accommodâsse operi, & ejus traditionem Boëthum esse amplexatum audito Ciceronis nomine, tanquam aliena nota inspecta, verecundi homines manum continuerunt. Videbant etiam rhetores apertiùs de illis præcipere, & aptiùs ad exercitationem. Tum etiam libenter cesserunt possessione sumptuosa, ad quam tuendam magnis esset divitiis opus: legenda, tenenda, cognoscenda multa, sine quibus inventio tueri se & nomen suum nequit: nam quid de pisce, de lapide, de Republica, de re familiari inveniet, qui ne nomen quidem unquam antea audierat. Et adeò peritiæ hujus usum amiserunt, ut quod est inventionis argumenti, ad judicium argumentationis trans-

transferant. Nam quemadmodum argumentatio bene censetur per figuras, & modos Syllogismorum, ita ipsi dicunt per locum à genere, per locum à causis, per locum à conjugatis, à majori: quasi in hoc sint parati loci, ut censuræ sint argumentationum, & non indices argumentorum: ipsi eam retinuere solam, quæ est de inventione, more spinosorum Stoicorum, ad quam ne linguæ opes, nec multa rerum suppellex magnopere videtur eis necessaria, sed tantùm garrula quædam imperitia, & loquacitas invicta: & pro illa vetere divisione Logicam esse aliam de inventione, aliam de judicio, novam ipsi divisionem adduxerunt, esse Logicam veterem, & Logicam novam. Cur ita nominetur, non magis scias dicere, quàm cur digestum novum, & digestum vetus: Logicam appellant veterem, in qua de simplicibus agitur terminis, vel pronunciantis, prædicabilia, categoriæ, & de interpretatione: Logicam novam priora, posteriora, Topica. Tum huic addunt septimum tractatum, quem recentes adjecerunt pomverio veterum imperio longiùs prolato. Ipsi tanquam vento quodam transversi acti in Metaphysica impetum fecerunt: non illinc modicè repetunt, quæ videbatur ad Logicam pertinere, ut Aristoteles fecerat, sed penitus se, & pueros suos immergunt in arcana illa naturæ, quæ constari & intelligi nullo penitus modo possunt, nisi gustatis his exterioribus: nam ordo nostræ cognitionis hinc est ad illa, nec eò penetrari à nobis potest, nisi per hæc, quæ sunt foris. Ad incognita enim itur per cognita, & ad mentis judi-

cium per sensuum functiones. Isti contrà rudem puerum, & à Grammatico recentem statim Prædicabilibus, & Prædicamentis, & sex principiis proluunt: ut olim Germani pueros suos recens natos rapido & gelido flumine. Sunt qui perpetuò ibi detinent, ut qui maximè sunt reales, quasi verò ad nugandum in illis commentis inventa sit dialectica, & non ad rectè disserendum. Ibi nascuntur mira monstra quæstionum, de natura communi, qua miror, non interdum eos terreri insomniis, aut de illa in tenebris audere verba facere, adeò res est monstrosa. Anthisthenes, ut puto, primus universalia quædam finxit in rerum natura à singularibus sejuncta. Plato Idæas posuit. Porphyrius cùm hæc aliena esse à suo instituto videret, consultò se vitaturum hanc, & similes quæstiones est præfatus: isti non abstinent, quanquam ipsa & absurditate sui & argumentis nominalium jam est eò deducta, ut si apertiùs velint utique eloqui, appareat eos idem sentire. Hinc de compositione generis, & differentiæ, ad constitutionem speciei. Quomodo sudatur cùm velint genus esse pro materia, differentiam proforma: ideo ponunt compositionem physicam, & metaphysicam, ut hæc conflata sit ex quiditate generis, & quiditate differentiæ: & alia, quæ si quis legat vir cordatus, & opinionibus antea, partibúsque non infectus, facilè exclamet, ô nugas accuratas! ô eruditionem imperitam! Iam in Prædicamenta infarciunt, quicquid tractari vel solet, vel debet in prima philosophia, de omni rerum genere. Attigerat quidem nonnulla ex his Aristoteles,

teles, sed leviter. Gilbertus Porrectanus longius movit sex principiis conscriptis. Albertus Grotus & deinceps alii, navem in altum deduxerunt, ut nullæ jam terræ appareant, cœlum undique, & undique pontus. Prætereo quæstiones illas ridiculas, utrum res ponantur in prædicamento, an nomina? quum disertis verbis Aristoteles & vocibus loquatur: quasi verò res possint prædicari, aut nomina prædicentur, nisi res aliquas significent. An Deus collocetur in Prædicamento, timent scilicet pii homines; ne infinitus finito concludatur loco. Tum ascendunt supra prædicamenta, & faciunt sex transcendentia ex Sophista Platonis malè intellecto, Ens, res, unum, verum, bonum, aliquid. Sic possent addi sexcenta existens, idem, utile. Vero, & bono quis utitur, pro transcendentibus: non nego quin aliquo in sensu omni rei conveniant, ut verum ad essentiam pertineat, bonum ad finem: Illud intellectûs, hoc voluntatis, sed utrumque in Deo: nam nos fallimur ferè & in judicando, & in eligendo: nec minus esset transcendens utile & commodum, quàm bonum eadem ratione. Nec naturalia passi sunt quieta esse, libros Aristotelis de anima in posteriora effuderunt. Ad divina transgressi puero in Schola ac nuganti de Syllogismis divinis in manus dederunt rem arduam, & periculosam. Ibi tam confidenter distribuunt, singularizant, particularizant, completè, incompletè, quasi de pomo aliquo esset sermo: & dum volunt rem humana ingenia superantem in pueriles formulas redigere, in multa incidunt absurda & impia, quæ tamen con-

suetudo inter illos effecit levia: tres esse deos, tres essentias divinas, Filium esse Patrem, & non esse Patrem, & alia, quę aures abhorrent audire. Loquuntur ipsi de rebus offensivis piarum aurium, quæ possunt esse magis? Sed his quia soliti sunt audire non offendutur, iis demum permoventur, quibus non assuevere: Et quum nihil sit apud ipsos abjectius, aut despicatius Grammatici nomine, ipsi plura differunt, quæ penè sunt ex triviali Schola, quàm ipsi Grammatici: Sed omnia absurdissime conversis vocabulorum significatibus, quó illis collibitum est, ut nihil reliquerint integrum, facilè hoc sibi vindicantes, quum corrupta Grammatica & lingua tanquam sensu amisso, nemo esset, qui injuriam sentiret, aut doleret, aut per injuriam occupata repeteret. Nam quæ in libris de interpretatione tractantur, annon literarii sunt ludi? Ostendi de nomine, de verbo, de negatione, affirmatione, de signis, de quantitatibus pronunciatorum: in quibus nuperrimi dialectici non contenti corruptela significationum, quam à majoribus acceperant, quandoquidem illa jam vulgata, & protrita videbantur, ipsi novam penitus Linguam invexerunt: cujuslibet hominis quilibet asinus, & asinus præter ab asinus, & asinus possibiliter non sunt: alter alius homo est ipsemet: cujuslibet alterius hominis alius asinus est ens. Quis hæc ulla in lingua intelligat? adjectis literis quandoquidem verba deerant, & ad melius divinandum. In terminis, quos primos objiciunt pueris in suam Scholam ingressis, quid aliud loquuntur, quàm de significatione, de complexione, de

de incomplexione, de communi, & proprio, quæ sunt pueris in Grammatica instituti. Sed de his quomodo præcipiunt? Terminos Aristoteles vocat in Topicis quasi extrema enunciati, τὰ ἄκρα: & Boethus eodem sensu nomina & verba, quæ in simplici propositione prædicantur: ut in eo quod est Socrates disputat, Socrates, & disputat termini sunt. Isti quum terminorum notitiam tradant pueris tanquam rerum simplicium, ex quibus conficiuntur enunciationes dialecticæ, integra pronunciata, & longas orationes faciunt terminos: & Homeri totam quam longa est Iliadem aut Odyssęam: imò Iliadem & Odyssæam. Si quis inter utramque adscribat τὸ καὶ, vocem omnem volunt significare se, & suum prolatorem, & prolatori similem, quin etiam scriptorem, & tabellarium, & pennam, & manum, & Latinam literam, & Romanos, & Carmentam inventricem, & alia ridicula. Quòd si circulus Oenopolii sit hederaceus, significabit Vergilium, quoniam hedera coronabantur poëtæ: veteres item acruinosos parietes, qui hedera solent vestiri: & Festina lentè significabit Augustum Cæsarem, quòd is dicto illo soleret delectari: & Laurus, populum Carthaginensem, quòd de illo triumphans Africanus lauro est coronatus: tum locus omnis eum, quem aliquando in eo loco vel vidimus, vel audivimus fuisse: & alia ridicula absque numero. Non est hoc significare, sed admonere, & alicui aliud ex alio venire in mentem. Nec minùs illa jocularia: si ex eodem atramento, quo scribitur hæc vox

ho-

homo, scribatur illa buf, an buf significabit? Nam isti non contenti rebus naturalibus, ad ea, quæ supra naturam sunt, imò contra naturam, se extollunt, etiam inter pueros: ut atramentum poni in duobus locis: omnes terminos creabiles creari: horam dividi per partes proportionales minoribus huc vel illuc terminatis in qualibet parte: dividi hoc corpus in duas partes, rursum conjungi, sed contrariis copulis quàm antea: vel in partibus paribus Socratem esse album, in imparibus nigrum: creari aliquod infinitum, & alia ejusmodi. Quasi ullus sit horum usus in Dialectica, & communi vita, nec illorum quidem quæ nunquam contingunt, antecedens esse Romæ, consequens Lutetiæ: vel antecedens proferri nunc, consequens cras: Quorsum hæc? Si assecuti peritiam necessariam in his animi gratia, tanquam tesseris luderent, fortassis essent ferendi, sed homines imperitos relictis veris, solidis & seriis, huc se conferre quis ferat? hoccine est instrumentum seriarum disciplinarum plusquam pueriles lusiones? Sed de significando, quis meliùs potest, aut debet præcipere, quàm Grammaticus, aut certè populus, quem penes arbitrium est, & jus, & norma loquendi. Iam in terminis connotativis, album significat rem & alborem: certè non magis quàm homo animam vel animal, vel rationale: neque enim quod aliquid sit in alterius definitione, ab eo significatur, & de hoc termini genere, dant regulam: Quando terminus sumitur pro aliqua re, & desinit sumi pro illa, si non est propter defectum rei, hoc est, propter defectum com-

connotationis. Quid ergò risibile, quid rationale? At, inquient, non recurrit formula: atqui oportebat eam recurrere, quæ traderetur pueris ne fallerentur: tum quod ad cognitionem connotativorum parabatur. Sed esto ita, Quid nomina propria, quæ nomina possunt tolli, & imponi alia. Nec satis est, quòd Paulus Venetus dicit, Socrates dupliciter accipi pro illo homine, aut pro hoc composito vocatus Socrates, hoc mutari posse, illud non posse. Idem dicat de vocibus mundi omnibus: loquor de scriptis, & quæ proferuntur: nam in mente imagines sunt rerum sine nominibus: Et tamen ex iis, quæ sunt illic, de termino complexo, & incomplexo definiunt, quod est imperitum: nam mens nostra compositas voces simpliciter sæpe intelligit, & simplices compositè, ut audita hac, Trojanorum acerbus terror Achillem solum nonnunquam intelligit, interdum quum Achillem audit de terrore, & Trojanis, & sævitia juvenis cogitat. Quid, quod quæ vox est in una lingua simplex, in altera est composita, ut Latinè Paterfamiliâs, Græcè οἰκοδεσπότης, Latinè tribunus militum, Græcè χιλίαρχος. Latinè tribunus plebis, Græcè δήμαρχος. Et in eadem sæpe Lingua: ut idem sunt Dictator, & magister populi: Idem Censor, & Magister morum. Quid quòd Gregorius Arminiensis nullam categoricam pronunciationem compositam vult esse in mente. Vtique non facile dictu est, quid cogitatus noster simpliciter fingat, quid conjunctim & complexè, adeò est liber, etsi hic ad hunc mo-

modum intelligit, ille multò secus, ut præcipi hac de re ex mente & intelligentia nullo modo possit. Ex istis conficiunt dialecticas enunciationes, quæ constant subjecto & prædicato, sed eo ordine, ut non sit periculosius hunc universi ordinem perturbare. Subjectum necesse est esse prius prædicato: omnis homo est animal rectè, animal omnis est homo, perturbata omnia, & confusa. Annon hic est in prima forma Syllogismus: omne animal est corporeum, animal est homo omnis, ergo omnis homo est corporeus: ergo animal tam prædicatur in assumptione, quàm in propositione subjicitur. Animal omnis homo est, τὸ omnis non est pars prædicati, animal est omnis homo pars est, verificari ut de nullo possit: neque enim invenietur de quo verè dicatur, hoc est omnis homo. Quæ ego quid communi usu & scriptoribus Latinæ Linguæ omnibus reprobem? ipso Aristotele confutabuntur. Is enim in libro peri hermenias istis pronunciatis utitur, est justus homo, non est justus homo: annon ibi justus de homine prædicatur, atqui hoc ipse dicit disertis verbis, ut in hac ejusdem, est homo: Quid homo, prædicatur ne? Iam ubi ait, valet omnis homo, non valet omnis homo, éstne omnis pars prædicati? Sed isti ne Aristotelem, quem tantùm habent in ore, nec ullum bonum, & magnum authorem legunt, vel intelligunt: nec est opus authoribus, aut libris ad ea, quæ agunt. Verba omnia adjectiva volunt resolvi in Substantivum verbum, & participium: ut, ambulat, est ambulans, alioqui non esse satis perfectam, & satis explicatam

enun-

enunciationem. Aristoteles, inquit, idem esse si quis dicat: Socrates disputat, & Socrates est disputans: an quia nihil sensu distant, protinus quicquid est in una prædicatum, erit etiam in altera? Neque enim hæc differunt: homo disputat, & animal rationale disputat: non tamen idem est subjectum. Quid? quòd ad resolvendum non tantam habemus participiorum copiam, quantam Græci, qui habent participia præteriti, & aoristorum in voce activa, & præsentis, ac futurorum in passiva: ut hæc difficile possit à Latinis explicari, Socrates diligitur aut laudatur, à Græcis facillimè. Quid? quòd non semper idem reddit participium quod verbum, præsertim in iis verbis, quæ non præsentem actionem, sed consuetudinem significant. Longè sunt diversa: pingit, & est pingens: amat, docet, & est amans, est docens, quæ de dormiente bene dicantur in verbo ad hunc modum: Hic doctè pingit, hic amat illam, hic docet filios meos: non item in participio, quod præsentem actionem notat. Adde, quòd multæ sunt propriæ locutiones per verbum, quæ non sunt per participium, ut: Socrates confidit, & est confidens: rubet, & est rubens: pallet, & est pallens: pluit, & est pluens: licet, & est licens. Sed in hoc non immorabor: Nam inter ipsos Sophistas parum convenit, aliis dicentibus verba adiectiva esse incomplexa, cujus est sententiæ Petrus Mantuanus, in qua videtur Aristotelem & Boethum habere authores, aliis asserentibus ea esse complexa, nec dici verba dialectica. Sed ea disputatio & controversia nec rebus, nec rationi loquendi officit. Illud magis & sermonem

& intelligentiam omnium lædit,quod prædicatum volunt astringere subjectum in his, ac ejusmodi: Homo est pictus, homo est mortuus, in quibus de analogo prædicatur significatio ignobilior: ut hæc sit vera propositio, quod absit, omnis homo est mortuus,& hęc,omnis homo est pictus.Fortasse illis,qui sedebant in specu Platonis,omnis homo erat umbra,nobis non item,nisi forte iidem isti,qui hæc somniant. Quid quum subjectum restringit prædicatum,ut in hac: Socrates albus: ut hæc sit vera, tantùm Socrates est albus: nam volunt esse sensum: Solus Socrates est Socrates albus. Quod à Paulo Veneto allatum, cæteri magno applausu exceperunt, tanquam illic Socrates Substantivum sit illius adjectivi albi,& non potiùs homo.Quod si ita sit,nulla harum non erit vera: Tantùm Socrates est Philosophus,solus Socrates est Atheniensis, solus Socrates habet Patrem. Eadem lege factæ sunt hæ veræ: Socrates videt omne astrum, quum unum tantùm videt. Socrates posside omnem asinum,qui unum habet. Si sic lubet explicare, dicam & hanc esse veram,homo est asinus: nam sic interpretabor,homo est asini possessor. Respondebunt mihi,neminem sic uti illo pronunciato, At ostendant ipsi,quis ad eum modum utatur illo suo præter ipsos? Sed de hoc post paululum,nunc pergam alias addere. Nec in minores angustias deducta sunt illa de forma, & forma acceptionis terminorum. A veteribus perplexè sunt prodita, sicut à Petro Mantuano, & ab Strodo, cujus definitionem consequentiæ formalis tres expositores Ser-

mone

moneta, Ferabrich, & Thienensis nequiverunt satis declarare. Recentiores formam sic constituunt, ut sit eadem qualitas enunciatorum, eadem quantitas, synonymitas terminorum, similis acceptio terminorum, ut nullus sit jam syllogismus bonus de forma, nulla oppositio, nulla conclusio, ni inangustias sermonis illorum, & in illas loquendi absurditates redacta. Cicero sic colligit: Omne gaudere bonis animi, beatum est: omnis sapiens iis bonis animi gaudet: omnes ergo sapientes beati. Instari enim potest sic: omne gaudere bonis animi beatum est: omnis stultus suavibus bonis animi gaudet, suavibus posito, pro iis. Neque hic esset bonus: omnis homo legit: Socrates est unus ex hominibus. Ergo legit: nam in assumptione hęc est instantia, bucephalus est asinus hominis. Et Quintilianus libro secundo: Omnis ars habet aliquam materiam: Rhetorica nullam habet propriam materiam: non ergo est ars. Instatur: omnis homo habet equum aliquem: Socrates non habet equum album, non ergo homo. In omni re sunt nimii: interdum volunt referri omnia ad animum, & modum concipiendi: cogitatione interdum in nudis vocibus sistunt sine intelligentia. Spectandum est in verbis omnibus quid mens soleat communiter intelligere. Iam quales consequutiones faciunt: homo est asinus, ergo baculus stat in angulo: Socrates ambulat, ergo Deus est bonus: ad impossibile sequitur quodlibet, sicut necessarium ad quodlibet. Quasi vero non ratio connexionis potissimum spectari debeat, ut in disjunctis. Ego curro, vel

Deus est. In modalibus alias faciunt de sensu composito, alias de sensu diviso: non tam improbo rem, quàm eorum in verbis definitionem: ut quum in medio est modus esse de sensu diviso: Socrates necessariò currit: quum initio vel fine, de sensu composito: Socratem currere est necesse. Aristoteles has duas ponit eodem loco, & sensu: quod est esse quum est, & quod non est non esse, quum non est, necessum est: & hanc: omne quod est necessariò est quum est: nam τὸ ἀνάγκη in priore illa postponitur, in posteriore ponitur in medio. Et in primo elenchorum hanc vocat amphibolam: τὸ δύνασθαι καθήμενον βαδίζειν, posse sedentem ambulare, & ait, posse esse sensûs divisi, & compositi. Quid? quòd fecerunt alias modales, nempe verum, falsum, scitum, tum opinatum: ut Buridanus & alii: in quibus etiam de sensu diviso, & composito: quod, quomodo posit fieri, nulla mens capit, ut Socratem scitum est disputare. Conjunctæ Categoricæ, quas hypotheticas vulgò nominant, quum sint innumeræ, nempe quot conjunctiones, quot etiam adverbiorum, non pauca reduxerunt antiqui inter eos ad tres species. Alii paulo plures addiderunt. Paulus Venetus, quem Dullardus, & vulgò eorum Scholæ in hoc, sicut in multis aliis, sequitur, hanc fecit distinctionem, ut quæ conjunctiones conjungunt enunciationes per se intelligibiles, hoc est de Indicativo, efficiant hypotheticas. Quæ verò de aliis modis, non item. Ideo has conjunctiones, licet, quamvis, etsi, quanquam non facere hypotheticas

potheticas. Quia rectè dicitur, licet Socrates currat, Socrates tamen non movetur: non rectè autem, nec Latinè, licet Socrates currit. Annon hæc sunt ad risum movendum aptissima? Primum has, & similes: Si asinus volaret, asinus haberet alas, non negant esse hypotheticas. Deinde quid prohibet, quominus bene & Latinè dicatur: Licèt Socrates currit, etsi, quanquam Socrates currit. Isti sunt qui in formulam redigunt Latinum sermonem, cujus umbram nunquam viderunt: sicut Mantuanus, qui ait, ab hypothetica temporali ad quamlibet sui partem valere consequentiam, ut à conjunctiva: ut hæc sit bona conclusio: Tu moveris, cùm curris: ergo tu curris, & tu moveris. Tum hæc: Æstas est cum Sol est in Cancro: ergo æstas est, & Sol est in Cancro. Sunt enunciationes quædam categoricæ de conditionato extremo, ut vocant: Socrates, si est homo, currit: Do tibi lapidem si est avis, & do tibi avem, si est lapis, ut hæc sit vera: Do tibi animal, si est homo, quum do adamantem: quæ sunt profectò aptiora ad ludendum quàm ad loquendum: qualia sunt, quum in libris eorum aliis infinita: (nam quis posset percensere omnia, non faciliùs quàm arenas Lybiæ?) tum potissimùm in iis, quæ vocant parva Logicalia, omnia ex Linguæ ignoratione excogitata: de quo pauca priùs loquar, non tam disputandi, aut convincendi gratiâ, quàm docendi: nam ea est res, quæ si exposita fuerit, nec ipsos eosdem arbitror repugnaturos, qui sunt commenti. Quippe ejus rei adhuc retinent semina quędam, sed degenerantia. Itaque si vera, & meliora

ostendantur, facilè agnoscent & accedent. In hac rerum natura artes sunt ab hominibus cura, labore, meditatione, industria observatæ, ac excusæ: nulla earum sibi facit novam materiam, sed in facta jam, & parata operatur: & alię circa res versantur, aliæ circa verba, quæ sunt Grammatica, Dialectica, Rhetorica: nulli istorum vel mutare populi sermonem, vel novum licet fingere, sed in recepto quæ sui sunt muneris, defungi. Grammaticus rationem, & verborum simplicium, & aptæ compositionis inquirit. Dialecticus, quæ faciunt sensus veros, quæ falsos: loquor ex recepta opinione, quę consequantur, quæ repugnent. Rhetor, quæ pulchra, ornata, insignia, quæ cum dulcedine in animos blandè instillentur, quæ aspera, & dura. Si Grammaticus novum aliquod, & inusitatum afferat vocabulum, aut doceat pueros suos aliter loqui, quàm populus loquatur, nimirum explodetur ut barbarus. Si Rhetor dicturus nova sibi fingat schemata, & non illa sumat de medio, stultitiam, & absurditatem hominis omnes explodent. Quid si Dialecticus verum & falsum scrutatur, fictis suo arbitratu sensis verborum, relictis illis vulgaribus & receptis, planè dicent omnes, quibus lingua erit nota, non nostri sermonis verum inquiris, sed tuorum somniorum. Si tu in his verbis & hoc communi sensu aliqua observas, audiam te docentem: sin fingis tibi linguam, ac voces, tibi, & tuis paras dialecticem, cujus nullus sit usus, cùm nemo sic loquatur, ac ne tu quidem, & tui: hoc adeò verum est, ut nec Aristoteles, nec Boëthus, nec ipsi idem, quibus hæc nescio quis

quis Deus misit in mentem, ad præscriptum suorum canonum possint vera loqui. Aristoteles ac veteres omnes Græci usum Græcæ Linguę sunt secuti: Cicero, & Latini Latinæ. Infinita sunt quæ ex communi usu affirmat Aristo. in prædicamentis, in Metaphysicis, in Topicis, deniq; ubicunque de sensu verborum agitur. Et recentiores isti non ignorant Dialecticam suam præcepta esse, in communi lingua observata: ideo enim multa probant per communem modum intelligendi, & ad tuendas eas enunciationes quæ vulgò habentur pro veris: tot regulas illis prioribus interferserunt, ut de suppositione accomoda, & personali de tempore pertransacto, de distributione, pro singulis generum, pro generibus singulorum, & ejusmodi haud penitus ignari observationem esse linguæ Dialecticam. Quod si meliorem novissent linguam, utique ad eam accommodâssent canones, sed de ea loquebantur, quam illi non solùm optimam esse autumabant, sed solam, quum aliam ne de facie quidem unquam vidissent. Nam quod dicunt quidem, ego sic mente concipio: hoc verò nihil ad Dialecticam, quæ est de sermone; neque enim cùm dico: homo est ceruleus; spectare debeo, quid intelligat indoctus, qui ceruleum capiat pro cereo, sed quid in Latina lingua signet. Vera, & falsa, & contraria, & consequentia, inquit Cicero, sua sponte, non aliena judicantur: de quo fusè disputavi in Epistola ad Ioannem Fortem. Putabam olim, quum inciperent hæc mihi displicere, magnum me negotium habiturum istis confutandis contra homines pertinaces

distinctionibus armatos, disputando invictos, & qui numero valerent. Sed hoc tempore renato sermone Latino, & vel pueris jam proprietatem Linguæ Latinæ intelligentibus, facilior erit eorum confutatio, quæ ex pravè cognita lingua fuerunt corrupta: Dicunt, usum populo concedentes, scientiá nobis reservamus: & duos faciunt sensus, bonum, & rigorem. Quid est rigor aliud, ad eorum sensum, quàm exacta quædam loquendi ratio? At eam ex quibus petemus, nisi ex iis qui exactissimè quamque linguam tenent, non ex iis, qui sunt ejus inscientissimi. In Latina ex Cicerone, Plinio, Seneca, Varrone, non Petro Hispano, aut Guilelmo Hentisbari. Boëthus, Apuleius, Capella, in suis dialecticis dicta Ciceronis adducunt pro testimonio, nempe Latini homines hominis Latinissimi, quique absolutè Linguam illam nôrat, & rigorem hunc poterat adjuvare. Græci Demosthenis, Isocratis, Homeri, Euripidis, Sophoclis: de quo alio loco à me differetur: nos etiam magnorum authorum utemur dictis: nam unde nisi ab illis requirenda est Linguæ proprietas? Ex illa imperitia sermonis natæ sunt nobis suppositiones, ascensus, descensus, ampliationes, restrictiones, appellationes, exponibilia, ad quæ si lingua esset aptanda, non solùm obmutescendum esset, sed aliquid esset verum in Scriptoribus: ut interdum mirer, quomodo hæc eis venerant in mentem, tam ab omni ratione, & loquendi, & sentiendi abhorrentia. In suppositione sunt discreta, determinata, confusa, distributiva: sunt termini certi, qui illas faciunt, certo loco, & ordine: omnis

omnis homo est animal, vera est, & animal confusè supponit: animal est quivis homo falsa, determinatè enim: caput omnis homo habet, falsa, omnis homo habet caput, vera: equus requiritur ad equitandum falsa: ad equitandum equus requiritur item falsa; ad equitandum requiritur equus vera. Cicero dicit in Oratore: Acumen dialecticorum requirendum est: Et in finibus, qm. aliquid omnes. Quid Lucius? & Quintilianus: est aliquid in omni materia naturaliter primum. Et in sacris Literis: pauperes semper habebitis vobiscum: sunt hæ falsæ? quis aliter loquitur? nec ipsi iidem, etiam cùm de his præcipiunt. Iam usum negationis, qui varius est apud Græcos, & Latinos, & unamquamque Linguam, & patet latissimè, si quis conetur ad cæteras formas redigere, peribit sermonis universa vis, & gratia. Nemo est ex aliqua parte non felix. Quid istud est, ex nulla parte? & dicunt, quod mobilitat immobilitatum, immobilitat mobilitatum, ut se negationes impediant: & negatio cadens super signum universale. In omni Lingua duæ negationes fortius negant, præterquam in Latina. Demosthenes quatuor posuit pro una. In nostra etiam sæpe numero non plus efficiunt duæ, quàm una: ut, non possum ne dormire quidem. Cicero: Nolo ne hęc quidem humana ignoret: Idem sunt: non reveretur neque Deos, neque homines: neque Deos, neque homines reveretur: non veretur homines, non Deos: non timet homines aut Deos: non metuit hominésve Deósve; ne scribere quidem novit, non novit ne scribere quidem. Aristoteles

expressè ait,non esse hancuniversalem : non est homo pulcher : nec idem esse,non est homo pulcher, & nullus homo est pulcher. In ascensu magna controversia in ponendo constantia. Quidam recentiorum repudiato vetere more,ita eam ponunt,ut ipsa enunciatio,ad quam ascenditur, luce sit clarior præ constantia. Sed quomodocunque ponatur, nullus est ejus usus,neque unquam aliquis sic colligit,ne ludens quidem : multò aliter utebatur Socrates suis ἐπαγωγαῖς. Iam descendant mihi sub hac,quæ est apud Ciceronem in Academicis Quæstionibus : Iudicium Protagoræ est , qui putat id cuique verum esse,quod cuique videatur : vel illa in secun. Philipp. Ita cuique eveniat, ut de Rep.quisque mereatur : an erit, ita Antonio eveniat , ita Fabio,ut de Rep.quisque mereatur , quid absurdius ? In Ampliationibus,& restrictionibus illa sunt prodigiosa : meretrix erit virgo : atrocreæ devoratæ & egestæ sunt edendæ : puer anniculus fuit centum annorum. In appellationibus Non vidi Papam,& Papam vidi : consulem cæcidi & non cæcidi consulem. Ergo omnes istæ ad eorum normam sunt falsæ. L.Cæsar genuit Cæsarem dictatorem Iesse genuit David regem ex ea quę fuit Vriæ. Cajeta nutriit regem Lavinii : hæc mulier nupsit magno illi pictori Apelli, si antequam ad summum pervenisset artis,nupserat. Hoc opus scriptum est à Patre Catonis,si scripsisset antequam. Catonem gigneret, & alia,quæ sunt in ore omnium infinita. Exponibilia fecerunt, tantum, præter, inquantum, immediate,incipit,desinit. Tum comparativa,totus,semper,

per, ab æterno, infinitum. Cur non plura? quasi vero non penè verba omnia, & adverbia possent & jam cum cavillis exponi aptis disputantium circulis: ut currit, quis motus necessarius sit ad currendum? cantat, quam alta vox ad cantandum? plorat, quis animi motus, quæ vox, qui gestus ad plorandum: ridet, quis oris rictus ad risum: solet, consuevit: quot actus ad habitum, aut ad consuetudinem, quanta intermissio: & sicut incipit, ac desinit, cur non etiam aggreditur, expedit se, delassatur, cessat: Iam cum adduntur adverbia, celeriter, bene, malè, tardè, penè, ferè, quasi, etsi. Quasi jam exponunt major pars, ut; si sint hic Romani mille quingenti, & unus discesserit, verum sit, quasi nemo Romanus hic remansit, putant agi de numero sententiarum in foro aut curia. Sed videamus ea, quæ tradunt: tantum animal est homo: tantum coloratum est album: Sola animalia sunt homines. Quis hęc intelligat? bene additur inferiori excluso. Quippe est exclusio velut quædam restrictio, quæ fit à minore atque ampliore, ad summum æquo, sed sic, ut pro majori positum appareat: tantum homo ridet: soli Romani sunt liberi, superiori additum, nullum facit sensum, & propè contrarium solet intelligi, ut: tantùm liberi sunt Romani, quasi soli Romani sint liberi: Et, tantùm animal est homo, quasi solus homo sit animal. Plinius, libro septimo: Præter fœminam pauca animalia noverunt coitum post conceptum, quomodo hîc fit exceptio? horum verborũ, incipit, & desinit, si loquendum sit ad canones istorum, nullus esse potest usus. Quis poterit

rit tenere minutias illorum inſtantium, quum in prandio ſumo ſecundam buccam, aut etiam quum primam habeo inter dentes, non poſſum dicere: Incipio prandere. Quum libri ſecundam literam ſcribo, non incipio librum ſcribere, quum antepenultimam, non deſino. Quid ergo poteſt incipere aut deſinere? Plinius: Apud Græcos inquit deſiit nugari Diodorus: non poſſunt inveniri exponentes: rejicienda eſt tanquam parum dialectica. Quæro, cur homines nominales, qui negant eſſe in rerum natura inſtantia, Scotum, & reales ſint in hoc ſecuti de inſtantibus exponentes immediatè, incipit & deſinit? Annon videtis cavilla quæri, & materiam luſui aptiorem? Comparativa, & ſuperlativa dicunt diſtribuere terminos ſequentes, ut non idem ſit, Socrates eſt Trojanis doctior, & omnibus Trojanis doctior: quia ſunt duo ſigna mobilitantia. Socrates eſt Græcorum doctiſsimus, & omnium Græcorum doctiſsimus. Quid ego his & ſimilibus refellendis nugis operam, quam illi ipſi uſurpandis, quæ ſunt pueris ad deriſum cognita. Illud acutum, quod ex hujus exponentibus, Socrates eſt Græcorum ſapientiſsimus, unam faciunt quidam, omnes Græci ſunt ſapientes. Cur non has exponunt multò doctior, paulò, aliquantò, non multo, non paulo, quæ magis expoſitione egent? Socrates à Græcis differt, vera; differt à Græcis falſa, quia diſtribuitur. Et quemadmodum hanc, uterque homo diſputat, explicant aliquorum duorum hominum quilibet: ita hanc, alter homo diſputat, omnium duorum aliquis. Quis unquam talem excogitâſſet

itâsset sensum, qui Latinam Linguam audivisset?
Tum signum collectivum cum suo termino facere
erminum communem, & propositionem indefini-
am, & posse universalizari, & fieri collectivam. Ca-
piamus ergò hanc: Omnes Apostoli DEI possi-
biliter sunt duodecim: fiat rursus collectiva omnes
omnes Apostoli DEI, rursum distributiva omnes,
omnes, omnes, Apostoli DEI, quo quid est absur-
dius? Et hanc concedunt, omnes duo Apostoli Dei
sunt duodecim. Similiter, omnes Apostoli Christi
non sunt boni, vel sunt non boni, veram esse vo-
lunt, quia Iudas fuerit malus, cui Aristoteles refra-
gatur disertis verbis lib. Elench. negans, posse di-
ci non bona ea, quorum aliquod unum non sit bo-
num. *Addunt* obligationes, quas alii Theses vocant:
quasi verò hæ essent formularium artis, & non po-
tiùs exercitatio, & usus artis, qui quisque nihil con-
cedat repugnans, aut neget quod consequatur.
Tum etiam insolubilia, quum in se reflectuntur e-
nunciationes: hæc propositio est falsa: omnis pro-
positio universalis significat aliter esse, quàm est:
omnis consequentia in Darii est mala, hæc est con-
sequentia in Darii, mala ergò. Sed illas omnes, & si-
miles de aliis oportet loqui, non de se. Si quis di-
cat ego mentior, continuò rogabunt omnes quid
dixerit, in quo sit mentitus, hæc pronunciatio est
falsa: quærent, quænam? si pergat dicere, hæc ipsa,
respondebunt, id nec verum esse, nec falsum: idcirco
non defuerunt inter eos quidam, ut Petrus Man-
tuáus, & Andreas Limosus popularis meus, qui ne-
garent propositionem posse ostendere se ipsam,
mul-

multum aliis frementibus, quòd tanta materia disputationibus detraheretur. Itaque calumniâ eos impetiverunt, quo id dicerent, subterfugientes argumentorum laqueos, & pugnam ignavè detrectantes. Sed sit finis, quum illi finem nullum faciant, nam in infinitum sunt egressi, quum in omni Dialectica, tùm potissimùm in his parvis Logicalibus, quem septimum tractatum nominant extra Logicam utramque, novam, & veterem, quod nihil esset de his traditum à prioribus: quæ res in causa fuit tantopere corrumpendi hanc partem, quod ipsi nulli meliùs sentienti innixi, toti essent sui: confinxerunt omnia pro captu illo suo, & linguæ, & bonarum rerum omnium experti. Atque hoc loco, inque reliqua omni Dialectica, quum ignorarent, quænam essent sua, quæ aliena, & in omnes ferè artes impetum indoctè fecissent, detinuerunt auditorem diutissimè, tradendis tam multis præter rem naturalibus, supernaturalibus, divinis, Grammaticis, quæ ut erant perplexa, & confusa omnia, ita fuerunt per majores ambages circumducenda. Mirandum est, quum Dialecticam fateantur esse instrumentum aliarum artium: huic Lutetiæ duos annos impendi, cæteræ autem Philosophiæ, & de natura, & de moribus, & primæ Philosophiæ, vix annum. Quid? quòd quidam etiam de hoc anno aliquid Dialecticæ decidunt. Multi tota vita etiam longissima nihil sunt aliud quàm Dialectici. Ea mora plurima suasit inducere alienissima à re, & depravatissima. Idque usu venit eis, quod est apud Ciceronem de Philosophię studiis, persona L. Crassi in

si in tertio de Oratore: Ista discuntur, inquit, facilè, si & tantum sumas quantum opus sit, & habeas qui docere fideliter possit, & scias etiam ipse discere: sed si tota vita nihil velis aliud agere, ipsa tractatio, & quæstio quotidie ex se gignit aliquid, quod cum desidiosa delectatione vestiges: ita fit, ut agitatione rerum sit infinita cognitio, facilis usus doctrinam confirmet, mediocris opera tribuatur, memoria studiumque permaneat: libet autem semper discere, ut si velim ego talis optimè ludere, aut pilæ studio tenear, etiam fortasse si assequi non possim. At alii quia prȩclarè faciunt, vehementius quàm causa postulat, delectantur, ut Titius pila, Brulla talis. Quare nihil est, quod quisquam magnitudine artium, ex eo quod senes discunt, pertimescat: namque aut senes ad eas accesserunt, aut usq; ad senectutem in studiis detinentur, aut sunt tardissimi. Res quidem sic se, mea sententia habet, ut nisi quod quisque citò potuerit, nunquam omnino possit perdiscere. Sic Cicero. Et quia statim altercandum erat, & semper altercandum, quæsita sunt spinosa quædam apta disputationibus, quæ materiam suppeditarent rixis, & diutissimè proferrent altercationem etiam in tradendis præceptis artis: nihil semel dicunt, ne adimant sibi argumentandi, & in contrarium dicendi occasionem. Sed si quam definitionem, aut formulam tradunt, primum confusè & ruditer proponunt, postea paulatim, velut cogentibus ad id argumentatiunculis, expoliunt, & crebris tibicinibus fulciunt, ut denique per longissimos verborum circumactus sit perfecta: & querun-

runtur postea de prolixitate eorum, qui excultiùs scribunt, quum ipsi dum undique ansas argumentorum venantur, id multis paginis vix explicent, quod exponi paucissimis verbis potuisset. Iam verò ne deesset velut bello huic commeatus, de omnibus inquisierunt etiam reconditis, & alienis, & puerilibus, & absurdis, & de iis quæ capere non potest humana mens: quum tamen Aristotelis sit in primo Topicorum, sententia, neminem sanæ mentis propositurum, quod ab omnibus vel re probatum sit, vel comprobatum, vel etiam plurimis: hæc enim dubitationem nullam habent: Nam quæstio dialectica, est quæstio probabilis, non paradoxa: nec contenti iis, quæ natura ingenii humani assequi, & definire poterat, ad vivum voluerunt omnia resecare, adducti dulcedine disputandi. Et quemadmodum qui pruritus titillatione acti, nimium scabentes, sanguinem eliciunt, & dolor succedit in locum suavitatis: & mali chirurgi, dum morbidum nimis resecant, sanum quoque attingunt: ita isti dum nimiũ scalpunt, veritatem amittunt, & in falsum incidunt, quod profert se majore aliqua verisimilitudine, quàm verum ipsum: ut interdum orichalcum magis exprimit colorem auri, quàm aurum ipsum: & qui simulat, quàm qui agit simpliciter, propiùs ad imaginem veri accedit, etsi longiùs à vero ipso. Hinc est acutus ille Mimi versiculus: Nimiùm altercando veritas amittitur. Ad populum verò spectatorem, & interdum etiam, si Diis placet, altercationum arbitrum quęsita ludicra tanquam in fabula, ac ipso sono grandia, & vasta, ut pul-

pullata turba admiraretur, quę non caperet, ipsique magni essent vulgi existimatione. Inde arrogantia, quod aliquid sibi esse viderētur, quia populo stulto judici videbantur: nam bellaces homines pulcherrimum censebant esse titulum invicti, ut Principes: hinc Sophistæ nomen sunt amplexi, quum alioqui Sophistam definirent non existentem, sed apparentem. Quidam se horribilem Sophistam cognominabat Lutetiæ, non minorem eam appellationem ratus, quàm Africani, aut Asiatici: Intravit palam, & magno agmine ostentatio, atque ex ea pertinacia non cedendi melius dicenti, ne victus hoc coactusque vi argumenti videatur facere: & ex pertinacia tuendi quicquid suscepissent convicti, & prostrati, ad rem maximè absurdam confugiebant, quæ illos, in præsens, periculo eximeret: mox liberati honorem illi habebant, tanquam Servatrici, & dignitatem attribuebant placiti, ita ex evasione transibat in dogma. Accendebantur leves homines gloriæ cupidine, quum se quisq; authorem haberi vellet novi inventi, quæ confirmavit consensus sequacium, quod erat factu facillimum, cúm ad eam rem nec literis, nec libris esset opus, tantùm invicta contentione, si sibi in respondendo constaret, nec admitteret repugnantia: Verè erant placita: nam pro ratione nihil afferebatur aliud, nisi; sic placet, sic videtur, impugna ipse, ego, consequenter, tuebor. Nam quum Aristoteles quinque metarum genera posuerit, in quibus sistit disputatio, ubi ad aliquid illarum est perventum, isti nihil est tam nugax, aut inopinabile, aut contrarium magnis vi-

ris, aut absurdum aut anile, quod metam censeant: sola contradictio est meta, & ea una efficit, ut rejiciatur dogma ad alia quantumcunque absona, & stulta: unicum dant responsum, concedo, nam sequitur ex mea conclusione: imò ipsi iidem posito dogmate statim ultrò inferebant paradoxa quædam, ad quæ omnia illa erat clausula: hæc omnia sunt concedenda, quæ sequuntur ex opinione mea. Ita Dialectica fuit quicquid cuivis aliquando, quomodocunque venisset in mentem. Qualia verò essent illa placita, præter ea quæ attigi, quæ tamen sola attigi maximè inter eos vulgaria, & receptissima: de peculiaribus, quorum nullus est modus, hinc potest intelligi, quod ad ea asserenda, veniebant pueri sine lingua, sine libris, sine eruditione, instructi casibus tanquam quæstionibus hariolandi, quas pueri unius noctis meditatione sexcentas citiùs excogitant, quàm viri graves sexcentis annis unam. Omne *a* possibiliter est *b*, & tamen nullum *b* possibiliter est *a*: & ejusmodi. Hinc infinita dogmata, & totidem Dialecticæ. Hæc Pauli, illa Hentisbari, alia Manttuani, Scoti, Thomæ, Alberti, Ochami, Pardi, Dullardi. Parcam nominibus viventium, & id quidem non in ea parte, quæ est de invenienda probabilitate, aut de judicio argumentationis, quod esset ferendum, sed in intelligentia, & explicatione, ac usu sermonis Latini, qui unus semper est, ac simplex. Et tamen quum talia sint eorum inventa, mirantur non intelligi ab aliis, quæ ipsi somniârint: quasi omnes sint Iosephi, aut Danieles, qui possint illa interpretari: egressique illam suam rerum naturam,

furam, quam incolunt, mirantur se, & sua ab aliis non agnosci, & ad hujusmodi formulas exigunt dicta omnium, quæ quum non congruunt, indoctos eos esse judicant, & asinos pronunciant, gaudentque se non intelligi, ut Circulatores, quod obtuitum spectantium frustrarentur: maximorum quoq; Scriptorum dicta examinant, quæ non congruere ad suos Canones initio nō tam ad mirantur, quàm velut indoctos, & se inferiores aspernantur. Postea tuente illos vetusta authoritate, & consensu generis humani, ipsi etiam distinctionem habebant in gratiam illorum inventam: verum dicunt isti in sensu, in quo fiunt propositiones, non in sensu, quem faciunt. Quo quid potest dici insanius? quasi melius sciant pueri quem sensum faciunt verba, & sententiæ Latinæ, quàm Cicero, Varro, Plinius, Seneca, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus: aut Græcę, quàm Demosthenes, Plato, Aristoteles, Isocrates, Gregorius, Basilius, Chrysostomus, Origenes. Adducti sunt quidam in eam opinionem, ut dicant, hæc quidem hactenus esse aliis artibus utilia, quòd acuant ingenia discentium, & si quis hęc intelligat, facilè etiā alia assequetur minùs difficilia, quorum neutrū est verum. Videntur esse illa ingeniosa, partim quod non intelliguntur: nam quidam ea sola habent in pretio, quæ non capiunt: alii subtilissimam oportere rem esse arbitrantur, quam ipsi non cernant. Multis perinde videntur arguta, ut lusus pueriles festivi, & argutuli. Nam ænigmata hæc non ex ingenio, eruditione multa exercitato & subacto, sed ex ignorantia meliorum sunt nata, tan-

quam herbæ inutiles, in solo inculto: necesse erat eos aliquid agere. Hæc est enim natura humanorum ingeniorum, ut quoniam igneum est, etiam hebetissimum, se ad aliquid agendum applicet. Itaque non acuunt hæc ingenium, sed cogunt sylvescere, contentiosum reddunt spinæ istæ, & morosum, non vividum, & actuosum: in pulchris acuunt quidem, & dedolant, sed ita, ut nihil supersit solidi, extenuant, minuunt, deprimunt: & in his semel fractum haud facilè ad res præclaras sinunt attollere: præsertim quum hæc non modò aliena sint à veris artibus, sed etiam contraria, ut tendentibus ad altiores, ac veras disciplinas, tanta sint hæc cura dediscenda, ne profectum impediant, quanta fuerant accepta: quum tamen instrumentum aliarum sit artium, ad quod depravatum torquent alia, & post tam diuturnos clamores in Scholis adeò se pugnando exercitatos esse rentur, ut jactent se argumentis posse vertere candida in nigrum, & ex homine facere asinum, quod longissimè abest à vero. Nam istorum lingua aut intelligitur, aut non. Si intelligitur, lanista in lanistam dimicat, & pirata in piratam, nihil est jacturæ, etiamsi antisophista mediocriter sit institutus, tanta opinionum inter illos etiam probatarum varietas, ut hac conclusus evadere posit illac, ideo ad obstruendos exitus, & suffugia, multa consueverunt, ut ipsi vocant supponere. Qui non intelligit, quæ loquuntur, quomodo capietur? Coget eos apertiùs loqui, & communi Lingua: in ea verò tam nihil valent, ut nulla sit vetula, aut cerdo de vulgi fece, qui non illis vertat nigrum

grum in candida: nec ulla tam imbecillis ratio sumpta de vita, & de medio, quæ non eos perturbet, nempe res ipsis nova atq; inusitata. Laurentius Valla aggressus est reconcinnationem facere Dialecticæ, in qua dissentit ab Aristotele, & Peripateticis veteribus ac novis. Monet in quibusdam neutiquam pravè, etsi ea sunt perpauca, in plerisque labitur, ut fuit vir ille vehemens, & ad faciendum judicium præcipitatus. Nec solùm in re Dialectica falsus est, sed in Philosophia. Nam hanc quoque attingit, & quod magis mirere in præcèptis Latinæ Linguæ. Sed non minùs illic improbando aberravit, quàm in elegantiis, & invectivis. Cæterùm Dialecticæ illius errores, qui sunt sanè multi, nos vel omittemus prorsum, vel in aliud tempus, si videbitur, reservabimus: nam suscipere cum eo disputationem, res esset nimium prolixa, minimeque in præsens necessaria, quòd illius argumenta nec magnis rationibus nituntur, nec proinde sunt ab ullo recepta. tanquam dogmata artis hujus. Hactenus *Ludovicus Vives*, cujus verbis, prolixis quidem, sed instituto nostro apprimè accommodis, proponere placuit varios illos morbos, qui Logicam, nobilissimum illud ὄργανον ὀργάνων, invaserunt, & infestârunt.

Cladem hanc alii quoque viri magni deplorârunt. *Ioh. Franciscus Picus*, Thomæ VVolfio: *De Dialectica ad filium libros quinque scripsi, sed & animum aliquando appuleram ad scribendum universæ Philosophiæ confecta-*

rium: verùm, quando id muneris cum Græcis, tum Latinis auctoribus multifariam tractatum sciebam, ad hanc diem abstinui, Logicam solam amplexus, quæ ut commodè & Latinè perscriberetur, desiderabatur à multis. Id ipsum oneris libenter obivi, tum quòd ij, qui Græcè nesciunt in Latio versati, barbarum nescio quid, & præposterum, cujus stridore scholarum subsellia franguntur, ferre non possunt, & pedem ubi perferre debent, maximè referunt. Idem Iohanni Thomæ, filio; *Erratur enim hoc temporis plurimum consuetudine prava, quod & pessimi coluntur duces, nec sunt, qui senticosos & plenos vepribus calles perpurgare moliantur. Quotus enim quisque non pavore consternatur? non horrore diffugiat, qui hanc ipsam disciplinam aliarum penè omnium magistram percepturus est, & cùm primum in scholas aditum tulerit, actutum audiat: Terminus est signum orationis constitutivum, ut pars propinqua ejusdem. Quis etiam valentior aliquando progressus non remoretur modò; sed pedem referat, cùm terminorum suppositione, vel de longin-*

ginquo subodoraverit. Sed & illud discentibus, & quidem eximium incommodum obvenit, dum Aristotelis organum aggressuri sunt, & primo quasi in limine offendunt excogitatas à neotericis inexplicabiles quæstiones dixerimus, an verius ambages? quæ tametsi vegetum alioquin reddere ingenium queant, seorsum tamen præbendæ juvenibus, & inter Physicas & Metaphysicas ediscendæ. A quibus cum Porphyrius Dialectices Isagogen scribens ex proposito abstinuerit, ipsi de industria ante fores inculcant. Sophismata Britannica (taceo quæ sunt hominum sæpe inversa judicia) veris & solidis Aristotelis Philosophi præceptis præponuntur. Consultius fieret, si eo illa differrent loco discutienda, quæ magnus ille Dialecticæ Doctor de Sophisticis Elenchis argutissimè, subtilissiméque disseruit. Eisdem enim regulis universa dilui solvíque possunt. His ipsis impedimentis sæpe numero contingit, ut multorum annorum dispendium patiantur juvenes, nec laboris etiam sui fructum, nisi serò, promant, & marcentem verius, quàm præmaturum. Via enim

(ut ille inquit) incipientibus opus est, & ea plana, tum ad ingrediendum, tum ad monstrandum expedita. Alexander Hegius lib. 3. de invent. Dial. *At nostri seculi Philosophis, si quaeritur & arguitur, primo & secundo; & notandum quarto aut quinto, & consequentia tenet in Baroco, & reliquas id genus ineptias demas, destitutos prorsus & nihil quod dicant habituros videbis.* Iohannes Murmell. in Scopar. in nugas vulgarium Dialectices Professorum ita invehitur: *Non injuriâ doctissimus Origenes Aegyptias ranas Dialecticorum & Sophistarum garrulitatem interpretatur, quod deditâ operâ docilium discipulorum aures variis & iis quidem ineptissimis nugis obtundere non desinunt, cujus generis sunt.* Nullum universale est Subjectum: E. nec universale. Sunt solùm quatuor universalia. E. non sunt quinque. Antecedens probatur: Quod sunt quatuor & non plura. E. sunt solùm quatuor. Rursus probatur antecedens: Quod sunt quatuor & unum: sed unum non est plura. E. sunt quatuor & non plura. Item: Sunt sex praedicabilia; quia sunt quinque & unum, puta Genus & Species. Sed quinque & unum sunt sex. Ergò. Praeterea: omnis divisio debet esse bimembris. Sed ista non est hujusmodi. E. non est bona. Et: Nullum complexum

xum definitur: sed vox significativa ad placitum est quoddam complexum. E. non definitur. Item: Anima est subjectum hujus scientiæ: E. non ens ordinabile in genere secundum sub & supra, prout substat voci talem ordinem importanti. *Hæc & id genus alia centum multò frigidiora, non semel tantùm studiosos admonent; quod equidem non improbarem; sed passim inculcant, & idem Sophisma, mutato tantum verbulo, plus centies ad extremam usque nauseam miseris auditoribus inferciunt, ut nihil aliud quàm maxima temporis, rei quidem pretiosissimæ, jactura diutius eos à profectu remorari, & sui simillimos reddere, hoc est, citra solidam doctrinam garrulos & contentiosos majori cura quærere videantur. Quantò satius foret vel Philoponum & Boëthium, vel saltem Albertum & Thomam imitando, diligenter auctorum verbis pensitatis, ipsorum sententias simpliciter exponere, & nonnunquam dissidentes enarratorum glossulas conferre, & quod maximè tenendum videatur, vel admonere lectorem, vel ejus arbitrio permittere, quàm textu, quem vocant, neglecto in minutissi-*

mas quæstiunculas omnia frustillatim dissecare, & perplexis Sophismatum ambagibus nihil non implicitum obtrudere; & impurissima barbarie, sophisticáque loquacitate bonas omneis confundere disciplinas. Ostenderem nunc aliquot ineptas & falsas dilutiones, seu mavis solutiones, quas ipsi passim pro veris ingerunt, & ad quamlibet objectionem, tanquam ex cella penuaria depromunt, nisi & hic libellus ea re nimis excresceret, & id peculiari magis opere faciundum videatur. Apponit postea iis veterum contra Dialecticos Sophistas monita, quibus & *Raphael Volateranus* bellum indixit. *Zeno Eleates,* inquit, *primus hanc Philosophiæ partem ad verborum contentionem deduxit, ne dicam inquinavit, cùm planè ex Epicuri sententia res naturæ Dialectica non opus habeant, multò minus Theologia, ut ait Hieronymus. Ambitionis commenta sunt omnia, ut scientia difficilior cognitu putaretur, satísque constat, ipsum quoque Aristotelem gloriatum apud Alexandrum fuisse, Physicam, ab se editam, neminem esse satis intellecturum. Neoterici verò multò ambitiosius hanc invo-*

volucris & ænigmatis postea distorserunt, ut jam Sphinge opus sit ad artem Raimundi. Is enim vir Gallicus sublimi doctrina sub Johanne XXII. alia quoque obscuriora reliquit, quæ in sanctuariis Parrhisiorum adservari ferunt. Sed & hæc contagio nostros jam dudum adfecit Religiosos, & in eorum conciliabulis ac disputationibus is maximè provehitur, qui cæteris clamosior & arrogantior videtur tum maximè sapere, si portentosis nominibus è cœno commentariorum depromtis, quàm minimè ab aliis intelligatur. Neque ars vituperanda, quæ sicuti sobriè percepta ingenium acuere; sic pervertere poterit, si multum hæc temporis, ac de verbis magis, quàm de rebus, déque victoria magis, quàm de veritate solicitum teneat, quod vitium Cicero dicit maximè contra prudentiam esse.

RHETORICAM, quæ Ecclesiæ Ministris, *Vivis* judicio, tribui debuisset, ne quidem ad Grammaticam, si culturam & cultores ejus spectes, accessisse, idem graviter conqueritur. *Recepta Christiana pietate* (scribit lib. IV. de caus, corrupt. art. p. 158.) *passi sunt Principes, quod universis in commune conduceret, ut Presbyteri ad po-*

populum de rebus sacris loquerentur: ita cri concionatores priscis illis oratoribus s cessere, sed dissimillimo successu. Nam qu tò illos superamus rebus, tantò parti omnibus eloquentiæ tota vi persuaden sententiis, argumentis, dispositione, verb genere orationis, actione inferiores sum Cujus rei culpa divisa est inter dicentem & audic tem. Olim, qui dicebant erant callentissimi usus totius prudentiæ communis, tractandorum a morum peritissimi artifices. *Qui nunc dicun quàm dispares, imperiti, ignari vitæ, in etiam communis sensus: qui sint affectu aut quemadmodum vel impellendi, vel r vocandi omnino nescii.* Nec cui rei quæ, verb quod genus orationis sit adhibendum nôrunt, om nia bene convenire omnibus rati. Sententias h bent plumbeas, frigidas, jacentes, segnes, quæ an mos dejiciant citiùs, quàm excitent: argumenta tiunculas colligunt ab illo exercitio scholastic quæ ventilant quidem, & titillant interdum, nun quam feriunt aut cædunt. *Dispositio fusa & dissipata: nihil dicunt suo loco: actio im moderata: nihil pro re aut tempore: non in voce, non in oculis & ore, non in manu & digitis, non in gestu & statu corporis uni-*

ver-

versi: quæ illi ita habent cognita, ut nulla esse arbitrentur, nec interesse saltitent dicentes, an sedeant. Memoriâ patrum & avorum cœptum est in Italia revocari studium linguarum per discipulos Petri Ravennatis Latini, & Emanuelis Chrysoloræ Græci, inter quos maximi nominis fuere Leonardus Aretinus, Franc. Philelphus, Lau. Valla, Varinus Veronensis, Perottus Nicolaus. Secuti sunt eos Ioh. Picus, Hermolaus Barbarus, Angelus Politianus, & alii, quos hic recensere nihil attinet. Hos verò & quotquot doctius Latinè loquerentur, quàm cæteri, Oratores vocaverunt. Sed ij, qui vim nominis parùm intelligerent. *Exercitium enim artis nondum est reductum, sed tantùm in linguis, funditus dejectis ac pessundatis instaurandis atque erigendis, cunctum illorum studium consumtum est.* Quippe artis hujus præcepta exercitio remoto nihil juvant. Hactenus nemo declamavit utique in materia argumentosa, & quasi in certamine & palæstra, tametsi multi delectârunt se oratiunculis, quæ adversarium non haberent; ut laudationibus artium, virtutum, Principum hominum: vel rabiosè se exercuerunt canina facundia, invectivis, quibus lacerarent invicem, id est, convitiis & maledictis in unum congestis, quotquot possent, quis adversarium proscinderent, naso suspenderent, irridendum & contemnendum omnibus exhiberent, de causa nihil dicerent aut perparum: si qua tamen alia erat causa, quàm

quàm susceptas levi aliqua de causa inimicitias at
citer persequi &c.

In MATHEMATICIS & MORALI PH
LOSOPHIA quid desiderârit *Vives*, ejus de c
rupt.art. libri loquuntur: *Hanc cumprimis fa*
tur hominum vitio nimis esse Aristotelica
Vnde factum, ut cùm sibi quivis judicium sumse
de se & suis meritis, Christiana humilitas paulati
suffocata fuerit & oppressa. Sed ipsum audiam
Vivem lib. VI pag. 206. ita loquentem: Et vis, ma
nanimum, & quemvis hominem probum judic
turum se, quo honore sit dignus? Quid audic
Tunc judicium cuiquam homini permittes de
ut statuat quantum honoris mereatur, præserti
qui alios non nôrit, & plerique bonorum in com
paratione sint positi. Vin' tu quemquam de virtu
te sua esse æquum arbitratorem, quum eò vir
melior, quantò de se moderatius sentit, quantur
cunque se habeat probè perspectum: neque enin
idem est, se nôsse, & se censere: multò diversum ex
plorare se, & cum eo conferre, quem non explorâ
rit. Quàm alienum hoc est à verò judicio, & proin
de à nostra pietate, in qua audimus: *Postquam*
hæc omnia feceritis, dicite: servi inutiles
sumus. Noli altum sapere, sed time. Bea-
tus, qui semet ipsum non judicat, in eo quod
probat: & alia ad arrogantiam minuen-
dam innumera. Quid? quòd illud, unde in reli-
gione ac veritate omni & meritum cujusque, & de-
cus

cus censetur non solùm de altero occultum est, sed cuique de se ipso: grande arcanum uni divinæ sapientiæ reservatum: Sunt justi & sapientes, inquit Solomon, & opera eorum in manu Domini: & nescit homo amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta. Quo sensu & Paulus inquit: Nihil mihi conscius sum, sed nec in hoc justificatus sum. An etiam, sicut paulò antea duas beatitates, ita nunc quoque duas virtutes fingimus, & duas fortitudines, & duas magnanimitates, unam Christianam, alteram gentilitiam, seu Aristotelicam potiùs? Pudeat verò Christianos sic loqui, nisi fortè non aliud sit nobis Aristotelica, quàm picta, ficta, mortua: pro umbris verò & mortuis quid attinet dimicare? *Non possumus Christo servire & Aristoteli contraria præcipientibus: Illi attollenti nos ad cœlum, ad Deum Patrem suum, & per contemtum vitæ hujus ad curam illius sempiternæ: huic prementi animum nostrum, ut arctius complectatur hoc corpus, curas & cogitationes suas omnes in hac ævi brevitate consumat. Quantum hoc obfuit multis in pietate, dum obliti præceptorum Christi satis se rectè & sanctè ex præceptis Aristotelis putant vivere, & ad ea tanquam vitæ formulam opera & actiones humanas examinant, atque in flagitiis ac sceleribus sibi ipsi & aliis indulgent*

gent, imposito pulcherrimarum virtut nomine ex doctrina Aristotelica, ut in i in ambitione, & honoribus affectandis luxu & profusis sumtibus, in ultione Nam & hanc quoque in ordinem virtutum Ari teles admittit. Vides fundi Theologici & Chris næ Ethicæ calamitatem! Christo & Apostolis ristoteles succelsit, cujus proinde Ethica, ut a jam diximus (vide *Anal.*P.1.p.52.) ipsa pulpit loca sacra invaserunt. Indignum etiam *Vivi* erat sum, Ethica præcepta, quæ suadendo inculcari buissent, rixosis quæstionibus & disputationi ita fuisse exagitata, ut altercando veritas detrim tum sit passa. Quid malum (scribit p.208.) fut tandem est infinita hæc disputandi rabies? Ver runt ad altercationes disciplinam morum, quæ agendum esset parata; & sic tractârunt non ut n liores vel fierent, vel facerent, nec ut rectè stat rent de virtutibus & vitiis, sed ut cavillarentur. quo indignitati nihil fiat reliqui, etiam Suiceti s nas, & aculeata Sophismata huc invexerunt, de tentione & remissione vitiorum & virtutum. D lecticam quoque, non illam paulò saniorem, commenta parvorum Logicalium, de ascensu, c scensu, suppositionibus, ampliationibus, restricti nibus, appellationibus. Quid facerent miseri? E ercebant ea, quæ sola didicerant: præstarent m liora, si haberent. Atqui disputationes minimè su idoneæ, vel ad persuadendum, vel ad reddend meliores homines.

[i] Hi

[*I*] Hinc tot conflictus, convitia, & processus contra eos, qui Linguarum studium voluerunt restitutum. De *Reuchlino* jam supra quædam monuimus. Cætera, quæ de certamine ejus cum Coloniensibus & aliis Theologis Pontificiis tradunt authores, ad Iudaismum pertinẽt. *Erasmus* quàm fervidus ubique est, præsertim in Moria, & Epist. ad Dorpium Barbaromastyx? Nec alio vel in Murmellium, Alcmariensis Gymnasii Rectorem, vel in Lud. Vivem βαρβαρόφιλυς fuisse animo, clarè ex iis, quæ in examine Grammaticæ excussimus, patet. Et ut plebi etiam hoc linguarum odium commendarent, hæreseos eas seminarium vocârunt, *Vive* teste, lib. 2. de corrupt. art. p. 79.

[*K*] Qua de re fuse actum P. 1. *Anal*. p. 8. & deinceps: quibus nullas de Orientalium Linguarum ignorantia addimus querelas. Hoc profectò & deplorandum, & intolerabile videbatur, quod ne Latinam quidem linguam, quâ sacra sua peragebant, Pontificii Ministri, vel castigatè loqui, vel emendatè legere sæpe potuerint. *Illi* barbari erant, *hi* balbi. De *illis* (de *his* enim jam supra ex *Beroaldo* verba fecimus) *Lud. Vives* l. c. p. 93. *Sed cùm jam Latina lingua propè tota interijsset, viderentque plausibile & venerandum, magnique ad opinionem ingentis eruditionis momenti horrenda barbarie & soloecismis orationem co nspurcare, unusquisque ad exprimendum quod volebat, verbum de sermone vernacu-*

O

lo mutuabatur, aliâs quod decorum cre
retur, si quàm pessimè loqueretur: al
quod expeditius: Interdum quoque, qu
meliore quidem voce non carebat quide
sed non esset intellecta. Itaque malebant a
qui, juxta vetus dictum, imperitius loq
modò apertius: Nata est hinc barbar
nō una, sicut una erat Latina lingua, ver
sua cuique nationi & Genti. Aliam ex
vernaculo invexit Hispanus, aliam Ital
aliam Gallus, aliam Germanus, aliam B
tannus, nec hi mutuo intelligebant. Beroa
presſius hoc úlcus tangit quar. Comment. Tu
lan, quæst. *Illud notandum, quòd cæcum a*
mal ille offerre dicitur Deo, qui ordinat
doctum. Quo vitio nullum fœdius est, m
ximè in religiosis & religiosam doctrina
administrantibus. Ignorantia, inquit Le
in laicis videtur intolerabilis, quantò ma
in his, qui præsunt, nec excusatione est
gna, nec venia? Nunc Sacerdotes nos
temporis pro Psalterio Davidico canunt
rotica, hoc est, amatoria; pro lectione Eva
gelii lusorias chartulas diligentissimè
volvunt, pro Apostolica doctrina callent
te

tem tesserariam: quos si Latinè loqui audias, non Latialiter loqui, sed pedere dijudicabis, qui vix tria verba jungere miserè poterunt, in quorum labris scatent barbarismi & soloecismi. Doleo mecum ipse, cùm audio nonnullos Latina verba tam malè pronuntiantes, ut credas eos barbarica, & cum stridore anhelantia verba proferre. Et Ioh. Murmell. *In hominum illiteratorum numero si non sunt hi habendi, profectò nescio qui sint habendi. Quorum primus in Epistolio ad me dato non tribus versibus longiore, se*cies *erravit insigniter, ut ad errata leviusc*ula *conniveam. Nam* recommendatione *usus est, pro* commendatione; *sed ei* cum *multis est commune. Quod autem* conquerâsse *protulit, pro* conquestum esse, *miror è quibus tabulis didicerit, declinandum esse* conquero, conqueras, conquerare, *qua declinatione si quis puerorum vel infimæ classis in ludo literario uteretur, certè ferula verberandus esset à Magistro. Ad hæc* abstraxissent *posuit, pro* abstraxerint, *confusis ineptè verborum temporibus, quorum rectam discretionem nunquam*

didicisse videtur. Cedulam *item scripsit*
ne s, *cùm à doctis scribatur* sceda (*ut q*
busdam placet) scheda *per ch aspirati*
post s, unde per diminutionem schedu
seu scedula *derivatur. Præterea tal*
qualem, *Leguleorum more, dixit, pro*
quod est, qualemcunque *seu inceptam.*
stremò hijs *per* ij *geminum pro* his. *Hu*
tamen, quamvis non uni mihi, sed duob
tribúsve populis magnas tragœdias exci
verit, ne nominandum quidem duxi. Secu
dus coram aliquot non illiteratis hæc ver
effutivit: Unus Stuferus habebit Mag
ster Gerardus. *O dignum Prisciano mas*
ga, cui res Ecclesiastica credatur admi
stranda! Nec tertius ignorantiam sua
minus his prodidit, qui in convictu mult
rum, cæteris Latinè garrientibus, cùm sol
diu vel obmutuisset, vel Germanicè proloc
tus esset, tamen potu victus, ut se quoq; oli
in ludo fuisse ostenderet, nobis audientibu
Quis, inquit, est se ipsum, *pro eo quod es*
quis est sui ipsius, *seu,* quis est sui juri
Sed dies ante defecerit, quàm vel minimam
partem soloecismorum, barbarismorúmqu
qu

quibus vulgares sacerdotuli scatent, recensuero. Fæcundum inprimis florilegium ejusmodi barbarismorum habet *Henricus Bebelius* in suis facetiis, quibus seria nō rarò, & in vulgus nota, inseruit. *Quam gravis,* scribit, *& periculosa sit cura pastoralis, atque animarum regimen, Gregorius & multi Patres sancti, suis libris complexi sunt. Attamen nunc, proh Deorum atque hominum fidem, conferuntur illa sacerdotia atque cura pastoralis sine delectu, indoctissimis quibusque, ut miserandum sit illis animabus (ut Ecclesiasticorum more loquar) quarum curam hi indocti asini susceperunt: De quibus cùm non sit hic locus multa loqui, dicam quod ego scio. Veni nuper in quoddam Monasterium multis indulgentiis, ut cum vulgo loquar, & Apostolicis prærogativis dotatum, ut prædicant. Quod si ita est, depravantur tamen sacerdotum ignorantiâ: convenit enim ibi me bonus amicus, qui confessus erat sacerdoti illic præsidenti, narravitque mihi dum integram confessionem facere instituisset, interruptam fuisse à sacerdote qui diceret, ut tantùm capitalia, hoc est, mortalia peccata*

confiteretur, tantam esse indulgentiam, *venialia, quæ vocantur, peccata sine conf* *sione deleret. Postremò ostendit mihi lite* *suam confessionem testificantes, in quib* *multos soloecismos inveniebamus.* ... *quod ego: Tanta est, dixi hujus Aedis* *dulgentia, ut etiam incongruitates toll* *atq; incongruum congruum faciat. Ad* *alter: Mirum est, inquit, profectò, n* *quam enim audivi antea, extendi illa p* *vilegia in præjudicium & læsionem Pris* *ani, cui ego ajebam: Extendi illo etiam* *tra Pontificis, cujus rescripta per inc* *gruitatem vitientur.* Et paulò post: *Con* *ni Sacerdotem quendam Italicum in Ol* *ponte, qui erat cum exulibus Mediolan* *sibus, & cœpi percontari de novitatibus* *taliæ, ille averso vultu stans ajt:* Non i telligo, non sum sacerdos ad Gramm ticam: *Ego, ad quid es Sacerdos, dixi.* R spondit ad tria Missa. *Ego in eodem* *nere quæsivi,* ad qualia? *Respondit,* de Virgine, Spiritu Sancto, & pro defu ctis. *Vade ergo in pace cum* tua tria Mis *dixi.* Hæc, etsi ridicula videantur, & ad alia re g

ganda subsellia, non possunt tamen, quia miseram Scholarum superioris seculi faciem, & praxin Ecclesiæ Romanæ ob oculos ponunt, omitti. *Miserandum enim & dolendum erat* (ut ejusdem Bebelii verbis utar) *quod adeò sine delectu sacerdotia & beneficia conferebantur, atque gratiæ expectativæ indoctissimis quibusque præsertim Curtisanis, qui cum nullius essent neque studii, neque eruditionis, Romam profecti erant, atque in despectum literatorum multis beneficiis & curatis quidem dotati repedabant domum, in magnam perniciem & interitum Ecclesiarum & animarum fidelium.* Exemplis deinde iterum aliquot probat, quam malè multi versati fuerint in Latinitate. *Quidam illorum* (inquit) *dicitur venisse ad quendam Pontificem pro beneficio, à quo cùm esset requisitus, quot haberet beneficia, respondit, tres: Ad hoc Pontifex*; sufficit tibi unus, *atque eum à se repulit. Fecit autem sicut alius quidam Idiota, à quo cum quæsitum esset, ab Examinatore, ut vocant, Constantiensi: Quot essent Sacramenta?* Respondit, Tres. *Ad hoc Doctor conformiter loquens:* Quos? *Dixit ille Asinus:* Thuribulum, Baptisterium, & Campanile. *Alter nuper*

quæsitus Constantiæ: Cujus Diœceseos esse? *Respondit:* Sum de Altenbülach: *Ita en[im] vocabatur ejus patrium oppidulum: qu[a] enim Diœcesis esset, ignorabat. Illi, dum [sa]crificant divinas operationes; ut nuper qu[i]dam jocatus est; dicit Christus ad matren[m]: Vale mater: vado enim iterum crucifigi. A[l]ludens ad ignorantiam illorum, dum pe[r]versè & corruptè legant sacras & mystic[as] literas.* Et ut satis expectoret suum hunc, [ob] stragem Scholasticam, *Bebelius* dolorem, redit pa[u]lò post ad toties jam inculcatam de indignis ad [sa]cra promotis querelam. *Prius detestatus su[m]* (inquit) *seu ambitionem & avaritiam, se[u] perversam quorundam malevolentiam, dum sacerdotia & beneficia, quæ dicuntu[r] indoctissimis plerunque conferuntur, qu[æ] mercari solent muneribus & favore (dum docti homines negliguntur, nec possun[t] emergere) nunc iterum ostendam, quid pro[ve]niat ex illorum ignorantia. Commiss[a] fuit cura pastoralis cujusdam pagi sacerdo[ti] inprimis rudi & indoctissimo, qui cum sepelire vellet gladio interemptum quendam, in adulterio deprehensum, affuerat ei tamen inopinato, vicinus sacerdos, qui consuluit*

ſuluit, priùs Epiſcopi conſenſum petendum: acquievit ineptum capitulum: atque Epiſcopum accedens flexis genibus dixit: Proficiat venerabilem patrem. *Epiſcopus tacuit, atque hominem indignanter aſpexit. Tum rurſus ille:* Proficiat venerabilem Patrem, Iohannem de Luterbach eſt mortuum, non elatum (id eſt, oleo unctum) non chriſmatum, non ſepultum, ſine corpus Domini, *& nihil amplius ſciens Latinè loqui, dixit:* Herr ſoll ich jhn in den Kilchhof begraben? *Reſpondit Epiſcopus: Non: cui ſacerdos: Quare? Ad hoc Epiſcopus: Quis te ordinavit (ut illo verbo Eccleſiaſticorum utar) in Presbyterum? Reſpondit ſacerdos:* Jhr Herr. *Cui Epiſcopus: quando? ad hoc ſacerdos ſummiſsè:* Herr wiſſet jhr/da ich euch die zehen gulden gab? *Ita Epiſcopus propriam culpam invenit & extorſit.* Ignoſce, quæſo, candide Lector, his nos nugivendulorum nugis tam diu immorari. Nugæ ſint, tricę, & apinæ ineptorum Eccleſiæ Miniſtrorum, indices tamen triſtiſsimæ eſſe cladis, qua factum, ut juſtiſsimo DEI judicio, ſacra ſua ſacrificuli peragere non potuerint, quis neget? Vſum linguæ vernaculæ è templis Chriſtianorum Pontifex proſcripſit, Latinæ poſtea ſupellectilis non tantum plerique ſacerdotes habuerunt, ut vel ſuam dignitatem tueri

vel Prisciani legibus satisfacere potuissent. *Ap Pontifices nostros* (scribit Conrad. Celt. Paneg Duc.Bavar.) *&,ut prisco vocabulo utar, sac flamines, ad quos literarum cura & pat cinium jure spectare deberet, ita contemp & vilitati literæ, & illis dediti, sunt, ut vestres feras, auritos canes, frementes & roces equos, aliáque ludicra illis præpona Novimus quosdam obscuris ortos crepu diis, quis dum peregrinationis gratia st diosos viros, in suas curias venisse ac piunt, illis, peritiæ ostentatione, loqui ded nantur, adeò usque Pythagora silentium lis placet, & in barbara Majestate Roma linguæ parcimonia, ne degenerare videre tur, dum pecuniarum studio tanquam r pacissimi accipitres inhiant.* In hoc aute squalore, & Linguæ Latinæ contemtu Sanctitate quærebant. *Avent.* annal.l.4.pag.374. *Nec siv Carolus Magnus, ut tanti Imperatoris ve bis utar, in divinis lectionibus templísqu inter sacra officia, inconditos solœcismo barbarismósque inconcinatos obstrepere, i quibus quidam religiosuli nostra memori sanctitatem collocant.* Neque verò in templi

tan.

tantum soloecismi grassabantur atque barbarismi, ipsa etiam pulpita & rostra Academica, eadem monstra occuparunt, usque adeò, ut publici Doctores, & in disputationibus, & commentariis suis turpiter fuerint hallucinati. *Lud.Viv.* de caus.corrupt. art.l. 1.p.59. *Hieronymus, Platonis peregrinationes recensens in Epistola ad Paulinum, inter cætera scribit: Captus à Piratis & venundatus tyranno crudelissimo paruit,* sed quia Philosophus major emente se fuit, *sic interpretati sunt,* majore se fuit mente, *id est,* fortiorē sumsit animum: *Nec considerârunt, posset ne Latinè dici, majore se fuit mente, & tamen acutum se quiddam credebat invenisse Brito, aut si quis fuit alius inventor. Sodalis quidam noster Lutetiæ, quoties disputaret tot soloecismis, tot barbarismis, ut intelligi à nemine posset.* Supposita, inquiebat congruitate. *Sed in sacris Literis, & in Aristotele plurima sunt detorta hac de causa, quòd sententiolam aliquis decerptam ad disputationem adfert, quam alter ex tempore interpretetur, nec prioribus, nec posterioribus expensis, quæ nec recordaretur, ac ne vidisset quidem unquam.* Suscepit Israel puerum suum.

Vo-

Volunt eum, qui susceperit puerum, esse Isr
lem, quasi in eum possit competere, quod a
ditur, recordatus misericordiæ suæ: *S*
horum exempla non possunt numero co
prehendi. At quicquid semel affirmâsse
præsertim multis audientibus, nefas fi
recantare, aut ab eo discedere, tanquam
voto, quod dicunt, solenni. Subjectóque a
surdissimo aliquo sensiculo, tanquam fund
mento, surgebat illico incredibilis moles
dificij: quæ hoc erat inanior, quò altius er
gebatur.

[l] Quid in *Iurisconsultis* hujus Seculi, ante R
formationem, magni desiderârint viri, uno atq
altero testimonio manifestum faciemus. *Raph*
Regius in Scopar. *Ioh.Murmell.* *Hinc facile app*
ret, quàm sint damnandi non solùm Gram
matici, qui novas abolitásve jam fabula
semper scrutantur, eáque in commentis su
scribunt, ne parùm multa scisse videantur
quæ nihil ad percipiendos sensus auctorum
quos exponunt, ad propositúmve eorum
quæ dicuntur, facere constat: sed etiam no
stri temporis Leguleji *atque Philosopha*
stri, qui sibi quiddam præclarum facere vi
den.

dentur, si, dum profitentur, vel insulsissimi cujusq; nebulonis opiniones ineptas auditoribus inculcârunt. Quibus sanè nugis efficitur, ut quæ aliâs facilia pulchráq; cognitu sunt, subabsurda ac difficilima videantur. Budæ. in annotat. in lib. Pandect. *Jam Baldi, Bartholi, aliorúmq; doctrinas quasdam distinguunt, veluti Philosophiæ sectas multipliciter partientes, simul ad miraculum excitandum nomina quædam auctorum citant, ne nomenculatoribus quidem nota. Palmarium est enim inter eos ignobilissimum cujusq; & omnibus inauditi auctoritatem afferre; translatitium verò & obsoletum veteres commemorare, id est, omnium optimos, sed qui jam ad manum sint omnibus & veluti obsorduerunt. Tum sunt sua cuiq; verba quædam mirifica, omnium tamen barbarica. Hoc enim unum maximè inter omnes convenit.* Idem de fastu illorum. *Intolerandus certè est*, inquit, *istorum fastus, qui è studio juris cum carris librorum redeuntes, velut Aegyptiorum opibus suffarcinati, reliquos omnes literarum studiosos sicut inanes inopésq; aspernantur.*

ve-

velut ex paleis multis modicam frugem a-etiam nullam colligentes: quòd si aliquan-cogitarent, divitias illas suas κεραμέως πλ-τον (ut dicitur i.e. figulinas opes esse, uni-Principis edicto fragiles (quod futurũ m-speramus ingenti humani generis felicitat-nimirum altiores illos ac sesqui pedales sp-ritus deponerent. Francisc.Philelf.in 2.Hecate-secundæ Decadis Satyr.

Hos tu jure etenim consultos fortè vocâris,
Quos ego jure putem constultos nempe v-candos
Et tabulas, qui nil aliud nisi vendere nugas
Edidicere; nihil rerum novere bonarum.

Lauren.Valla, Epist.ad Candid.Decembrem, qua i-librum Bartholi de *insignis* & armis (ut barbarè lo-quebatur) invehitur, non modò unius illius, sed ca-terorum etiam jurisconsultorum scabritiem in ips-limine defricat. *Horum*, inquit, *quos dico Juris-peritorum nemo ferè est, qui non contem-nendus planè ac ridiculus videatur: Ea est ineruditio in illis omnium doctrinarũ, qua sunt libero homine digna, & præsertim e-loquentiæ, cui omnes jurisconsulti diligentis-simè studuerunt, & sine qua ipsorum libri intelligi non possunt: ea hebetudo ingenij, ea mentis levitas, atq; stultitia, ut ipsius ju-ris*

ris Civilis doleam vicem, quod penè interpretibus caret, aut quòd his, quos nunc habet, potiùs nō caret. Sic *Georgius Valla* lib. 1. Polit. *Cùm permulta præclarè legibus essent constituta, ea jurisconsultorum ingenijs pleraque corrupta, ac depravata sunt, ut hodie quoq; dici verè possit; in omni jure civili æquitatem relictam esse, verba ipsa retenta. Plurimus namq; sermo multaq; oratio eorum, qui juri civili operam dant, de verbis ac circa res commentitias esse: Inde & verbosæ ab Ovidio leges appellatæ, ut jure dictum videatur: Hanc juris cognitionem quemquam peritum non facere, sed insolentem, superbum, crudelem, immanem, & ab omni humanitate remotum, nisi quempiam inter innumeros fortè suapte natura ita probum invenias, ut illa fraudum excogitatio perdere, & in cæterorum tum trucem avaritiam, tum singularē feritatem ipsum profligare non potuerit. Ecquæ tandem in his est alia difficultas, nisi in aliquam mentis pestem excogitata versutia, verbosaq; prudentiæ simulatio, ut quemadmodum vix unquam universale aliquid inveniatur,* ut

ut labefactari parte aliqua & subrui
possit, jure cavillatrix cognitio ista no
netur. Etiterum: *At jura ista Romana*
culis jam ipsis contineri non possunt, a
indies major nugis interpretantium, t
voluminum multitudo, tum operum tal
consurgit acervus. Nec (quod pernicios
mum civibus & exteris omnibus, qu
stare legibus compelluntur) ijs tollitur
quitas; sed augetur immanitas omni
cato delinquendi quoquo modo ansa præ
tur, ut meritò à plerisq; audierim, hos
justitiæ Doctores, sed injustitiæ: non hu
nitatis, sed immanitatis appellari.
nam q; longius verbis evagantur, eò ma
riam majorem ad gravius delinquendi
corrixandum, litigandum & perdendi
præbent. Quis non audivit subnixos, inf
tósq;, tanquam reconditum & abstrus
cæteris invenerint, frequẽtissimè jactita
Advertite juvenes, quod de acquirendo pane
sunt: *Hæc, inquam, cùm astu veritatem*
torquere moliuntur; id est, justitiam doce
an potius subvertere? Nec hominis pot
quàm pecudis ad pastum projectæ hæc v

censenda est. At utcunque hoc tanto turgidi malo incedant, variis opes construant rapinis, vivi bonorum hominum nomen, justorum atque innocentum nunquam assequentur: Mortui verò meritas etiam luent pœnas, dum ab judice illo æterno, optimo, maximoq; Mundi opifice gravissimè jactabuntur, qui non saltem aliquo pudore offusi, ut qui vulgo grassatores & sicarij nominantur, in sylvis latitant, in urbis præcordiis, in medio volitantes foro, fronte perfricata palàm non modò inhumani ipsi alacrius volitant, sed etiam instant, urgéntque alios docendo in omne feritatis scelus exultantes. Hæc ne prudentia est juris, an pernicies cladésq; civitatum appellanda, quæ indies serpit, magis magísque invalescit?
Omnium verò clarissimè & calamitatem, & causas ejus ob oculos nobis ponit *Lud. Vives* de caus. art. corrupt. l. 7. p. 221. Maximam obscuritatem sequentibus seculis attulit ruditas duarum linguarum, quibus erant leges scriptę. Ignorata sunt verba Gręca (exempla desideras? Adi *And. Alciati* Dispunctiones: nominatim pag. 163. 199.) quorum frequens est mentio, cùm in toto corpore Iuris civilis, tum potissimum in Codice. & ex eo tribus postremis. Multa citata ex Homero & Demosthene,

& aliis Græcis penitus omiſſa, in quibus erat
ſententiæ Legis, pro quorum expoſitione ur
illud dictum arbitrabantur ſufficere : Non po
legi,quia Græcum : quaſi in perpetuum deſp
rent de eo, quod in præſens non aſſequeren
Quanquam interdum ſine fronte ponunt, q
primum in buccam,ut de contrahen.erat.l.p.
hi verſus permutationem ſignificare viden
Glo. Quia in prædictis verſibus non erat em
ſed comparare.Accurſius. Non pudet iſtos, qu
verſus non legerint,ea dicere. Nec eſt in eis com
rare, ſed οἰνίζοντο q.vinum quærebant. Iam le
permultæ ſunt Græcè ſcriptę,& pravè in Latin
verſæ ab Interprete imperito. Idcirco & plera
omnia verba ſimplicia Græca, quæ in j
ſunt civili relicta, confuſa ad nos venerunt ac
pravata. Inſcientiæ Græcitatis acceſsit imper
Latini ſermonis, ut eorum omnium, quorum
crebra mentio in jure civili,veſtium, ſupellec
inſtrumenti ruſtici,tum rerum ac conſuetudin
fori,ac totius civitatis Romanæ, in quibus ſita
mens legum & ſententia. Ad hæc Hiſtorian
temporum rationem oblivio oppreſsit. Quibus
cauſis pro cœlo expoſuerunt cucurbitam, &
ſtorias confinxerunt,quum veras ignorarent.Q
rum omnium fusè adferrem exempla, niſi ea n
eſſent jam vel mediocriter doctis facta ex libris
rum,qui peritiam juris aggreſsi ſunt illuſtrare,
juti linguis & cognitione antiquitatis Budæi,
ciati,Zaſii,Salomonii Nebriſſenſis. Detracta ta
parte juris Civilis,operta ignorantię tenebriſqua
tulu

tulum erat, quod ad intelligentiam eorum fiebat reliqui? Nempe quæ semper habita sunt facillima, & maximè exposita. Atqui & in his versabantur hallucinanter ac divinabundè, ut non ex verbis sensum deprehenderent, sed ex sensu verba. Nec aliter non rarò divinarent illi veteres significationem alicujus nominis reconditi, quòd viderent ex sensu non posse aliud intelligi, quàm videmus quotidie fieri in iis, qui mediocriter linguam aliquam nôrunt in abstrusis ejus verbis. Et ut fuerunt illi indocti, tum libri Legum frequentissimi illis in manibus, ut si qui alii, depravârunt, quæ non intelligebant: & librariorum insectando inscitiam, quemadmodum Quintilianus ait, prodiderunt suam. Ergo libros illos mendosissimos habemus, adeò, ut plerunque nullus omnino nec à doctissimis atque ingeniosissimis elici possit sensus. Huic malo dicitur servatum remedium in quadam Bibliotheca Florentina, in qua servantur antiquissimi quidam libri Legum correctissimi, qui propter vetustatem ἀρχέτυποι nominantur, & vulgò libri Pisani, unde sunt Florentiam, cum opibus illius urbis, transvecti. Sed nunquam prodit illud remedium: quòd si prodiret, quod vir doctus multis annis quærens, & se defatigans vix invenit, id una hora patefieret, si modò tales sunt, quales prædicantur. Iam quum Iustinianus prolixitatis pertæsus detruncârit scripta Iurisperitorum, ut labori studiosorum consuleret, vetuerit etiam, ne res eodem relaberetur, glossas fieri; isti nihil legem illam pendentes, quum tamen sacrosanctas Leges nominent, Glossas addide-

runt, ſive ut explicarent, quæ obſcura ſibi & aliis
ſent per ignorantiam facta, ſive ad oſtentation
peritiæ, ac nomen proferendum. Et tamen q
non piget legere tam longos Bartholos, Baldos
ſones, Albericos, piget legere Corpus ipſum ju
Age verò, qui jus civile profitentur, quid ſe & p
fiteri, & præſtare oportere arbitrantur? Vlpiar
hanc profeſsionem paucis eſt his verbis comp
xus: Ius eſt ars æqui & boni, cujus meritò q
nos Sacerdotes appellet. Iuſtitiam namque c
mus, boni & æqui notitiam profitemur, æquum
iniquo ſeparantes, licitum ab illicito diſcernen
At iſti obliti ſe juris eſſe & juſtitiæ Interpretes, a
ideo ſacerdotes vocari æqui & boni, relicta p
cherrima omnium profeſsione explicandæ æq
tatis, exiſtimârunt. ſe ſacerdotes eſſe Romani ju
& ex illa naturæ omnium gentium temporúmq
latitudine in has ſe unius populi & unius tempo
anguſtias compulerunt, fortaſsis conſcientiâ im
cillitatis ſuæ, tacito naturæ ſenſu. Nam ad cog
tionem atque interpretationem æquitatis quatu
maximis rebus eſt opus, ingenio, judicio, erudit
ne, variarum rerum uſu atque experientia. Nec
enim oculos facile immittet in arcanum illud & ſ
ctum naturæ lumen, niſi homo ingenioſiſsimu
nec qui viderit diſcernet & cenſebit, niſi maxim
acerrimi judicii: tum in utroque opus eſt uſu
que experimentis, ne quamvis egregium atque e
cellens ingenium, novitate rei fallatur, denique
ea, quæ ab aliis ſunt obſervata, & ad lucem omni
majorem opus eſt varia notitia antiquitatis, qu
pr

prudentiâ adjuvatur, res una in negotiis vitę omnibus incomparabiliter necessaria. His rebus maximis fulti prisci illi veteres de jure audebant respondere, ad quos olim & in foro ambulantes & in solio sedentes domi sic adibatur, quod est à Cicerone memoriæ proditum, ut non solùm de jure civili ad eos, verùm etiam de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, de omni denique aut negotio aut officio referretur, de divinis & humanis rebus universis. Iidem & in Senatu, & apud populum, & in causis amicorum, & domi & militiæ consilium suum fidemque præstabant. Illi demum verè erant juris consulti, seu verius, ut idem Cicero de Servio Sulpitio dicit, Iustitiæ consulti, & æquitatis Sacerdotes atque Antistites. Hoc erat pulcherrimum in civitate munus, & utilissimum suis civibus præstare. Illi verò hoc tanto merito suo prudentiæ nomine decorati sunt. Prudentes enim & habiti sunt semper jurisconsulti & nominati, eàque ipsa disciplina Iurisprudentia, & responsa prudentum: quippe eam professionem non sunt rati absque prudentia tueri se ac præstare suæ civitati posse: Nam quis æquitatem rerum videat, aut definiat sine magna prudentia? Nunc verò quid causæ dicemus esse, quod multi simul sint imprudentissimi & juris peritissimi? &, quod mirere magis stultissimi existimantur etiam ab iis ipsis à quibus & juris callentissimi? Videlicet, facile est homini quamlibet tardo, & ignaro rerum omnium, memoriter leges illas complecti, & tanquam indicem, ubi quicquam habentur, ostendere. Nam ego hos ho-

mines,qui leges alias super alias accumulant, n
reddita ratione æquitatis, quæ ex ingenio & m
tarum rerum experimentis ac scientia excudi
non jurisconsultos soleo nuncupare, sed elenc
aut indices legum. Miselli quid facient, ubi nu
est Legum Romanarum usus, ut apud Turcas, ap
Christianos etiam ferè omnes? In quibus un
quæque gens, alios mores sibi observavit, sec
dùm quos viveret: alia leges invenit commod
res sibi, quàm essent Romanæ illæ. Nec inju
quippe quæ Romanis olim congruebant, n
omnibus jam congruunt: mutata est ratio viv
di, status rerum mutatus. Dialecticus ubique
Dialecticus. Medicus ubique est Medicus, Phi
sophus ubique est Philosophus, peritus æquita
ubique est peritus æquitatis: multum omni lo
apud omne hominum genus pollet ac potest. I
Iurisconsulti non ubique sunt Iurisconsulti, im
jam penè nusquam. Triplex, quadruplex est eis
scendum jus civile, prout mutant locum: pro qu
bus omnibus una æquitatis scientia sufficeret, a
dita levi cognitione consuetudinum & morum ej
populi in quo viverent. Acutius tum respondere
de jure & melius atque incorruptius. Iam qu
modo citant has leges? Non aliter utique, qua
indices. Veteres illi antistites æquitatis adduceba
quidem interdum placitum aliquod majorum su
rum, qui scientia juris valuissent: sed rarò, sed lev
ter, & ratione magis acquiescebant, quàm alteriu
sententia atque opinione. Leges verò multò rarius
Nam de illis constabat, de interpretatione er

qua

quæstio. Isti nullum faciunt finem, leges alias super alias congerendi, quod est plures leges tenere, non plures intelligere. Et subinde occinunt nobis illud, erubescimus sine lege loqui. Quid est, sine lege? Si absque citatione capitis alicujus legis, quid potest dici imperitius, quid ineptius, quàm non esse sine ejusmodi loquendum lege? Sin verò, quod magis puto, sine lege est, sine ratione ac modo, erubescant qui sine ratione ac modo semper loquuntur, & sine lege suas leges profundunt: quod est utique ostentatio magis memoriæ, quàm legum & juris explanatio. Dixi vobis, Elenchos esse istos juris, non consultos. Ceu verò sit puer aliquis, vel muliercula tam rudis, qui, si leges edidicerit, non possit, ubi de hoc aut illo negotio aliquid legerit dicere, & multas leges coacervare: duntaxat quomodo isti leges ad negotia applicant, in quo non parvam & imperitiæ & temporis sui partem perdunt. Nam ut non legerunt leges ipsas, sed epitomas quasdam & summaria, quas vocant rubricas, atque utinam eas omnes. Rubricæ autem colligunt sæpe priorem legis partem, posteriorem relinquunt. Isti ex rubrica citant legem, cujus prior pars utcunque videtur pro eis facere, posterior est omnino contraria, ita ut suo ipsi gladio crebrò se jugulent. Alii proponunt longum sermonem ex decem aut duodecim sententiis conflatum; in fine verò adjiciunt: Et ad hoc faciunt illa lex & illa lex, cùm eæ tantùm ad ultimam sententiam, & quidem leviter faciant, in qua tamen sententia non erat cardo negotii. Alii, quum dicant longam aliquam sententiam, legem adferunt, in

qua sunt duo vel tria postrema verba illius sententiæ. Sunt qui etiam omnino falsò citent, & alias super alias impudenter & confidenter: nam adeo multas simul aggerunt, ut nemo sit tam ferreus & patiens, qui eas sigillatim sustineat excutere. At quod malè ab uno citatum est, fide illius citatur ab aliis plurimis pejus. Neque verò in colligendis ex legibus argumentis sunt feliciores, sive ex ignoratione veræ Dialecticæ, sive ex judicio absurdo, sive ex ambobus: ex facto alicujus quod refertur in lege, trahunt exempla ad alia. Verbi causâ, ut ex eo, quòd Flavius scriba vulgârit fastos, & ideo factus est tribunus plebis dd. *de origine juris*, sic annotat Accursius: Aliquem ex dolo suo præmium consequi, & facit infra ad Munici: l. Titio, & infra, de suis & legit. l. *intestato* § is planè. Arguitur contra *C. de jur. & fer. corr.* l. *si quis servo.* vel dic, quod hoc fecit populus ignorans: *sic ille.* Miser, quid torques? Nec dolus fuit, nec populus ignoravit, nec leges, quas stultissimè allegas, faciunt ad rem. Iam de rerum divisione l. *in tantum.* § *ceno* taphium quoque: magis placet esse locum religiosum, sicut testis est in ea re Virgilius; sed divi Fratres contra rescripserunt, Glo. in verbo *Virgilius*. Sed falsus testis est, ut inf. lege proxima; & de religione, l. *is qui*. Et est argumentum, quod authoritates Poetarum sunt in causa allegandæ, ut supra de statu hom. l. *optimè*; & de solo. *si pater*. Sed in leg. proxima est argumentum contra, quòd sint reprobandæ. Quis Chrysippus, aut Carneades potuisset tam acutum argu-

argumentum excogitare? Iurisconsulti alicujus opinio allegatur in jure & reprobatur: Iurisconsulti ergò authoritas alleganda quidem in causis, sed reprobanda. Quid? quod Virgilius non dicit, debere esse honoraria sepulchra sacra, sed Trojanis temporibus, aut certè Andromachæ fuisse. Istis veró hæc dici, est surdis cani carmen. Lex, *Is qui*, nihil loquitur de Poetis. L. septima authore utitur Hippocrate ad fætus naturam. L. *Si pater*, Aristotele ad numerum fætus. An hi etiam Poetæ? Nihil est frontis in hisce hominibus, non pudet tantæ & tam crassæ ignorantiæ? Iam quorsum pertinet allegari ea, quæ sint reprobanda? Scilicet Martianus, qui pro se adducebat Virgilium, judicabat illius authoritate stari non oportere: talia sunt istorum omnia. Et quemadmodum viderunt altercantes Dialecticos & Philosophos in Schola, ipsos quoque incessit libido sui ostentandi. Altercationes invexerunt, id est, velitationes & luctas. Hinc, quod proximum erat, placita & sectas ex pertinacia. Hæc opinio hujus, ista illius aut illius. Nempe de jure respondere, quum ratio ex æquitate non depromitur, facillimum est, ut inquit Cicero pro Murena: multò adhuc facilius, si adsit impudentia, ut idem in L. Valerium jocatur. Cur hoc tibi Iurisconsulti nomen non gratificer nescio, præsertim cùm his temporibus audacia pro sapientia liceat uti: & quo uberior esset disputandi materia, excogitârunt casus, non illos quotidianos, & crebrò solitos usu evenire, quorumque esset mentio in legibus, aut de quibus essent latæ leges, sed inusitatos, admirabiles, quique

nunquam contingerent, ac proinde nec essent u
illi unquam futuri. Quæ res infinita est, quema
modum Aristoteles docet in Ethicis. Quippe ca
sarum & negotiorum innumera est vis ac multi
do, ut quæ levissimis varientur momentis, & iis a
jectionibus, quas Græci περιστάσεις nomina
Quintilianus circumstantias, quæ positæ sunt
aliqua additione personarum, locorum, temp
rum, modorum, casuum, factorum, instrument
rum, scriptorum, & non scriptorum: quarum
rum congregationem negotium Valgius appella
Quocirca ea persequi operis esset nunquam finie
di: in quo declarant, quàm sint artis imperiti, q
curam & præceptiones suas circa singularia cons
munt: quæ quoniam sunt innumera, ad curam a
tis pertinere non possunt, sed certè neque ulla a
ad istorum curam pertinet: & dum illis occupa
tur, quotidiana & necessaria prætermittimus. Sic
Philosophi, qui dum rerum naturam novam exc
gitant, amittunt istam. Res est alioquin nullius n
cessitatis aut fructus. In Medicina fortè expedire
prævisa habere remedia ante morbos, ne hi, quu
derepentè existerent, tum quærendum haberemu
remedium, nec facile in anxietate & trepidation
inveniremus, morbusque invalescens ac urgens ab
sumeret prius hominem, quàm medicina possit pa
rari. In legibus multò est secus: Nam quum mor
bus apparet, id est, ubi quis peccavit, satis tum ma
turè de remedio & medicina consultatur: neque
enim adeò est festinandum, ut puniatur qui peccat
quàm ut sanetur qui ægrotat. Satisque in tempore

con-

consultatur de pœna & exemplo, ubi morbus totum se explicuit. Adde, quòd in medicina morborum remedia prævisa non irritant morbos. In civitate leges latæ ante scelera ipsa mortua & consepulta exuscitant, sicut ille apud Paulum conqueritur in Epistola ad Romanos. Quam fuisse causam perhibent, cur Solon de parricidiis nullam tulerit legem, ne admonere videretur de eo, quod ante factum non esset. Nec Lycurgus de adulteriis quicquam cavit, quod id facinus incognitum adhuc sua ætate esset Lacedæmone. Quocirca maturè satis post scelera rogantur leges. Nec immerito dicitur illud, omnes bonas leges ex malis moribus esse ortas. Quid? quòd sicut medicinæ non desunt dogmata atque universales Canones, qui novis & repentinis morbis facile subveniant, ita neque cognitioni æquitatis remedia, quis scelera & flagitia cohibeat: quæ remedia excolenda æquitate statim se ostendunt ac proferunt: Scrutatione verò scriptarum legum abdunt se magis & occultant. Natura igitur æquitatis examinanda istis erat, atque illustranda ad omne negotiorum & causarum genus, non torquenda ingenia, dum omnia, quæ possunt contingere ad has leges scriptas (quæ comparatione negotiorum paucissimæ sunt) invita pertrahuntur. Præter hæc omnia, ut homines semper fuerunt attenti ad rem, extincta charitate mutua, & respectu Dei amoto, creverunt lites & rixæ. Nulla fuit civitas adeò quieta, in qua unum forum sufficeret. Iudicia sine modo alia super alia: Patronorum & advocatorum magnum in amplissimo quæstu decus,

cus,qui ubi jussi sunt conticescere, & in r
prudentum concesserunt omnia, ad jurisco
idem honor & quęstus devolutus est. Quæ
multos impulit, ut eam professionem arri
in qua esset paratum lucrum plenum dignita
Academiis multi ad illos honorum gradus
si,quibus,quoniam non est fame pereundu
quærunt,semina earum ubique spargunt, in
augent,detorquendis legibus & controversi
sunt constituere,quàm tollere: idque eo e
promtius,quod legum obscuritas ansam pra
minibus præbet inflectendi eas,quo velint.
ferunt lites in longissimam diem, ut mali
curas morborum, subinde uberior lucran
affulgeat Ita brevi tempore, quæ erant facili
quida involuta,redduntur omnia & perplex
quod Quintus Cicero dicit: Sufficere uni f
unum oratorem, justius dici posset de ho
num genere uni familiæ, imò uni civitati Iu
sultum unum sufficere. In Pannonia quema
dum accepi, vivebant olim sine juris interpre
non tamen sine jure. Nam simpliciter & bon
ex antiquis moribus & paucis quibusdam le
res judicabant,imò dissensiones suorum civiu
cile componebant. Et quemadmodum de S
Sulpitio dicit Cicero, tollere controversias
bant,quàm constituere. In comitatu Beatricis
nandi Regis Neapolitani filiæ,quæ illinc fuit
nuptum Matthiæ Regi, venerunt Iurisconsul
quot, qui barbarum, ut ipsi dicebant, morem
gno vultus & superciliorum fastidio asperna
m

mines, quos Princeps & comites haberent pro sapientibus, facile perfecerunt, ut homines rudes ac simplices illorum se sapientiæ concrederent. Cœperunt illi formulas præscribere, quibus esset petendum, quibus respondendum atque excipiendum, dies legitimos notare, judici quoque aliquid assignare quod diceret, ne muta esset persona. Brevi tempore, ubi nullæ prius erant lites, omnia vidisses fervere litibus, controversiis, petitionibus, repetitionibus, exceptionibus, comperendinationibus, procrastinationibus. Erat prorsus fabula, nisi quòd damnosissima, cætera festiva inprimis & ad risum movendum apta hominibus utique otiosis, & quibus nihil esset controversiæ. Quod malum tantum & tam subitum, quodque latè invasisset plurimos, quum animadvertissent homines prudentiores, ad Regem res est delata, qui re percognita Iureconsultos illos continuo regni finibus jussit excedere, & omnia in pristinum morem revocari. Sedata est statim tempestas illa, tanquam si venti posuissent. Scilicet utiliores sunt leges populo, quò simpliciores, ne cui imperitia fraudi sit, ut vafricies lucro, quę æquitate sua rudibus & circumscriptioni expositis subveniunt. Imposturæ verò atque astutiæ aditum præstruunt, quæ se facilius insinuat, quo exactius atque accuratius omnia volumus præscribere: ut in contractibus atque instrumentis tot sententiolæ, quæ ad cavillum excludendum constipantur, nihil sunt aliud, quàm ansulæ cavillorum. Propterea quòd, ubi omnia explicare volumus, nec æquitatis sinceræ interpretationi locum relinquimus, ini-

iniquitatem introducimus, ut tantum quisq; c
sequatur, quantum in vertendis & detorquen
vocibus valeat. Nos utique pessimè in nos cons
mus,qui non æquam & bonæ fidei interpreta
nem prodesse nobis volumus, sed quantum ver
possimus nobis exponere. Atqui nemo est tam
cumspectus,qui omnia cavilla prævideat, nec t
disertus,qui quæ providit, aptis verbis possit e
qui omnia, ac munire, ne qua se calliditas insinu
Hæc *Vives*.

[*m*] Hic verò Canonistæ mirè sunt impud
tes. Constat enim a. *Eos ventris & abdominis*
vitio omnia accommodâsse. *Budæus* lib. de asse & e
partibus 5. *Itaque sacrosanctos Canones m*
lioribus annis factos,ut iis velut regulis v
ta Clericorum dirigeretur, & velut P
trũ præscriptis posteri formarentur, jam
amusseis plumbeas evasisse quis non vide
quales olim fuisse Canones Lesbiæ structu
tradit Aristoteles. Nam ut Canones plum
bei & molles non structuram operum ten
re æquabili dirigunt, sed structorum com
modo flexibiles structuræ accommodantu
sic Canones Pontificij ex usu Ecclesiæ Ant
stitum flexibiles & cerei facti sunt,ut ja
diu instituta majorum & sanctiones Pon
tificiæ non moribus regendis usui esse, se
(pro

(propemodum dixerim) *argentariæ facti-*
andæ auctoritatem accommodare videan-
tur. Certè multa in Decretis poni, quibus bona
Reformatarum Ecclesiarum causa juvatur, loco,
quo de origine eorũ actum est, monuimus. At om-
nia illa; quod Reformatis placerent: damnata vi-
demus & hostili animo, Pontificio regno elimina-
ta. b. *Eandem multos Decretis authoritatem cum Scri-*
ptura sacra asseruisse. Iohannes Franciscus Picus, lib. de
fide & ordine credendi, in exposit. Theoremat. 8. &
14. non tantum errata Glossarum & Decretorum,
falsi cumprimis crimen, quod malè & perperam
multa librariorum incuriâ posita sint in ipsis De-
cretorum libris, multifariam corruptis & adultera-
tis, ostendit; sed & in exposit. Theoremat. 15.
(Murmellio indice) eos taxavit, *quòd ab Episto-*
lis decretalibus non minus putent nefas
discedere; quàm ab Evangelijs, uti Gratia-
nus Decretorum compilator putâsse vide-
tur, ob Augustini sententiam, perperam in-
tellectam, mirum in modum hallucinatus.
c. *Sacras Scripturas Canonistas turpißimè corrupisse, per-*
vertisse, & ad καινοτομίας suas detorsisse. Polyd. Vergil.
de invent. rer. l. 4. c. 9. occasione Siculi Andreæ, co-
gnomento Barbatii, Cardinalium, post Hostien-
sem, dignitatem ex S. Scriptura allegoricè probare
conaturi, hanc Iurisconsultorum κακοήθειαν
perstringit. *Magnopere*, inquit, *conati sunt*
osten-

ostendere Cardinalium ordinem ab Heb
esse profectum, & ante omnes id fecit S
lus Andraeas, cognomento Barbatius, qu
à Bessarione Antistite seculi nostri, verè
tra alios & animi & corporis dotibus C
dinale, gratiam iniret, de ea re commen
riolum primus edidit. Sed ne hominem
pius citando defatigemus, ipse suum jam
cipiat narrare commentum. Occurrit, *inq*
illud, quod in 1. Reg lib. c. 2. pulcherrimè script
est: Domini enim sunt cardines terræ, & posuit
per eos orbem. Quam auctoritatem Hostie
Doctor excelsus figuravit ad Cardinales: S
enim ostium regitur cardine; ita & Ecclesia Ro
na regitur consilio Cardinalium. *Hæc ille. Vide,*
secus isti Jurisconsulti aliquoties de
quent sacras Literas quo volunt, ac suto
sordidas solent dentibus extendere pelles.

[n] Huic etiam arti, præter alia, linguarum
sum & obscurationem, quemadmodum relic
omnibus, attulisse atrocissimam cladem, scribit
viv. de caus corrupt. art. l. 6 p 188. Amissa sunt
quit, omnia, quæ necessaria erant ad intelligenti
eorum, quæ fuerant à veteribus observata, &
dita posteris, id est, ad notitiam fontium, atque
rum scriptorum, quorum fide posteriores art
exercerent, ut nomina partium corporis hum
intus & foris, herbarum, animantium, lapidu

po

ponderum, mensurarum. Tum temporum & Historiarum, qui morbi, quas aliquando regiones, quibus temporibus, quod genus sive hominum, sive bestiarum invasisset atque infestâsset, quomodo sedati ac depulsi: adde huc, quod nec phrasin Græci aut Latini sermonis intelligunt, quâ soliti sunt prisci Medici remedia præscribere. Libri magnorum authorum, ut Hippocratis, Galeni, Dioscoridis versi primum imperitè, deinde confusissimè & obscurissimè, ut nec intelligi potuissent, etiam si versi fuissent doctissimè: Vnde multi errores extiterunt Avicennæ, Rasis & aliorum Arabum: ut in Aristotele enarrando eadem de causa, multis, sicut ostendi, Aben Rois. Iam tot eorum opera nunquam in alienas versa, unde plurimum fuerat eruditionis hauriendum. Cujusmodi est videre vel nuper ad nos translata, vel nec dum etiam Hippocratis, Galeni, Pauli Æginitæ Quæ omnia Nicolaus Leonicenus, Hermolaus Barbarus, Thomas Linacer, Guilelmus Copus, Laurentius Laurentianus, Manardus Ruellius patefecerunt, sive redarguendis falsis, sive asserendis veris, quæ incipiunt jam esse passim nota, idcirco superfluum esset ea hic recenseri, à me præsertim, qui Medicinæ non plus attigi, quàm quantum illa speculationi naturæ rerum, & aliis humanis disciplinis conjungitur, tum ex usu nonnihil, & communi vita. Medicis rerum veterum ignaris, & earum, quæ potissimum ad salutem humani corporis conducerent, aliquid tamen fuit agendum ex scholastica illa Physicæ exercitatione. Ingentem & copiosissimam disputandi materiam in hanc quo-

que artem, tanquam plaustris invexerunt de
tensione & remissione formarum, de raritate
densitate,de partibus proportionalibus, de insta
tibus,ea quæ nec sunt, nec unquam evenient, ve
tilantes sua somnia deserta pugna cum morbis
terea loci prementibus atque occidentibus. Ea
fœcunda & infinita, non aliter quàm hydra qu
dam diutissimè remorata est ingenia cum fructu
liis vacatura. Videre est cavillationes & tricas la
bi Forliviensis, nec minus spinosas, nec minus
utiles,quàm Suiceticas,nec prolixitate & moles
cedentes,quæ nobis Iohannes Dullardus non ra
solebat citare in exercitatione Physica. Potera
hæc coli sine literis,faciebant ad ostentationem
sputationum: nam altercationes non minus arte
hanc,quàm reliquas omnes, vexaverunt: eveh
bant ad honorum gradus in Scholis,qui gradus,
immaturis loquor,gravem inflixerunt plagam
ti ac proinde vitæ. Nam juvenes atque adolesce
tes instructi spinis illis,& captiunculis nulla peri
herbarum, animantium elementorum,deniq; n
turæ hujus nullis experimentis & cognitione r
rum adjuti, nulla fulti prudentia, judicio & con
lio perquam imbecillo admittuntur ad honores,
continuo emittuntur ex Academia in proxima o
pida,& vicos, ad ponenda rudimenta artis, ta
quam manus immitium carnificum, nec univers
les noverunt Canones,nec deductionem artis v
derunt ad usum, nec ipsi ad opus moverunt ma
num: Iuvenes calidi & confidentes omnia temer
tati casuum commendant. Admoneri se non feru

tyro

tyrones à veteranis, quibus se adæquatos vident honore nominis. Quòd si illi molesti esse pergant, aggrediuntur eos rixis & tendiculis Scholasticis, hinc clamore & pervicacia, asseverationis, convitiis, maledicentia cogunt sibi cedere senes moderatos, & pugnis hujusmodi desuetos, victos effronti confidentia, importunitate, odio. Ad hæc, fastidivit ostentatio veterem & vulgatam medendi viam, novam, insolitam quæsivit, quæ admirationem excitaret. Alii, velut astra haberent in consilio, quicquid agerent dies & horas, & momenta observârunt, ceu nihil nisi de consilio siderum aggrederentur: alii medium unguem sideribus ostenderunt, & se curaturos professi sunt invitis astris, cùm astra nec omnia in corporibus nostris faciant; nam temperatio elementorum multum proficit; nec omnino nihil, & quæ efficiunt nec sciuntur omnia; nec nihil, etsi pauca ad modum & malignè: quæstus & laudis aviditas ad ea impulerunt, quis hæc duo pararent ostentationem ac jactantiam sui: tum aliorum, qui rebus expetitis viderentur posse officere acerbam insectationem, ac mordacitatem, ut malint vel corrumpi remedia, quàm præberi aliena manu. Quum eorum aliqui de morbo quopiam in commune consulunt, qua malignitate, quo livore id faciunt, quanto fastidio & vultuositate accipiunt alienam sententiam, qua authoritate atque asseveratione proferunt suam, qua pertinacia tuetur quisque, quod semel confirmavit, aut etiam est elapsum, ne cessisse videatur; idq; eo faciunt obstinatiùs, quò sunt imperitiores; videlicet non tam spe-

ctantium de ſe judicium veriti, ſi quid co
quàm ſuæ ipſorum conſcientię, cui ſati
non putant, niſi ſi omnino victoriam alii
dubiam, aut victores ſe, aut certè non aper
nam cedere appellant vinci. Vnde nata e
bilis inſcriptio ſepulchri: Periiſſe ſe Me
turba. Quæ omnia utinam, ut in aliis, arte
piſſent ſolam, non item vitam. Sed neceſ
hac corrupta, maxima incommoda in v
portari, quæ ſe momentis ſingulis huic
ac committit.

[o]. Ea enim tum Theologorum, tum
giæ hujus Seculi, & præcedentiū aliquot,
ut difficulter virum reperias eruditū, qui
didè, quid in iis deſiderârit, edixerit. *Tho*
VVardini, Nicolai Clemangis, Pauli Scriptoris,&
cia dedimus. *Anal.*P.1.p.14 & deinc. R
debantur enim Theologi illi, 1. vel, *quòd*
*fanis miſcerent Pic. Mirandul.*lib. 1. de ſtud
Theologia Pariſienſis nihil aliud
detur eſſe, quàm mixtio quædam ex
ſcientiis & naturalibus principiis re
2. vel *quòd* χερσὶν ἀνίπτοις *ad banc ſcienti*
nam accederent, aut prorſus profana ſacris a
Eraſ. Roterod. comment. 1. Pſal. *At nun*
vitæ partem in Sophiſticis inventi
in Ariſtotelis voluminibus, imò in
ſomniis conſumimus, ita ut vix unq
otium magnis etiam Theologis, ex ip

riendi fontibus. Idem in Methodo: *Præstat paulò minus esse Sophistam, quàm minus sapere in Evangeliis ac Paulinis literis. Satius est quædam ignorare Aristotelis dogmata, quàm nescire Christi decreta. Denique malim cum Hieronymo pius esse Theologus, quàm cum Scoto invictus.* In Epistola cumprimis ad Dorpium, Theologos illos graphicè depingit: *Habet enim* (scribit inter alia) *id quod in confesso est hoc hominum genus admistos quosdam, primùm ingenio judicióque adeò infelici, ut ad nullas omnino literas sint appositi, nedum Theologicas. Deinde, posteaquam pauculas Alexandri Galli regulas edidicerint: Ad hæc paululum ineptissimæ Sophistices attigerint, post ex Aristotele decem tenuerint propositiones, nec has intellectas. Postremò ex Scoto aut Occam totidem edidicerint quæstiones, quod superest, ex Catholico, Mammætrecto, & consimilibus Dictionariis, velut ex copiæ cornu petituri, mirum quàm cristas efferant, ut nihil est arrogantius imperitia. Isti sunt, qui contemnunt divum Hieronymum, ut Grammatistæn, quod non intelligant. Isti Græcas, He-*

braicas, imò & Latinas literas rident. Et cùm sint quovis sue stupidiores, ac ne sensu quidem communi præditi, putant se totius arcem tenere sapientiæ. Censent omnes, damnant, pronunciant, nihil addubitant, nusquam hærent, nihil nesciunt. 3. Vel, *quòd fastu, supercilio,* φιλονεικίᾳ, *suæ se professione indignos reddiderint, adeò ut nec convicti cedere, nec melioribus locum relinquere voluerint.* De hoc illorum nævo queritur *VVessel.* Epist. ad Ludolph de Veno, ubi Colonienses hoc nomine accusat; & clarius *Erasm.* ad Dorp. *Verùm in eo Concilio sedere nolim istos falsissimo nomine Theologos, qui huc tantùm spectant, ut quod ipsi didicerunt, id solùm habeant in pretio. Quid autem isti didicerunt, quod non sit ineptissimum, & idem confusissimum? Quibus si contingat tyrannis, futurum est, ut antiquatis optimis authoribus, insulsissimas istorum nænias pro oraculis habere cogatur mundus. Quæ usque adeò nihil habent bonæ eruditionis, ut ego sanè malim vel mediocris esse cerdo, quàm istius generis optimus, si nihil melioris accesserit doctrinæ. Isti sunt, qui nolint quicquam restitui, ne quicquam ignorâsse videantur. Hi nobis fictam Synodorum authoritatem obiici-*

jiciunt. Hi magnum Christianæ fidei discrimen exaggerant, hi periculum Ecclesiæ, quàm isti scilicet humeris suppositis fulciunt, rectius plaustrum fulturi, & hujusmodi fumos spargunt apud vulgus indoctum ac superstitiosum, apud quod, cum pro Theologis habeantur, nolint ullam opinionis suæ jacturam facere. Verentur ne, cum perperam divinas citant literas, id quod sæpe numero faciunt, Græcæ aut Hebraicæ veritatis authoritas in os jaciatur, & mox appareat esse somnium, quod velut oraculum adducebatur. Divus Augustinus, vir tantus, ad hæc Episcopus non gravatur vel ab anniculo puero discere: Isti tales malunt omnia sursum ac deorsum miscere, quàm committere, ut quicquam videantur ignorare, quod ad absolutam pertineat eruditionem. Illustre hujus rei exemplum nobis proponit *Laurentius Valla* in calumnia Theologica. Non tantùm is Iureconsultis vapulavit, quòd, qui Grammaticus esset, falcem mitteret in messem juridicã; sed & Theologis. Ægrè ferebat Arnaldus Pallas, Episcopus Vrgellensis, quod is Abgari Historiã rejiceret. *Hanc,* inquit, *tolerare non possum iniquitatem tuæ causæ, aut improbitatem tuam, qui*

rem apertè falsam coneris defendere. Cumq; aliquot postea annis Neapoli quidam Franciscanus pro seculi more (huc enim jam deventum erat, scribit *Valla*, *ut concionandi munus esset vociferari, & clamorem venditare*, atque, ut Cicero ait, latrare, non agere, & optimus orator esses optimus rabula) pro concione Symbolum Apostolicum suis authoribus ita distinxisset, ut publicè doceret: Petrum dixisse: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem. Andream verò: Factorem cœli & terræ, &c. quod cum Vallæ non probaretur, in eam apud mitratos & infulatos incurrit offensam, ut dicerent, non esse ferendum, homines credere, non esse ab Apostolis conditum Symbolum. Et quamquam rationibus firmissimis stabilivisset Valla, Symbolum hoc ordine non ab Apostolis, sed Nicena Synodo fuisse conscriptum; hæreseos tamen hoc nomine ab Inquisitore postulatus fuit. Ipsum hic audiamus *Vallam*: Postero die citor, ut eadem hora vicario Archiepiscopi præsto sim. Ego si aliquid, & non tamē tantum doli suspicatus, pergo ad hominem, sine advocatis, credens aliquid altercationis fore. Non Episcopum Vrgellensem, non Iohannem Olzinam, non Arnaldum Fonolledam, non aliquem meorum amicorum certiorem facio. Inter eundum à multis interrogor, quo eam? Respondeo ad Vicarium, cum adversariis disputatum. Ita multi disputationis audiendæ cupidi sequuntur. Vbi pervenio, offendo aliquot Pontifices ac Phariseos, statim me insecutus est, qui ac-

accessum meum expectâsset, Iohannes Episcopus Alesanus. Nam ille Cajaphas, ut postea accepi, à fenestella quadam Episcopi despectabat. Consident illi, ego cum corona sto, jam tunc suspicans, non esse illam legitimam disputationem. Ibi frater quidam Prædicatorum, quem ajebant Inquisitorem, percontatur, quid de Symbolo sentirem, ab Apostolis ne conditum annon? Ego, me sentire non ab Apostolis, sed à Synodo Nicena conditum. Nam quomodo secus? *Ille, imò istud sentire hæreticum esse.* Ego affirmare, me id multis rationibus esse probaturum. Ille, non eum disputandi, sed abnegandi esse locum. Hæc dicens profert Epistolam meam, quâ me impugnare decreta ajebat. Si in ea perstarem sententia, se pro hæretico me damnaturos. Ibi ego, ut omni turba me extricarem, inquam, de his idem sentio, quod mater Ecclesia. Revoca, inquit ille, quod scripsisti de his, quódque dixisti. Cur non potiûs vos docetis esse revocandum? Etiam, inquit, in prima opinione perstas? An vos, inquam, mavultis oris mei, quàm animi emendationem? Quo enim pacto ego emendor, nisi idem quod ore fateor, animo sentiam? An hoc quęritis, ut iterum vel ira vel imprudentia ex meo sensu loquar, & iterum relabar in errorem? Ibi Iohannes ille, ejusdem ordinis fraterculus, Alesanus Episcopus: Isthuc ipsum volumus ut relabaris: notam enim habemus contumaciam tuam. Non fuisti, inquam, ausus æquo campo mecum decertare, ideo me ad has angustias redigis, sed erit aliquando tempus meum. Tunc ille exurgens me per pectus

arripuit. Tibique hic, inquit, superbia est deponenda. Id cùm cæteri tacitè improbarent; Quid, inquit, Inquisitor, revocas ne, quæ scripsisti atque dixisti? de his omnibus, inquam, idem sentio, quod mater Ecclesia quemadmodum dixi. Id satis responsum cæteris visum est. Tum Anna, hoc est, idem Alesanus Episcopus: *Quid de decem Prædicamentis? Etiamne decem Prædicamenta, inquam, ad fidem pertinent, tanquam decem præcepta legis? Ad hoc cùm cæteri murmurâssent, indecens esse, de Dialectices dogmatibus veluti de articulis fidei quæri; Quid ni, inquit Anna, ad fidem ista pertineant?* An ignoratis illo Dialecticorum dogmate, quod iste in suis disputandis quæstionibus proposuerat, de sensu diviso & composito, maximas in Theologia res explicari ac resolvi solere? Et cùm ei quidam assentirentur, quidam adversarentur: Age, inquam, & si ista mater Ecclesia ignorat, tamen idem de ipsis credo, quod mater Ecclesia. Eum volentem ad alias nugas pergere, reliqui prohibuerunt. Confer ejusdem *Apolog.* contra calumniatores ad Eugen. IV. Vides, quàm fuerit χαλεπὸν μεταδιδάσκειν, & qua semel imbuta recens testa odore, diu eum servârit! Persica lege defendendum erat, quod semel placuit, omnibus licet contra vergentibus rationum ponderibus. 4. Vel *quòd à veterum Theologorum vestigiis nimis longè recessierint.* Hoc ipsum Moguntinus Archiepiscopus liberè concessit Resp. ad Lutherum apud

apud Sleid. l. 2. p. 18. *Laur. Valla* de libero arbitrio ad Gars. Episc. Illerdensem. *Maximè vellem, Garsa, Episcoporum doctissime & optime, ac summopere optarem, ut cùm cæteri Christiani homines, tum verò hi qui Theologi vocantur, non ita multum tribuerent Philosophiæ, nec tantùm in ea operæ consumerent, & propè parem ac sororem, ne dicam patronum Theologiæ facerent. Malè enim sentire mihi videntur de nostra religione, quam putant Philosophiæ præsidio indigere: quod minimè illi fecerunt, quorum jam multis seculis opera extant, Apostolorum imitatores, & veræ in templo Dei columnæ. Ac quidem, si probè animadvertamus, quicquid illis temporibus hæresium fuit, quas non parùm multas fuisse accepimus, id omne ferè ex Philosophicorum dogmatum fontibus nascebatur, ut non modò non prodesset Philosophia sanctissimæ religioni, sed etiam vehementer obesset. At cùm isti, de quibus loquor, natam esse ad extirpandas hæreses jactant, quarum potius seminarium est, nec intelligunt, se imperitiæ accusare piissimam antiquitatem, quæ in expugnandis hæresibus*

bus Philosophiæ arma non habuit, & sæpe contra ipsam Philosophiam depugnavit acerrimè, & tanquam Tarquinium in exilium ejecit, neque redire passa est, itane imperiti illi fuerunt & inermes? Et quomodo tantum orbis terrarum in suam ditionem redegerunt? Vos contrà, tali armatura muniti, ne tueri quidem potestis. Proh rem indignam & flebilem, quod ipsi nobis quasi patrimonium reliquerunt. Quid igitur causæ est, cur in Majorum vestigiis nolitis insistere? Si minus ratio, certè authoritas illorum, effectúsque inducere debuit, ut se imitaremini potiùs quàm novam viam ingrederemini. Odiosum puto & execrabilem medicum, qui ægrotum probatis jam usu medicamentis curare non vult, sed novis, & experimento non cognitis: & nautam, qui vult insuetum iter tenere, quàm id per quod cæteri salva navi ac mercibus navigârunt. Itaque eo insolentiæ processistis, ut putetis neminem posse Theologum evadere, nisi qui præcepta Philosophiæ teneat, eáque diligentissimè perdidicerit, stultúmq; simul eo facitis, quòd antehac vel nescierunt hæc, vel nesci-

nescire voluerunt; *O tempora, ò mores!* Non damnat Valla sobriam Philosophiam, cujus callentissimus erat, & restaurator Logicæ non postremus; sed barbaram illam, & turpi μετάβασις εἰς ἄλλο γένος in Theologicis subselliis ἀλλοτριοεπισκοποῦσιν. Erasm. rat. veræ Theolog. pag 34 *Tantum illud dicam in genere, si quis hujus rei promtum aliquod argumentum requirat, veteres illos Theologos, Origenem, Basilium, Chrysostomum, Hieronymum cum his recentioribus componat, conferatque, videbit illic aureum quoddam ire flumen: hic tenues quosdam rivulos, cósque nec puros admodum, nec suo fonti respondentes. Illic tonant oracula veritatis æternæ: hic audis hominum commentula, quæ quò propiùs inspicias, eò magis similia insomniis, evanescunt. Illic solidis Scripturarum fundamentis innixum ædificium surgit in altum; hic futilibus hominum argutiis, aut etiam adulationibus non minus inanes, quàm immanes, superstructa machina, tollitur in immensum. Illic veluti in felicissimis hortis affatim tum oblectaberis, tum expleberis; dum hic inter spineta sterilia dilaceraris ac torqueris.*

bus Philosophiæ arma non habuit. & sæpe contra ipsam Philosophiam depugnavit acerrimè. & tanquam Tarquinium in exilium ejecit, neque redire passa est, itane imperiti illi fuerunt & inermes? Et quomodo tantum orbis terrarum in suam ditionem redegerunt? Vos contrà, tali armatura muniti, ne tueri quidem potestis. Proh rem indignam & flebilem, quod ipsi nobis quasi patrimonium reliquerunt. Quid igitur causa est, cur in Majorum vestigiis nolitis insistere? Si minus ratio, certè authoritas illorum, effectúsque inducere debuit, ut se imitaremini potiùs quàm novam viam ingrederemini. Odiosum puto & execrabilem medicum, qui ægrotum probatis jam usu medicamentis curare non vult, sed novis, & experimento non cognitis: & nautam, qui vult insuetum iter tenere, quàm id per quod cæteri salva navi ac mercibus navigârunt. Itaque eo insolentiæ processistis, ut putetis neminem posse Theologum evadere, nisi qui præcepta Philosophiæ teneat, eáque diligentissimè perdidicerit, stultúmq; simul eo facitis, quòd antehac vel nescierunt hæc, vel nesci-

nescire voluerunt, O tempora, ò mores! Non damnat Valla sobriam Philosophiam, cujus callentissimus erat, & restaurator Logicæ non postremus; sed barbaram illam, & turpi μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος in Theologicis subselliis ἀλλοτριοεπισκοποῦσιν. Erasm. rat veræ Theolog. pag 34 *Tantum illud dicam in genere, si quis hujus rei promtum aliquod argumentum requirat, veteres illos Theologos, Origenem, Basilium, Chrysostomum, Hieronymum cum his recentioribus componat, conferatque, videbit illic aureum quoddam ire flumen: hic tenues quosdam rivulos, eósque nec puros admodum, nec suo fonti respondentes. Illic tonant oracula veritatis æternæ: hic audis hominum commentula, quæ quò propiùs inspicias, eò magis similia insomniis, evanescunt. Illic solidis Scripturarum fundamentis innixum ædificium surgit in altum; hic futilibus hominum argutiis, aut etiam adulationibus non minus inanes, quàm immanes, superstructa machina, tollitur in immensum. Illic veluti in felicissimis hortis affatim tum oblectaberis, tum expleberis; dum hic inter spineta sterilia dilaceraris ac torqueris.*

queris. Illic Majestatis plena omnia: hic, adeò nihil splendidum, ut pleraque sordida, parúmque digna dignitate Theologica: ut interim à comparatione morum abstineam. Dedit Phil. Melanchth. an. Ch. 1520. declamatiunculam, de diva Pauli doctrina, adeóque (ut in procemio scribere amat) contra perniciosas Theologorum ætatis suæ Scholas, adversus quas non uno opus erat Hercule. In tractatione ipsa pag. 16. ita loquitur. *Inter Scholas & Sacram Pauli doctrinam quantum intersit, facile cernent, qui vel hunc à limine salutaverint. Neque jam ago, quale sit in Scholis sermonis genus, quàm impura & sordidata docendi disserendíque ratio, sed hoc moneo, quàm his cum Christiana doctrina non conveniat; planéque obscurari Christi beneficentiam. Interim de Sacramentorum usu, déque aliis cælestibus mysteriis, qualia prodiderint, non est hujus loci excutere. Vulgò dici solet, potum non inveniri ex aqua cœno turbata: Ita nec in Scholastica Theologia animo satisfacerit pius quispiam, tot hominum argutiis, nugis, technis & traditiunculis conspurcata. Porrò non habeo necesse hic refellere sententiam, nempe frivolam eorum, qui*

Pau-

Pauli doctrinam unius seculi spatio metiuntur, & rudibus ad huc Christianis scriptam nugantur , quibus jam adultis, sublimiore Theologia opus sit. Floruerunt enim illis temporibus inprimis, cùm reliquæ veræ Christianæ opes, tum maximè linguæ & Prophetia seu scripturarum enarratio: quum puris mentibus familiarior esset cælestis Spiritus, qui unus abdita Scripturæ mysteria revelat. Fortâsse submovet aliquos & absterret à Paulo difficultas orationis, & ratio disserendi impedita, ut videtur: quos velim periculum facere, quanto minore negotio summam Disputationum Paulinarum adsequi liceat , quàm contentiosas & impias istorum quæstiunculas. Et ut dicam id quod res est , quod Paulina minus intelliguntur, debemus eximiis istis, Magistris nostris, qui cùm omnis veteris literaturæ, rectæque eruditionis imperiti essent, divinam Pauli orationem & Rhetoricis vinctam membris, & suis compactam articulis, primum novis interpunctionibus dissecuerunt , deinde dissectam suo more secundum Aristotelem enarraverunt. Ita ut nusquam ne versus quidem

dem cum versu conveniret. Ad hæc, non erat vulgaris hominis officium de quatuor sensibus in singulis propè syllabis nugari. Nec puduit audaces homines in re tam seria ludos agere, atq; ibi variis certare sententiis, ubi nihil tam erat agendum, quàm ut certa quædam, eadémque simplicissima, juxta Grammaticorum & Rhetorum figuras, perinde atque Erasmus in Methodo monet, expediretur. Walter. Albericromius, Epist ad Francisc. de Puteo, Carthus scripta, & Catenæ aureæ in Psal. an. Ch. 1520. præfixa. *Quare ego meo, ego publico etiam nomine, immortaleis tibi gratias & ago, & habeo. Rogo insuper, ut pergas veram illam & antiquam Theologiam excitare, quæ fidei & veritatis, pietatisque longè plus habet, quàm novitia ista, sophisticis nugis, fœdè heu nimium conspurcata.* Idem judicium est Iacobi *Fabri, Iodoci Clichtovei, Aventini* : Vide sup. Secul. XII. pag. 77. *Melch. Canus*, qui magno molimine lib. 8. Loc. Comm. c. 1. & dein. Scholarum & Scholasticorum agit caussam (neque certè in multis à nostris abit, qui ne ipsi quidem Scholasticam Methodum rejiciunt, modò; quod pag. 235. maximè urget, & de quo apud veteres Scholasticos altum erat silentium; *Sacrarum literarum fundamentis constituta sit*) inficia-

ri-

ri nam audet; *Fuisse in Schola quosdam Theologos ascriptitios, qui universas quæstiones Theologicas frivolis argumentis absolverint, & vanis invalidisq; ratiunculis magnum pondus rebus gravissimis detrahentes, ediderint in Theologiam commentaria, vix digna lucubratione anicularum. Et cum in his sacrorum Bibliorum testimonia rarissima sint, Conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis sanctis oleant, nihil, ne ex gravi Philosophia quidem; sed ferè puerilibus disciplinis, Scholastici tamen, si superis placet, Theologi vocantur, nec Scholastici sunt, nedum Theologi, qui sophismatum feces in Scholam inferentes, & ad risum viros doctos incitant; & delicatiores ad contemptum.* Fatetur, in Schola fuisse nonnullos *quasi ad discordiam natos, qui tum optime se disseruisse putent, cùm contra Doctores dixerint, ut non tam verum invenisse velle videantur, quàm adversarios convincere; concertationibúsque & rixis totas chartas implere. Atque hos; sunt in Ecclesia multi; tanquam milites auctorati vel tuentur vel impugnant, & tota eorum, de re Theologica*

disputatio, partium studium est, contentio atque dissidium. 4. Vel quòd *bonarum literarum studium cum Theologia eadem sede morari posse, minimè arbitrarentur*: Id quod aliquot jam, aliis occasionibus, probatum ivimus testimoniis, quibus addi potest illud *Aventini*. annal. lib. IV. p. 313. *Nam nec affirmare sustineo, de quibus dubito, nec subducere, quæ accepi. Hujuscemodi generis elogia partim vetustas obliteravit, partim, ut pleraque alia illustria literarum monumenta, incuria temporum & stoicorum, Matæologorúmque tyrannide & superstitione non solùm neglecta, sed etiam miserè accepta, ac dilacerata sunt. Superioribus enim seculis, istis Theologistis dominantibus, qui cultioribus literis bellum indixerant, nihil (quatenus ipsis licuit) nisi quod eorum barbariem, nugas & hæresin oleret, servatū est.* Sic ergo, quocunq; te vertas, & quamcunque Theologię faciem intuearis, sordida illa ubiq; & defædata se offert. Theologia Scholastica equus fuit Trojanus, mille malorū artifex. 1. Miscuit cum Mose Platonem; cum Christo Aristotelem. 2. Non contulit modò, sed & ante tulit humana divinis: articulos fidei esse voluit non modò quæ sanctorum Patrum Conciliis decreta sunt, aut Pontificum tyrannida in vecta; sed &, quicquid Thomas, quicquid Scotus argutabantur: & in iis non tantùm incerta multa

multa procertis defendebantur; sed & male Christiana pro piis tradebantur. Tantæ Ecclesiam invaserunt tenebræ, ut judicium de Sacris rebus, non è divinis literis, sed traditionibus humanis peteretur. Palàm edicebant jurisconsulti *disputationes ad Theologos relegari: cæterum judicium rerum Theologicarum apud sese esse, qui Ecclesiæ placita profiteantur*; *Melanchth.* Epist ad Ioh. Hessum pag 24. 3 In Theoreticis tantùm Scholastici desudantes, de practicis parùm seriò cogitârunt. *Iohannes Keiserberg* an. Chr. 1502. ad VVimpheleng scripsit. *Quid dicam de mea Gente? Multos Theologos, Theophilos producit paucissimos. Si tamen aliquos, acutos nimirum Disputatores, proximorum & Dei dilectores nullos. Deus misereatur nostri qui omnem absumimus nostram ætatem in nugis, nihil de virtutibus, quemadmodum efficiamur boni, casti, mansueti, humiles, liberales, modesti, temperati, charitativi, misericordes, patientes. De hoc quis se Theologorum etiam religiosorum immittit?* 4 Iidem Hæresium & hæreticorum convitium cuilibet pro arbitrio impegerunt. *Non ignoro*, scribit *Melanch.* l.c. pag 23. *quantâ licentiâ hæreses vocât Schola. Hæresis est de translatione Rom. Imperij secus loqui atque Canones. Hæresis*

est, speciem, Marci Ciceronis exemplo, vocare formam. Hæresis est, non tribuere utrumque Pontifici gladium. Hæresis est de numero Sacramentorum aliter, atque Longobardus scribit, sentire. Hæresis est bullis Indulgentiarum refragari. 5. Eò impudentiæ Schola fuit progressa, ut ea etiam, de quibus antecessores maluerũt ἐπέχειν, magna temeritate definierit. *Melanchth.* exempli loco urget Transsubstantiationem, de qua sententiârum commentarii varient. Hæc quidem ratio Theologiæ fuit *Elenchticæ*. De germana illa, & sola solida, ex Bibliorum fontibus petita, Theologia, quid referam? Iacuit illa, Scholasticorum atq; Canonistarum spinetis prorsus sopita; imo sacrarum literarum, ut idem conqueritur Melanchth. perinde ut Megarensium, nulla habita est usquam ratio: qua quidem de re prolixius actum est P. 1. Anal. Diss. 1. *Historica Theologia*, quâ imperitæ plebis aures nimium detinebantur, nauseam optimo cuique movit. Vtramque faciebat paginam aurea Legenda Iacobi de Voragine. Sed quàm inepta illa fuit Rhapsodia? *Indigna est*, inquit *Lud Viv.* de caus. corrupt. art. lib. 2. pag. 38. *divis & hominibus Christianis illa Sanctorum Historia, quæ Legenda aurea nominatur, quam nescio cur auream appellent, cùm scripta sit ab homine ferrei oris, plumbei cordis. Quid fœdius est illo libro? O' quàm pu-*

den-

dendum est nobis Christianis, non esse præstantissimos nostrorum divorum actus, verius & accuratius memoriæ mandatos, sive ad cognitionem, sive ad imitationem tantæ virtutis, quum de suis Ducibus, de Philosophis, & sapientibus hominibus tanta cura Græci & Romani res perscripserint?

Cognitio casuum conscientiæ auriculari, quam vocant,
Confessioni reservata, in carnificinam spiritualem
migravit *Beatus Rhenan.* Argum. in Tertull. lib. de
Pœnitentia pag. 471. *Cæterùm Thomas ab A-
quino & Scotus, homines nimium arguti, Confessionem hodie talem reddiderunt, ut Johannes ille Geilerius, gravis ac sanctus Theologus, qui tot annis Argentorati concionatus est, apud amicos suos sæpe testatus sit, juxta illorum Deuteroseis impossibile esse confiteri. Nam vir ille magno rerum usu præditus, cujus ego parentalibus jam decrepiti, inter fui adolescens, familiariter versabatur cum cœnobitis sanctioribus, cum Carthusiis, quos sæpiuscule intervisebat, cum Franciscanis arctioris instituti, à quibus peregrè venientibus, intervisebatur. Ab his discebat quibus tormentis quorundam piæ mentes affligerentur ob confessionem, cui*

nationibus, de purgatorio, de fictis divorum miraculis, de restitutione, de contractibus, de votis de pœnis inferorum, de Antichristo. At vos pro concione dicentes universam Christi doctrinam breviter velut in tabella quadam depictũ ostenditis, &c. Quid, tum Pontifices ipsi, tũ illi qui in Papatu Methodos concionandi conscripserunt, in concionatoribus suis desiderârint, videamus. *Iohannes*, Episcopus Revaliensis, orator Marchionis Brandeburgensis ex ambone Schedulam legit *disponentem* (ut loquitur Bzov an. Ch. 1516.) *circa modum prædicandi* Leonis Papæ, ubi inter alia sequentia occurrunt: *Sanè fide dignorum relatione accepimus, quòd nonnulli Prædicatores nostris temporibus (quod dolenter referimus) non attendentes se eorum, quos diximus, & insuper Sanctorum Ecclesiæ Doctorum, aliorúmque sacram Theologiam profitentium, qui assistendo jugiter Christianis, ac se falsis Prophetis rectam fidem subvertere annitentibus, opponentem Ecclesiam militantẽ, illæsam prius per se talem, eam esse manifestârunt, officium exercere, & non nisi utilia concurrenti eorum sermonibus populo ad vitiorum extirpationem, virtutum laudem,*

dem, animarum denique salutem fidelium meditanda, & perficienda debere assumere, multa tamen & varia contra institutiones & exempla, quæ diximus, quamque etiam scandalosa populis prædicare, quod mentem certè nostram mirum in modum commovit, dum nobiscum ipsi mente volvimus, quòd illi officij immemores sui in suis sermonibus, non ad utilitatem audientium, sed ad suam potius ostentationem laborantes: vanis quorundam auribus blandiuntur, qui ad hoc jam devenisse apparent, ut verificetur dictum Apostoli ad Timotheum ita scribentis: Erit enim tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur, quorum falsas & inanes mentes Prædicantes ipsi præfati non modò in rectam, veramque viam reducere minimè student, sed illas majoribus etiam erroribus implicant, dum sine ulla Canonum attestatione vel reverentia, imò contra ipsas Canonicas sanctiones, sacræ Scripturæ sensum multifariam pervertentes,

bus Philosophiæ arma non habuit. & sæpe contra ipsam Philosophiam depugnavit acerrimè, & tanquam Tarquinium in exilium ejecit, neque redire passa est, itane imperiti illi fuerunt & inermes? Et quomodo tantum orbis terrarum in suam ditionem redegerunt? Vos contrà, tali armatura muniti, ne tueri quidem potestis. Proh rem indignam & flebilem, quod ipsi nobis quasi patrimonium reliquerunt. Quid igitur causæ est, cur in Majorum vestigiis nolitis insistere? Si minus ratio, certè authoritas illorum, effectúsque inducere debuit, ut se imitaremini potiùs quàm novam viam ingrederemini. Odiosum puto & execrabilem medicum, qui ægrotum probatis jam usu medicamentis curare non vult, sed novis, & experimento non cognitis: & nautam, qui vult insuetum iter tenere, quàm id per quod cæteri salva navi ac mercibus navigârunt. Itaque eo insolentiæ processistis, ut putetis neminem posse Theologum evadere, nisi qui præcepta Philosophiæ teneat, eáque diligentissimè perdidicerit, stultúmq; simul eo facitis, quòd antehac vel nescierunt hæc, vel nesci-

nescire voluerunt, O tempora, ò mores! Non damnat Valla sobriam Philosophiam, cujus callentissimus erat, & restaurator Logicæ non postremus; sed barbaram illam, & turpi μεταβάσιν εἰς ἀλλογένος in Theologicis subselliis ἀλλοτριοεπισκοποῦσαν. Erasm. rat. veræ Theolog. pag 34 *Tantum illud dicam in genere, si quis hujus rei promtum aliquod argumentum requirat, veteres illos Theologos, Origenem, Basilium, Chrysostomum, Hieronymum cum his recentioribus componat, conferatque, videbit illic aureum quoddam ire flumen: hic tenues quosdam rivulos, eósque nec puros admodum, nec suo fonti respondentes. Illic tonant oracula veritatis æternæ: hic audis hominum commentula, quæ quò propiùs inspicias, eò magis similia insomniis, evanescunt. Illic solidis Scripturarum fundamentis innixum ædificium surgit in altum; hic futilibus hominum argutiis, aut etiam adulationibus non minus inanes, quàm immanes, superstructa machina, tollitur in immensum. Illic veluti in felicissimis hortis affatim tum oblectaberis, tum expleberis, dum hic inter spineta sterilia dilaceraris ac torqueris.*

queris. Illic Majestatis plena omnia: hic, adeò nihil splendidum, ut pleraque sordida, parúmque digna dignitate Theologica: ut interim à comparatione morum abstineam. Dedit *Phil. Melanchth.* an. Ch. 1520. declamatiunculam, de diva Pauli doctrina, adeóque (ut in procemio scribere amat) contra perniciosas Theologorum ætatis suæ Scholas, adversus quas non uno opus erat Hercule. In tractatione ipsa pag. 16. ita loquitur. *Inter Scholas & Sacram Pauli doctrinam quantum intersit, facile cernent, qui vel hunc à limine salutaverint. Neq; jam ago, quale sit in Scholis sermonis genus, quàm impura & sordidata docendi disserendíque ratio, sed hoc moneo, quàm his cum Christiana doctrina non conveniat; planéque obscurari Christi beneficentiam. Interim de Sacramentorum usu, déque aliis cœlestibus mysteriis, qualia prodiderint, non est hujus loci excutere. Vulgò dici solet, potum non inveniri ex aqua cœno turbata: Ita nec in Scholastica Theologia animo satisfacerit pius quispiam, tot hominum argutiis, nugis, technis & traditiunculis conspurcata. Porrò non habeo necesse hic refellere sententiam, nempe frivolam eorum, qui*

Pau-

*auli doctrinam unius seculi spatio metiun-
ur, & rudibus ad huc Christianis scriptam
ugantur , quibus jam adultis, sublimio-
e Theologia opus sit. Floruerunt enim illis
emporibus inprimis, cùm reliquæ veræ Chri-
tianæ opes, tum maximè lingua & Prophe-
ia seu scripturarum enarratio: quum puris
nentibus familiarior esset cælestis Spiritus,
ui unus abdita Scripturæ mysteria reve-
at. Fortásse submovet aliquos & abster-
et à Paulo difficultas orationis, & ratio
isserendi impedita, ut videtur: quos velim
ericulum facere, quanto minore negotio
ummam Disputationum Paulinarum adse-
ui liceat , quàm contentiosas & impias
storum quæstiunculas. Et ut dicam id quod
es est , quod Paulina minus intelliguntur,
lebemus eximiis istis, Magistris nostris: qui
ùm omnis veteris literaturæ, rectæque eru-
litionis imperiti essent, divinam Pauli ora-
ionem & Rhetoricis vinctam membris, &
uis compactam articulis, primum novis in-
erpunctionibus dissecuerunt , deinde disse-
tam suo more secundum Aristotelem enar-
averunt. Ita ut nusquam ne versus qui-
dem*

dem cum versu conveniret. Ad hæc, non erat vulgaris hominis officium de quatuor sensibus in singulis propè syllabis nugari. Nec puduit audaces homines in re tam seria ludos agere, atq; ibi variis certare sententiis, ubi nihil tam erat agendum, quàm ut certa quædam, eadémque simplicissima, juxta Grammaticorum & Rhetorum figuras, perinde atque Erasmus in Methodo monet, expediretur. Walter. Albericromius, Epist ad Francisc. de Puteo, Carthus. scripta, & Catenæ aureæ in Psal. an. Ch. 1520. præfixa. *Quare ego meo, ego publico etiam nomine, immortaleis tibi gratias & ago, & habeo. Rogo insuper, ut pergas veram illam & antiquam Theologiam excitare, quæ fidei & veritatis, pietatisque longè plus habet, quàm novitia ista, sophisticis nugis, fœdè heu nimium conspurcata.* Idem judicium est Iacobi *Fabri*, *Iodoci Clichtovei*, *Aventini*: Vide sup. Secul. XII. pag. 77. *Melch. Canus*, qui magno molimine lib. 8. Loc. Comm. c. 1. & dein. Scholarum & Scholasticorum agit causam (neque certè in multis à nostris abit, qui ne ipsi quidem Scholasticam Methodum rejiciunt, modò; quod pag. 255. maximè urget, & de quo apud veteres Scholasticos altum erat silentium: *Sacrarum literarum fundamentis constituta sit*) inficia-

ri nam audet; *Fuisse in Schola quosdam Theologos ascriptitios, qui universas quaestiones Theologicas frivolis argumentis absolverint, & vanis invalidisq; ratiunculis magnum pondus rebus gravissimis detrahentes, ediderint in Theologiam commentaria, vix digna lucubratione anicularum. Et cum in his sacrorum Bibliorum testimonia rarissima sint, Conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis sanctis oleant, nihil, ne ex gravi Philosophia quidem; sed ferè puerilibus disciplinis, Scholastici tamen, si superis placet, Theologi vocantur, nec Scholastici sunt, nedum Theologi, qui sophismatum feces in Scholam inferentes, & ad risum viros doctos incitant; & delicatiores ad contemtum.* Fatetur, in Schola fuisse nonnullos *quasi ad discordiam natos, qui tum optime se disseruisse putent, cùm contra Doctores dixerint, ut non tam verum invenisse velle videantur, quàm adversarios convincere; concertationibúsque & rixis totas chartas implere. Atque hos; sunt in Ecclesia multi; tanquam milites auctorati vel tuentur vel impugnant, & tota eorum, de re Theologica*

disputatio, partium studium est, contentio atque dissidium. 4. Vel quòd *bonarum literarum studium cum Theologia eadem sede morari posse, minimè arbitrarentur*: Id quod aliquot jam, aliis occasionibus, probatum ivimus testimoniis, quibus addi potest illud *Aventini*. annal. lib. IV. p. 313. *Nam nec affirmare sustineo, de quibus dubito, nec subducere, quæ accepi. Hujuscemodi generis elogia partim vetustas obliteravit, partim, ut pleraque alia illustria literarum monumenta, incuria temporum & stoicorum, Mateologorúmque tyrannide & superstitione non solùm neglecta, sed etiam miserè accepta, ac dilacerata sunt. Superioribus enim seculis, istis Theologistis dominantibus, qui cultioribus literis bellum indixerant, nihil (quatenus ipsis licuit) nisi quod eorum barbariem, nugas & hæresin oleret, servatū est.* Sic ergo, quocunq; te vertas, & quamcúnque Theologię faciem intuearis, sordida illa ubiq; & defædata se offert. Theologia Scholastica equus fuit Trojanus, mille malorū artifex. 1. Miscuit cum Mose Platonem; cum Christo Aristotelem. 2. Non contulit modò, sed & ante tulit humana divinis: articulos fidei esse voluit non modò quæ sanctorum Patrum Conciliis decreta sunt, aut Pontificum tyrannida invecta; sed &, quicquid Thomas, quicquid Scotus argutabantur: & in iis non tantùm incerta multa

multa procertis defendebantur; sed & male Christiana pro piis tradebantur. Tantæ Ecclesiam invaserunt tenebræ, ut judicium de Sacris rebus, non è divinis literis, sed traditionibus humanis peteretur. Palàm edicebant jurisconsulti. *disputationes ad Theologos relegari: cæterum judicium rerum Theologicarum apud sese esse, qui Ecclesiæ placita profiteantur*; Melanchth. Epist ad Ioh. Hessum pag 24. 3 In Theoreticis tantùm Scholastici desudantes, de practicis parùm seriò cogitârunt. *Iohannes Keiserberg* an. Chr. 1502. ad VVimpheleng scripsit. *Quid dicam de mea Gente? Multos Theologos, Theophilos producit paucissimos. Si tamen aliquos, acutos nimirum Disputatores, proximorum & Dei dilectores nullos. Deus misereatur nostri qui omnem absumimus nostram ætatem in nugis, nihil de virtutibus, quemadmodum efficiamur boni, casti, mansueti, humiles, liberales, modesti, temperati, charitativi, misericordes, patientes. De hoc quis se Theologorum etiam religiosorum immittit?* 4 Iidem Hæresium & hæreticorum convitium cuilibet pro arbitrio impegerunt. *Non ignoro*, scribit Melanch. l.c. pag 23. *quantâ licentiâ hæreses vocât Schola. Hæresis est de translatione Rom. Imperij secus loqui atque Canones. Hæresis*

est, speciem, Marci Ciceronis exemplo, vocare formam. Hæresis est, non tribuere utrumque Pontifici gladium. Hæresis est de numero Sacramentorum aliter, atque Longobardus scribit, sentire. Hæresis est bullis Indulgentiarum refragari. 5. Eò impudentiæ Schola fuit progressa, ut ea etiam, de quibus antecessores maluerũt ἐπέχειν, magna temeritate definierit. *Melanchth.* exempli loco urget Transsubstantiationem, de qua sententiârum commentarii varient. Hæc quidem ratio Theologiæ fuit *Elenchticæ*. De germana illa, & sola solida, ex Bibliorum fontibus petita, Theologia, quid referam? Iacuit illa, Scholasticorum atq; Canonistarum spinetis prorsus sopita; imo sacrarum literarum, ut idem conqueritur Melanchth. perinde ut Megarensium, nulla habita est usquam ratio: qua quidem de re prolixius actum est P. 1. Anal. Diss. 1. *Historica Theologia*, quâ imperitæ plebis aures nimium detinebantur, nauseam optimo cuique movit. Vtramque faciebat paginam aurea Legenda Iacobi de Voraginē. Sed quàm inepta illa fuit Rhapsodia? *Indigna est,* inquit *Lud Viv.* de caus. corrupt. art. lib. 2. pag. 38. *divis & hominibus Christianis illa Sanctorum Historia, quæ Legenda aurea nominatur, quam nescio cur auream appellent, cùm scripta sit ab homine ferrei oris, plumbei cordis. Quid fœdius est illo libro? O quàm pu-*

den-

*dendum est nobis Christianis, non esse præ-
stantissimos nostrorum divorum actus, ve-
rius & accuratius memoriæ mandatos, sive
ad cognitionem, sive ad imitationem tantæ
virtutis, quum de suis Ducibus, de Philoso-
phis, & sapientibus hominibus tanta cura
Græci & Romani res perscripserint?*

Cognitio casuum conscientiæ auriculari, quam vocant,
Confessioni reservata, in carnificinam spiritualem
migravit *Beatus Rhenan.* Argum. in Tertull lib. de
Pœnitentia pag.471. *Cæterùm Thomas ab A-
quino & Scotus, homines nimium arguti,
Confessionem hodie talem reddiderunt, ut
Johannes ille Geilerius, gravis ac sanctus
Theologus, qui tot annis Argentorati con-
cionatus est, apud amicos suos sæpe testatus
sit, juxta illorum Deuteroseis impossibile esse
confiteri. Nam vir ille magno rerum usu
præditus, cujus ego parentalibus jam decre-
piti, inter fui adolescens, familiariter versa-
batur cum cœnobitis sanctioribus, cum Car-
thusiis, quos sæpiuscule intervisebat, cum
Franciscanis arctioris instituti, à quibus pe-
regrè venientibus, intervisebatur. Ab his
discebat quibus tormentis quorundam piæ
mentes affligerentur ob confessionem, cui*

satisfacere, ut ipsis videbatur, nequirent. Similes querelas ad eum deferebant Sanctimoniales. Proinde motus fuit, ut libellum ederet in lingua Germanica, cui titulum fecit von dem Beichtweeh/ *hoc est, de morbo Confessionis, quo negabant esse tristiorem qui eo tenebantur. Erat Carthusianus quidam, qui propter Confessionem, quæ ei semper ob inexplicabilem circumstantiarum vim imperfecta videbatur, sed ipse perfectissimam esse frustra contendebat, huc miseriarum venerat, ut omnem salutem desponderet, & apocarteresin cogitaret. Hujusmodi homines illi libuit eo libello consolari, id quod antea fecerat in scriptis suis passim Joh. Gerson pius ac sincerus Theologus, qui dejectos simplicium, animos ubique sublevat & erigit, dignus mehercle pluris fieri ab ordine Theologico, quàm fit.*

De *Theologia populari*, seu arte concionandi quid speres? 1. Iejuna illa fuit, & exsucca, *Ludovico Vive* teste. vide sup. pag. 203 2. Ejusdem ferè, ex Apocryphis scriptis depromti, sermonis, repetitio. De *Iohanne Coleto*, Scholasticorum flagello (vide *Balæi* Centur. pag 648) refert *Bzov.* an. Ch. 1519. S. 15. *in concionibus eum sæpe pupugisse quosdam*

Theo-

Theologos, qui semper eundem sermonem Concioni adferrent, & ex legendis Apocryphis notas ac decantatas narrationes sæpius iterarent. 3. In ceremoniis plerique exponendis, quàm fidei articulis tradendis erant occupatiores. Habeo hac de re Beati Rhenani judicium, Epistola perquam familiari a. C. 1518. Basileâ ad Zuinglium, in Helvetiorum Eremo adhuc commorantem, perscriptum, quod ex ipso autographo in lucē producemus: *Nihil est, quod magis mihi doleat, quàm quòd video, Christianum populum passim ceremoniis nihil ad rem pertinentibus onerari, imò meris næniis. Et causam non aliam reperio, quàm quòd Sacerdotes per summularios istos & Sophisticos Theologos decepti, Ethnicam aut Judaicam doctrinam docent. De vulgo Sacerdotum loquor. Neque enim me latet, te, tuiq; similes purissimam Christi Philosophiam ex ipsis fontibus populo proponere, non Scoticis aut Gabrielicis interpretationibus depravatam; sed ab Augustino, Ambrosio, Cypriano, Hieronymo germanè & sincerè expositam. Deblaterant illi nugas in eo loco stantes, ubi, quicquid dicitur, populus verissimum esse putat, de Pontificia potestate, de condo-*

nationibus, de purgatorio, de fictis divorum miraculis, de restitutione, de contractibus, de votis de pœnis inferorum, de Antichristo. At vos pro concione dicentes universam Christi doctrinam breviter velut in tabella quadam depictũ ostenditis, &c. Quid, tum Pontifices ipsi, tũ illi qui in Papatu Methodos concionandi conscripserunt, in concionatoribus suis desiderârint, videamus. *Iohannes*, Episcopus Revaliensis, orator Marchionis Brandeburgensis ex ambone Schedulam legit *disponentem* (ut loquitur *Bzov.* an. Ch. 1516.) *circa modum prædicandi* Leonis Papæ, ubi inter alia sequentia occurrunt: *Sanè fide dignorum relatione accepimus, quòd nonnulli Prædicatores nostris temporibus (quod dolenter referimus) non attendentes se eorum, quos diximus, & insuper Sanctorum Ecclesiæ Doctorum, aliorúmque sacram Theologiam profitentium, qui assistendo jugiter Christianis, ac se falsis Prophetis rectam fidem subvertere annitentibus, opponentem Ecclesiam militantẽ, illæsam prius per se talem, eam esse manifestârunt; officium exercere, & non nisi utilia concurrenti eorum sermonibus populo ad vitiorum extirpationem, virtutum laudem,*

em, animarum denique salutem fidelium neditanda, & perficienda debere assumere, nulta tamen & varia contra institutiones & exempla, quæ diximus, quamque etiam candalosa populis prædicare, quod mentem ertè nostram mirum in modum commovit, ' um nobiscum ipsi mente volvimus, quòd lli officij immemores sui in suis sermonibus, non ad utilitatem audientium, sed ad suam otius ostentationem laborantes: vanis quoundam auribus blandiuntur, qui ad hoc am devenisse apparent, ut verificetur dictum Apostoli ad Timotheum ita scribentis: Erit enim tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur, quorum falsas & inanes mentes Prædicantes ipsi præfati non modò in rectam, veramque viam reducere minimè student, sed illas majoribus etiam erroribus implicant, dum sine ulla Canonum attestatione vel reverentia, imò contra ipsas Canonicas sanctiones, sacræ Scripturæ sensum multifariam pervertentes,

temeréque ac perperam plerunque interpretantes contra veritatem prædicare, terrorésq; ac minas, multáque mala propediem affutura, jamque ingruentia nulla prorsus legitima ratione muniti, sed suo duntaxat sensui obsequentes commirantur, repræsentant, adeśséque asseverant, plérunque etiam vana quædam & inania & alia hujusmodi populis ingerere, & quod enormius est, ab æternitatis lumine, & ancti Spiritus admonitione, aut infusione illa se habere asserere audent. Cùmque ij sub confictorum miraculorum mendaciis varios errores, fraudésque disseminant denique populos quos in Evangelica doctrina sedulò instruere, & in vera fide retinere & conservare deberent. *sermones suos à sensu, & à præceptis universalis Ecclesiæ retrahentes, à sacrísque constitutionibus, quas maximè sequi deberent, deviantes, auditores suos amovent, ac longè faciunt à salute: per hæc namque & alia hu usmodi, simpliciores homines, ut ad deceptionem procliviores, à via salutis & obedientia Romanæ Ecclesiæ deviantes in errores varios perfacile inducuntur. Propterea Gregorius, hujus muneris pertissimus, & fervore charitatis incensus,*

sus, Prædicatores vehementer hortatur, & monet, ut dicturi ad populum prudentes, cautique accedant, ne dicendi impetu rapti verborum erroribus quasi jaculis audientium corda configant, & cùm sapientes fortasse videri desiderant, decepti speratæ virtutis compagem insipienter discindant. Sæpe namque verborum effectus amittitur, tum loquacitate importuna vel incauta; audientium corda levigantur, & sanè in nullo alio rudem ij plebem majori damno scandalóque afficiunt, quàm cùm vel tacenda prædicant, vel falsa & inutilia docendo ea in errorem inducunt, quæ quoniam huic sacræ religioni divinitus institutæ, ut nova & aliena omnino contraria esse noscuntur, gravi, certè, accuratóque sunt examine digna, ne scandalum populo Christiano, digna & suorum auctorum ac aliorum animabus interitum pariant. Nos igitur sanctæ Dei Ecclesiæ, cui, disponente Domino, præsidemus, quæ quidem una est, & unum Deum prædicat, colit, ac unam fidem firmiter & sincerè confitetur, juxta illud Prophetæ vaticinium, qui habitare facit unius moris in do-

mo

mo uniformitatem, quantum cum Deo possumus, posthabitam reducere, & retentam conservare. Quique populo verbum Dei prædicant tales esse cupientes, ut eorum prædicatione Dei Ecclesia nullum scandalum patiatur, & si qui corrigibiles sunt ab his quæ, proximis, nostrísque temporibus præsumserunt, cùm nonnullos eorum, præter illa, quæ diximus in prædicationibus non viam amplius Domini in virtute docentes, non Evangelium, ut deberent, explanantes, sed conficta miracula, & nova ac falsa vaticinia, aliaque levia, & ab anilibus fabulis parùm distantia, ingnumque scandalum parientia, nulla devotionis & auctoritatis, ejusque improbantis ac repellentis hac habita ratione, vastis clamoribus imprimere ac suadere, ubique conantes, & ne Pontificiali quidem dignitate fulgentibus, & aliis Ecclesiæ Prælatis parcentes, quibus potius honorem ac reverentiam exhibere deberet, sed in eorum personas ac statum audaciter ac temerè invehi consuevisse, & alia hujusmodi commisisse constat, *in futurum abstineant, ut tam periculosum, contagiosumq́; malum, ac mortifera pestis radicitus evellatur, & arefactum ita penitus deleatur, ut nec memoria ejus remaneat, sacro approbante Concilio statuimus, & ordinamus, ut nullus, tam Cleri-*

cus sæcularis, quàm cujuscunque etiam
Iendicantium ordinis Regularis, aut qui-
is alius, ad quem facultas prædicandi, tam
e jure, quàm de consuetudine vel privile-
io aut aliàs pertinet, aut ad hujusmodi of-
cium exercendum admittatur, nisi per su-
eriorem suum respectivè diligenter exami-
atus, in qua re conscientiam ipsius superio-
is oneramus, ac morum honestate, ætate, do-
rina, probitate, prudentia, & vitæ exem-
laritate ad illud aptus, & idoneus reperia-
ur, & hic quocunque postea prædicaturus
ccesserit, de hujusmodi & idoneitate sua
er literas authenticas seu alias sui Exami-
atoris; Approbatorísque, Episcopis & aliis
ocorum ordinariis fidem legitimè faciat,
Mandantes omnibus, qui hoc onus sustinent,
uiq́ in futurum sustinebunt, ut Evangeli-
am veritatem & sanctam Scripturam
uxta declarationem, interpretationem &
mpliationem dictorum, quos Ecclesia, vel
sus diuturnus approbavit, legendósque
actenus recepit, & in posterum recipiet,
rædicent & explanent, nec quicquam ejus
roprio sensu contrarium aut dissonum ad-
jiciant,

jiciant, sed illis semper insistant, quæ ab ipsius sacræ Scripturæ verbis, ritè ac sanè, & præfatorum Doctorum interpretationibus intellectis non discordant, tempus quoque præfixum futurorum malorum, vel Antichristi adventum, aut certum diem judicij prædicare, vel asserere nequaquam præsumant, cùm veritas dicat, non esse nostrum nôsse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate, ipsosq; qui hactenus similia asserere ausi sunt, mentitos, ac eorum causa reliquorum etiam rectè prædicantium auctoritati non modicum detractum fuisse, constet, inhibentes omnibus & singulis Clericis Secularibus vel Regularibus præfatis, cæterósque cujuscunque status & ordinis existant, qui hoc onus assument, ne de cætero in sermonibus suis publicis, alia quæque futura ex literis sacris constanter prædicere, nec illa à Spiritu Sancto, vel divina revelatione se habuisse, affirmare, & alienas inanésque divinationes asseveranda, aut alio quocunque modo tractanda assumant; sed ex divinæ vocis præcepto Evangelium omni creaturæ cum vitiorum detestatione,

&

& virtutum commendatione enucleent & declarent, & parem ac dilectionem mutuam à Redemtore nostro tantopere commendatam, ubique foventes, non scindant vestem inconsutilem Christi, sed ad Episcoporum & Prælatorum, ac aliorum superiorum, eorúmque status, scandalosa detractione; quos coram vulgo & Laicis non modò incautè, sed etiam intemperanter reprehendunt & mordent, & ab eis malegestorum expressis quandoque nominibus aperta & manifesta redargutione abstineant, denique constitutionem fel. rec. Clementis Papæ V. quæ incipit, Religiosi, *quam tenore præsentium innovamus & approbamus inviolabiliter ab eis observari debere decernimus, ut hac ratione ad utilitatem populi prædicantes, & cum Domino lucri facientes talentum quod ab illo acceperant superlucrari & ejusdem gratiam & gloriam consequi mereantur.* Quos hæc propriè tangat Bulla, nostrâ parum refert. Monachos tamen fuisse plerosque, aliosque curatos Pontificios, extra dubitandi aleam pono. Etsi enim hinc inde jam in cœnobiis, latuerint, qui paulò post emersuræ Reformationi Ecclesiasticæ stricturas eminus viderint, non

non tamen illos hîc intelligi, manifestum est, tum quòd *miracula* potiùs *crepuerint & nova vaticinia*, quàm, quæ Reformatorum cura fuit, sacræ Scripturæ authoritatem presserint; tum etiam quòd, superiori jam seculo, multos tales extitisse ex *Mallcolo* demonstraverimus. Vide Sec. XV.p.3.& deinc. Interim, minimè negârim, alios etiam feriri, qui scientiæ stimulis puncti de ruina Papatus, & Antichristi revelatione satis clarè & distinctè anno 1516. quo decretum Papæ fuit sancitum, inter ipsos claustrales sunt vaticinati. *Hic est ille annus* (verba sunt *Sculteti* Annal.Dec.1.p.5.) *quo Johannes Hilten, Isenaci Franciscanus, initium fore inclinantis Pontificiæ potentiæ prædixerat. Melanchthon vidisse se enarrationem Danielis manu Hiltenij, & in ea vaticinium hoc scriptum, refert in libello altero Epistolarum, p.81.* Cui præsagio respondit eventus. Hoc ipso enim anno, ut suo loco, σὺν Θεῷ, videbimus, Leo X. Campejum Cardinalem in Angliam, Angelum Arcomboldum in Daniam & Suetiam, Samsonem Mediolanensem in Helvetiam, Iohannem Tecelium in Germaniam cum suis indulgentiis, quarum impietate animi ad reformandum erant excitati, misit. Miraculis hic minimè fuit opus; portenta & monstra Ecclesiæ Romanæ abundè docebant, Antichristi adventum (cujus annunciationi semper restiterunt Pontifi-

ces, ut superioribus jam seculis monuimus) non minus frustra expectari, quàm à Iudæis Messiam ipsum. Quæ vero de aculeatis Prædicatorum concionibus Bulla Pontificia addit, & *scandalosa*, quam vocat, *Cleri detractione*; uberius illa enarrantur in *Manuali Curatorum Iohan. Vrici Surgant*, V. I. D. Curati Ecclesiæ Parochialis sancti Theodori Martyris, minoris Basileæ Constant. Diœcel. lib. 1. Considerat. 3. *Secundum dogma. Status Ecclesiasticorum, etiam inferiorum, præsertim Curatorum & Religiosorum non est acriter & apertè reprehendendus ad populum. Unde Prædicantes contra potestatem Curatorum, ut suam extollant, vel, ut reditus & jura fraudulenter præripiant, non sunt coadjutores, sed oppressores. Rursus aliqui habentes fortè zelum, sed non secundum scientiam, prædicantes contra Curatos concubinarios, asserendo, quòd Missa eorum vitari debet, etiamsi tolerentur à Prælatis; suscitaverunt majus incomparabiliter scandalum, quàm profecerunt. Est igitur potiùs adeunda, postulanda & expectanda provisio Prælatorum, quæ si non suffecerit, vel ex eorum dissimulatione, vel ex morbi radicatione in peccantibus obstinatis; restat, ut*

correctio remittatur divino judicio cum quadam permissione, sicut de meretricibus in Republica, & multis aliis criminibus etiam publicis, non minus enormibus, fieri necesse est, ne scandalum deterius oriatur. Hæc Gerson. Præterea textus in Clementin. Religiosis, de privilegiis sic habet: Religiosis in virtute sanctæ obedientiæ & sub interminatione maledictionis æternæ, distinctius inhibemus, ne in sermonibus suis Ecclesiarum Prælatis detrahant, aut etiam retrahant laicos ab Ecclesiarum suarum frequentia vel accessu, seu Indulgentias pronuncient indiscretas. Ubi, super verbo detrahant *Joh. An. in Glo. Beatum Hieronymum ad Rusticum scribentem allegat, qui dicit: Non est humilitatis meæ atque mensuræ de Ministris Ecclesiarum quidpiam dicere: Habeant ordinem illi suum & gradum, XVI.q. 1. Si Clericatus. Et Tullius in Rhetorica contra Salustium: Sæpius vidi gravius offendere animos auditorum eos, qui aliorum vitia apertè dixerunt, quàm eos qui commiserunt. Intelligo autem hanc literam, cùm nominatim detrahunt, vel per circum locutionem*

nem, quæ vicem habeat proprii nominis. Aliás in genere bene liceret prædicanti tangere vitia Prælatorum. Unde Dominus dixit: Super Cathedras Moysis sederunt Scribæ &c. Matth.23.q.1.Omnia: Licet ergo in genere, quod non in specie,de offi.ordi. Si Sacerdos.Caveant tamen,ut etiam in generali locutione linguam refrenent: quia, qui inconsideratè loquitur, sentiet mala V.q.V. §.sed aliud LIII.Dist. Sit Rector. Hæc Johannes Andreæ. Unde in congregatione Fratrum Ordinis sancti Francisci generali, Conventus Montis Lucij, provinciæ Burgundiæ, anno Domini 1481. charta habuit hæc verba: Dicta congregatio non mediocriter quorundam Fratrum superbiam detestatur, qui contra Prælatos Ecclesiæ seculares prædicare irreverenter loquendo litigando,prætextu privilegiorum,Indulgentiarum seu aliorum negotiorum eorum statui impertinentium cervicem exigere non erubescunt. Unde voluit dicta congregatio talium insolentias per suos superiores pœnis gravissimus arceri juxta statutum capituli Basileensis. Dicunt enim; se magna habere

privilegia & maximas bullas. Sed quæ est bulla Curatorum? Respondet Gerson: Sacrosanctum Evangelium est bulla Curatorum, quæ non indiget plumbo. Vide fundamentum Luc.10. cum Gloss. & in jure Canonico &c. Et consequenter dicit Gerson in sermone, ex parte universitatis Parisiensis contra Bullã Mendicantium facto, quòd Curati sunt minores Prælati, quorum statum etiam Papa annihilare non posset, cùm status ille non proveniat ex sua positiva ordinatione, sed sine medio ex Dei anthoritate. E contra verò Curati, & eorum cooperatores divinorum, contra religiosos prædicare non debent, sed pia devotione dulcius & attentius gratiosis eos favoribus prosequi: quantò frequentius fructus uberes ex eorum exemplari vita & salutari doctrina ipsi Ecclesiæ continuò cernimus provenire. Consultiè igitur agunt Curati seu Parochiales Presbyteri & Fratres, ut in charitate (sine qua nemini est salus) in modum conveniant honestum, non solùm de prædicationibus sepulturis; verùm de singulis è quibus poterit controversia inter eos ac scandalum

in

n populo oriri, pro loco ac tempore alterurum condescendendo, linguas suas in antea, ut gladium acutum in se invicem non vibrando, ne supremus judex, cujus oculus omnia videns, dicat cuilibet illorum illud Psaltis: sedens adversus fratrem tuum loquebaris, & adversus filium matris tuæ, scilicet sanctæ Ecclesiæ, scandalum. Hæc ex Ma...al. Curat an Chr. 1507. edito. Patet hinc, id strenue dedisse Monachos operam, ut Curatorum sacra omnibus redderent exosa & invisa. Concionibus detonuisse in sceleratam illorum vitam, ut Laici, a Seculari Clero abalienati, Religiosorum rem augerent. Hoc compendium ditescendi, & ad se legata omnia rapiendi, importunumque ulciscendi e, pro suggestu, studium etsi nec nos cum Curato illo Basileensi probemus, dolendum tamen est, Apostolica vestigia ita temere deserta fuisse, ut concubinarios publicos tolerantiâ dignos existimârint illi etiam, qui ex Paulo discere, & potuissent & debuissent, aliam contra hoc malum paratam esse medicinam. Horrendum cogitatu! Qua quæso, Lege sacra defendent, *Concubinariorum correctionem remittendam divino judicio cum quadam permissione, sicut de meretricibus in Republica, & multis aliis criminibus etiam publicis?* Sed hæc alius sunt loci.

[p] Quam graphicè depinxit Lutherus, post-

quam ejus libri à Theologis Lovaniensibus essent damnati. *Magnopere sibi* (compendiose Historiam dabimus ex Sleid. Comment. libr. 2. pag. 16.) *dolere, quod ita se comparent: Nam iræ divinæ magnitudinem ex eo satis intelligi posse; in omni ipsorum actione atq; doctrina nihil esse firmi, nihil certi, sed fluctuare ipsos animis, & nunc hanc, nunc illam opinionem suscipere defendendam: fuisse quondam ab Academia Parisiensi damnatum Guilelmum Occam, & tanquam impiè sentiret, ejectum, nunc autem in scholas esse receptum & celebrari: quantum etiam Parisinis tribuatur dogmatis, vel ex eo satis apparere, quòd vix etiam domi recipiantur, foris quidem illa non habere locum: Ab Anglis enim proverbio dici, quòd mare non transeant, ab Italis, quòd alpes, a Germanis quòd Rhenum non transmittant: Johannis Pici Mirandulani dogmata magnis odiis & acerbitate damnata, nunc esse in summo pretio; nec sine præstantissimi ingenij admiratione legi: Laurentium quoque Vallam eodem fuisse modo tractatum, sed homines literatos & judicio præditos, mul-*

tò

tò sentire aliter, in ejúsque scriptis magno cum fructu versari: litem illam adversus Capnionem, sic ab ipsis exagitatam esse, ut suam & ignorantiam & obstinatam malitiam vix ullo tempore magis patefecerint: mirabilia videlicet esse Dei consilia: Judæos olim fuisse peculiarem ei populum, sed cùm Evangelij lucem fugerent, & Christi beneficium aspernarentur, repudiatos, locum dedisse Gentibus: ita quoque nunc fieri, ut qui sint & haberi velint Pontifices atque Theologi, quíque summam potestatem atq. jus in Ecclesia sibi vendicant atq. sumunt, revera nihil præter inanem titulum habeant, alii verò procul ab hac ostentatione remoti, nomen illud atq. titulum jure sibi possint arrogare: breviter, omneis omnium temporum viros bonos & eruditos ab ipsis perpetuò fuisse divexatos, neq. tamen ullum proferri posse documentum, quo demonstrent, solidis & veris argumentis esse pugnatum, ac non potiùs mera fraude insidijs atq. tyrannide: talem etiam fuisse actionem illam in Johannem Hussum & Hieronymum Pragensem, cujus quidem rei

memoria sit ad omnem duratura posteritatem: sed inprimis admirari se temeritatem ipsorum, qui tot exemplis commonefacti non desistant tum sibi, tum reliquis Academiis ignominiam & maculam inurere sempiternam: ut enim maximè firmo fundamento nitantur ipsorum actiones, & ut vera sint atque legitimæ ipsorum sententiæ, quas huc usque pronunciârunt in multos insignes viros: tamen, quantum ad hanc suam causam & præsentem litem pertineat, iniquè factum ab ipsis, & malevolè, quod ad hunc modum grassentur: si quid peccârit, non debuisse statim in pessimam partem interpretari, sed cogitare secum, id esse proprium hominis: debuisse potius lenitatem & mansuetudinem adferre ad suorum dogmatum dijudicationem: quòd autem veluti furore quodam agitati, promiscuè omnia damnent, in eo prodere ipsos animi sui morbum & odij virulentiam: Aristotelem in summo ipsis esse pretio, & nihil ab eò dictum esse tam absurdè vel alienè à nostra religione, quod non defendant, quod non aliqua interpretatione quantumvis longè petita cir-

circumvestiant, quo suus illi constet honos atque nominis existimatio: sibi verò non modò nullum tale beneficium aut adjumentum præstari, se non solùm, si qua parte sit nudus, ab ipsis non vestiri, verùm etiam quibus in locis atque partibus optimè sit vestitus & armatus, magna cum injuria denudari: potuisse nimirum aliud adhiberi remedium, quod erat, si se commonuissent, ut sua scripta vel explicaret, vel emendaret, vel non pertinaciter defenderet: quòd si tum non obtemperâsset, errore commonstrato, licuisse ipsis agere, quemadmodum Christus præcepit.

[q] Hinc tot Academicorum turbæ, quæ nulla fere authoritate reprimi potuerunt. Lutetiæ non semel hoc Seculo erant tumultuati sub Ludovico XII. Sed cum frenum iis injicere voluisset, in publico Academiæ apud Bernhardinos habito conventu decreverunt, ut Conciones, Medicinæ praxis, studium, lectionesque statutæ intermitterentur *Geneb.* lib 4 sub an. Ch. 1503 Vide alios motus ad an. Chr. 1557. in Comment *Sleid.* l. 27. p. 352 Depositionis cumprimis ritum, cui non modò Germani: sed & in Academia sua locum dabant Parisienses, viris doctis & gravibus se reddiderunt intolerabiles, qua de re Epistolam habeo Lutetiâ an.

Ch. 1520. ad Zwinglium scriptam. *Conati sunt*, scribit Henricus Glareanus, *juvenes meos, quos nunc mecum advexeram (ut ajunt) deponere. Dolebat enim, quòd in lectione vel privata vel publica cum Beanis, ut vocant, Studentes sedere cogerentur. Ego, ut gliscere malum videbam, dissimulavi primum, haud ignarus, quantum ex re vilissima Tragœdia excitaretur: deinde, cùm palàm minarentur, meos arrepturos, ut desisterent jussi: meum esse illos deponere, cùm vellem. Multum illis sudoris instare, si omnes quotquot in urbe Parisiaca essent, deponere vellent, qui depositi nō essent. Tum verò convitia in me audisses jacta. Deum immortalem, quantos boatus, quantos cachinnos mihi moverunt! Ego, ut videbam tantò magis instare illos, rursus rogavi, quidnam sceleris esset Beanum esse? Me ita putare, eum Studentem, qui studeret; Bacchantem, qui bacchnaretur: Meos mecum studere, nullum à studijs intermittere tempus, non videre me, quis mores hos barbaros introduxerit. Neque Italiam, neque Galliam hanc observare insaniam. Tum autem*

vix

vix temperatum à convitiis, imò à manibus: ut denique cogerer jure patrio ab eis pacem postulare. Objiciebant verò mihi inprimis Vadianum & Zuinglium, qui ejusmodi mores & observárint, vehementérque approbárint. Ego, quid hac objectione quidam eorum machinarentur, intelligens, illos eos esse, qui multitudini & regionis consuetudini hoc darent respondi. Nunc nos in Gallia esse, ubi alij sint mores. Praeterea, non videre me, quid hoc, ungere merdis, & nescio quae stulta, vel ad disciplinam, vel ad mores adderent. Jam aliquot dies cum quibusdam egimus, cùm quidam illorum palam profiterentur, se meliores esse non depositis & digniores. Fatetur certè Middendorp Academ. l. 1. p. 155. consuetudinem hanc paulatim in abusum abiisse, ut non tam de Naturae & ingenii probatione, quàm de loculis exhauriendis, vel etiam de vindicandis odiis cogitetur: & quod olim virtutis aliqua probatio esse solebat, ad licentiam id peccandi, ebrietatisque ansam deflecti, ut loquitur Anton. Possevinus lib. 1. Biblioth selectae c. 6. ubi hanc receptionem & examen pupillatu studiosos eximere vocat. Propter istos autem abusus, inquit Middend. in quibusdam Academiis mos ille abrogatus est. Sed haec ἐν παρόδῳ.

V. Ita

V. Ita *primum* habet intervallum: *Secundum* diversis considerandum venit gradibus. Initio enim non minùs [a] literarum, quàm dogmatum Reformationi restiterunt illi, quibus sua placuit barbaries. In ipsa Linguarum studia, tanquam [b] hæresium seminaria, impetu facto, fremebundi invehi contumaciter perrexerunt; Librorum [c] sacrorum & [d] Ecclesiasticorum castigationem vel impiam, vel superfluam; recentiorum verò authorum monumenta, elegantiori paulò schemate in lucem edita, tetra [e] hæreticorum loligine persperſa clamitantes. Cùm verò stentores illi [f] rabie se sua nihil proficere animadvertissent, mansuetiores paulatim facti, vel ipsi, cùm nullo amplius colore simplicitatem illam Monasticam (quo nomine magna illa barbaries venerat) defendere possent, animum ad humaniores literas appulerunt, vel saltem bellum illud Grammaticale, quod vocabant, restaurare non fuerunt ausi. Jesuitæ præ-

ser-

lertim quidam colorem Papatui quærerari, & labentem Pontificis thronum erecturi, à literarum amore & studiis initium faciebant, liberè [g] professi, hanc se felicitatem Reformatoribus nostris debere. Damus ergò, Scholasticum statum secundo & tertio intervallo tantò longius à superiori primo recessisse; quantò majori cura [h] publicam & privatam literarum bonarum, [i] Linguarum cumprimis & [k] Philosophiæ (alia enim Theologiæ [l] ratio est) culturam Doctores Pontificii fuerunt amplexi. Gymnasia & Academiæ etsi numero non [m] multum creverint, novos tamen plerisque in locis Moderatores & [n] Rectores admiserunt.

[a] Quemadmodum enim φωσφόρος prodromus est paulatim ex thalamo prodituri Solis; ita & literarum aurora, subsecuturam Religionis & dogmatum emendationem indubiè portendebat. Non poterant igitur φιλοβάρβαροι, ne Solis radiis præstringeretur hebetatus & squalore obsitus illorum visus tantam ferre literarum lucé. *Est omnino hoc velut insitum superioris ætatis*

Theo-

Theologis,ut viros doctos exagitent: hujus autem rei cauſa eſt, quòd inſcitiam ſuam vident eſſe deſpectam, inquit *Sleid.* Comment. l.5.p.59.occaſione *Iacobi Fabri Stapulenſis*, Theologorum artibus ita exerciti, ut Galliam tandem deſeruerit. Eraſmo multum deferre eruditos, vel hoc maximè nomine, quòd barbariem Monaſticam maſculè profligârit,novit orbis. Sed quam apud alios, Monachos præſertim, inierit gratiam, ipſe non uno loco monuit. Habeo ad manus Epiſtolam,ex authoris autographo deſcriptam,quâ a Ch. 1534 Friburgo ad *Ioh Cholerum* inter alia hæc ſcripſit: *Bonnæ eſt quidam Franciſcanus, nomine Nicol.Herborn, ampliſſimæ ditionis, quippe commiſſarius Cismontanus. Is Antuverpiæ emiſit librum ſermonum quadrageſimalium,quaſi eos habuerit Coloniæ apud populum, quum ſcribat Latinè, nec in his quicquam ſit populare,pleni autem ineptiarum,ut nullus populus laturus fuerit talia deblaterantem. In eo libro nulla mica eſt nec ingenij, nec facundiæ,nec ullius eruditionis,ac ne piæ quidem mentis ullum eſt veſtigium. Videtur in hoc tamen ea coacervâſſe,ut ſub religioſo titulo haberet occaſionem effundendi ſua venena.Ex officina miſe-*

serunt ad me tres pagellas in specimen gustumque magnifici operis. In una, præter alia vitia, scribit hæc: Lutherus magnam Ecclesiæ partem ad se traxit, nonnullam Zuinglius & Oecolampadius, maximam Erasmus. Et addit, bonum esset, si natus non fuisset homo ille. In altera vocat Lutherum, Zuinglium & Oecolampadium milites Pilati, qui crucifixerunt Christum, me illis annumerans, addens me eodē Spiritu, eodémq. consilio scripsisse, quo scripserunt illi, nihil interesse, nisi quod ego jocor, illi seriò rem agunt. Adjicit dictum de Monachorum dictis melioribus: Me posuisse ova, Lutherum & cæteros exclusisse pullos. Nec dubito, quin totum opus ejusmodi flosculis sit respersum. Scribunt amici sinceriores, hoc genus animantium nihil non posse in aula Cæsaris. Confer Epist. ejusdem ad *Marcum Laurinum* Collegii Donatiani apud Brugas Decanum; *Præfat.* cumprimis in Apolog adversus articul. aliquot per Monachos quosdam in Hispaniis exhibitos. Vbi inter alia: *Quid ego nunc referam, qualia sint quæ sacris illis linguis è sacrosanctis pectoribus effundunt? Quidam in frequentissima concione dixerat in libris Erasmi esse quædam*

dam hæretica, digressus è suggesto exceptus est à docto quodam ejus urbis pensionario. Rogatus est, ut proferret locum hæreticum. Respondit sibi libros Erasmi nunquam fuisse lectos, tentasse legere opus, cui titulus est Moria, sed ob styli profunditatem metuisse, ne posset in aliquam prolabi hæresin. Alius seditiosè damnárat, me corrigere Magnificat. Rogatus in convivio, quid esset ibi correctum, dixit, quod venit in buccam, ait, me vertisse, Abraham & seminibus ejus, prolatus Codex, congruit impudens mendacium. Alius Doctor insigniter indoctus, me præsente, dixit in concione, eos peccare in Spiritum sanctum, qui corrigerent Magnificat. Item eos, qui dicerent concionatorem non intelligere suum thema, quum themata sumantur è sacris Literis. Dixeram enim in convivio quendam ejusdem sodalitij, verba Petri, quæ proposuerat, parùm intellexisse, quod dixeram, erat verissimum. Alius vociferatus est, quod in precatione Dominica apud Lucam pro debita, vertissem, peccata, quum sic habeat apud eum Evangelistam Ecclesiastica lectio, tam apud Græcos, quàm apud

apud Latinos. Quid de illo referam, qui, quum in frequentissima schola perstrinxisset me, quasi parùm piè sentirem de casta vita, post in colloquio privato fassus est, se hactenus credidisse, Declamationem, esse Concionem Ecclesiasticam, & cœlibatum esse vitam virgineam angelicamque. Quid de illo, qui jam triumphabat, quasi falsò scripsissem, Hieronymum non fuisse perpetuò virginem, quum ad Eustachium scribat: Virginitatem enim non tantùm offerimus, sed servamus; cùm ijs, qui Latinè nôrint, illic servare, sit servandi rationem docere, & si hoc Latini sermonis ratio non indicaret, ipsa res, ipse dictionis tenor declarat. Pudet memorare de illo, qui, quòd in Enchiridio laudâssem Apostolorũ germanam Theologiam, quæ & Philosophorum supercilium, & Principum sceptra misisset sub jugum Christi, publicitus vociferabatur, me negare usquam gentium esse Theologiam præterquam in Germania, quæ maximè foveret Hæreticos, quum pueri quoque sciant, germanum dici quod est verum ac genuinum, eaq; vox sic usurpata sit etiam apud Pau-

lum, si authores Latinos non legerat. Huic vicinum est illud, quod quidam suo ipsius judicio, magnus fidei ζηλωτὴς, apud eximios viros non veritus est criminari, quòd censuerim Carthusiano potius vescendum carnibus, quàm admittendum levem capitis dolorem, quia reprehendebam eum, qui pateretur proximum in capitis venire discrimen ob humanam constitutionem.

[b] Lud.viv.de caus corrupt.art.libr.2.pag 79. *Nec satis illis fuit hæc ignoràsse, & ab eorum cognitione arcuisse alios pro virili parte sua, etiam infamârunt teterrimi criminis, ne quis vellet propius accedere metu contagij. Ajunt, linguas errorum esse quoddam velut seminarium. Primùm, non puto eos id sentire de linguis omnibus: nam & ipsi ijdem, qui hæc dicunt, tametsi spurcam, obscænam, distortam, balbam, vitiosissimam, linguam tamen habent aliquam, fontes totius sapientiæ & mundi oracula. At linguæ excultæ ajunt atque elegantes. At ipsi admirantur ac suspiciunt concionatorem in patria sua lingua facundum & exercitatum. Latina, inquiunt, & Græca: Quid meruerunt*

runt misera? sed hoc qui constat, quum ipsi videre velint Latinè loqui se & quidem accuratius Latina intelligere, quam illi, quos ipsi vocant, Linguarum Professores, ut Hieronymum, Ambrosium, Hilarium, Augustinum, & veteres Jurisconsultos, qui omnes Latinissimè scripserunt. Quid ergò, si intelligas Linguas, non potes esse hæreticus? Eris, si loquare. Ceu verò in sermone sita sit hæresis, & non in intelligentia: an ideo erit fons culpandus, si liquidior fluat & purior. Deinde cur potius vera & exacta Latina hæreses afferet, quàm corrupta & neglecta? quasi non omnes penè hæreses è pravo sanctarum literarum intellectu nascantur: quod necesse est ijs contingere, qui linguas eas ignorant, quibus Scripturæ sunt prodita. Mirum, ni Basilius, & Gregorius Nazianzenus, & Chrysostomus, quantò Ario eloquentiores fuerunt; tantò hæreticiores existimentur: tum Hieronymus hæreticus sit, qui Latinos, Græcos, Chaldæos scriptores plures evolvit, accuratius excussit, quàm eorum qui post eum quicquam, nempe homo summa industria præditus, indefatigabili

studio & longa vita usus. Vigilantius verò, Jovinianus, Ruffinus Catholici, qui minus Græcè ac Latinè, quàm illi noverant, & quos Hieronymus velut linguarum imperitos insectatur, tanquam errores ex ignorantia hauserint, & revera ita erat. Nam ut de alijs taceam, Vigilantius si scivisset, qui vocarentur Hebraicè fratres; & vim illarum vocum novisset primogenitus, *&* antequam, *non illa adversus puritatem sacræ Virginis deblaterâsset.* Erasm. Roterod Epist. ad Dorp. *Bonas literas metuunt & suæ timent tyrannidi. Atq; ut intelligas, me non temerè hoc divinare, cùm opus esset institutum, & fama jam percrebuisset; accurrêre quidam graves, ut habentur, viri, & insignes, ut sibi videntur, Theologi, per omnia sacra typographum obtestantes; ne quid Græcitatis aut Hebraismi pateretur admiscere. Ingens in eis literis esse periculum, nec quicquam esse fructus, ad solam curiositatem esse paratas.* Ipse Bzov ad an. Chr. 1533. S. 22. monet Sorbonam pluribus Regi Francisco (cujus eruditioni & suis & Budæi verbis, luculentum perhibet testimonium) Regioq; Senatui demonstrâsse pluribus

ous, *quàm perniciosè in eo erretur, quòd ad* *terarum professionem sine delectu passim* *uicunq; admitterentur. Neq; enim pericu-* *carere, quòd Grammatici etiam falcem* *alienam messem mitterent, & Theologi-* *rum rerum susciperent tractationem: Sic* *uim fore, ut quisque hic Græcam, ille Lati-* *im, alius aliam versionem exagitandam* *bi sumerent, aut propriam comminiscèren-* *r, sicq; hæreseos virus doctrinæ suæ insper-* *rent. Beda quidem & Querceus uterq;* *agni nominis Theologus hac de re ipsi Re-* *m monuerunt:* sed sine successu.

[c] Quotus enim quisque ad Translationem Scripturæ accessit, quem lividi Zoilorum mor- non impetierint? *Erasmus Roterodamus* Novi Te- menti versione non crabrones modò irritavit; l & amicos. Noluit *Dorpius* quicquam ab Erasmo utari, *nisi quid fortè sit apud Græcos signi-* *antius, & negavit in vulgata Editione* *uicquam esse vitij*. Vide Epist. ejus. *Iac. Lop. Stu-* *a* & *Sanctius Caranza* Hispani, acriter Erasmi ver- nem & notas, tanquam hæreticas flagellârunt. ec alio in ipsum fuit animo *Natalis Bedæ*, quorum nnium scripta eruditorum manibus teruntur. *ntes Pagninus*, qui post Reformationem primus ter Pontificios universi Contextus sacri novam

dedit editionem a.Ch.1528.plerorumque quidem eruditorum tulit puncta; censores tamen postea iniquissimos nactus est Iesuitas. Vide *Isag.Riv.*ad Script.sac.pag.173. *Benedictus Arias Montanus* ipsam hanc Editionem postea in Regia Biblia, quæ *Interlinearia* vocant, transtulit,ita tamen,ut ubi Hebræū textum ad verbum Xantes non expresit, suam ille in textu substituerit, rejecta ad marginem Pagnini versione. Hac sua opera etsi magnam apud multos inierit gratiam, Iesuitarum tamen livorem effugere non poterat. *Nos* (scribit ipse *Montanus* libr. de varia Hebraicorum librorum scriptione) *Pagnini diligentiam imitati atq; pressius etiam secuti,eam quam in prima hujus operis præfatione exposuimus, operam præstabamus, quámq; à nemine hactenus doctorum & candidorum virorum improbari audivimus, præter unum Erostratum, qui Theologorum suæ ætatis,& superiorum ferè omnium laboribus obtrectare,atq; Pagnino inprimis bellum indicere,summæ sibi,ut existimo,laudi fore speravit. Is quoniam Pagninum vivum habere non poterat, nostrū præ aliis nomen proscindendum suscepit, nactus fortassis opportunitatem in quorundam animis & consiliis, qui cum soli sapere, & soli bene vivere,* JESUMQUE propius

pius INSEQUI & COMITARI *sibi videantur, atq; id palam professi jactitent, me, qui minimum, atque adeò inutilem JESU discipulum ago, odio habuerunt gratis. Atq; hi, quod neminem, qui aliâs bene audiat, palam improbare audent, aliorum, quibus ad eam rem occultè inducere possunt, ingenijs & nominibus abutuntur.* Sequutus fuit *Isidorus Clarius*, Brixianus, Episcopus Fulginas, cujus Editio, probata quidem fuit viris magnis, censuram tamen subiit non solùm *Melchioris Cani* specialem; sed & *Delrionis Jesuitæ* generalem qui Proleg. c. 3. Reg. 6. scripsit: *Recentiorum, post D. Hieronymum, versiones nō solum hæreticorum; sed etiam Catholicorum periculosas esse; eo quòd omnes ferè secuti sunt lectionem & dispunctionem Masorethatum.* De reliquis versionibus multa monere nihil attinet. Certum est, reverentiâ vulgatæ versionis ita fuisse plerosque Pontificios Doctores ductos & tractos, ut quascunque præ illa contemserint.

[d] Neque enim putabant, quicquam esse in illis scriptoribus, quod medicam posceret manum. *Eras.* Ep. ad Dorp. *Ante hoc tempus, cùm apud Britannos agerem, forte fortuna incidit mihi compotatio cum Franciscano quodam primi nominis Scotista, qui plebis judicio*

multum sapere, suo nihil nescire videtur. Huic cùm exposuissem, quid in Hieronymo conarer, vehementer admiratus est, esse quicquam in hujus libris, quod à Theologis non intelligeretur, homo usq; adeò indoctus, ut demirer, si tres versus in omnibus Hieronymi lucubrationibus rectè intelligat. Addebat homo suavis, si quid in Hieronymi præfationibus addubitarem, Britonem omnia luculenter exposuisse. Cùm ad emendatam Augustini Editionem se idem accingeret, quos non adversarii cierunt tumultus? *Cùm verò* (sic scribit præfat. in lib. August. de Civit. Dei Lud. Viv.) *hujus conatus odor permanâsset ad quosdam Dominicani sodalitij fratres, jam non in symposijs tantùm; verùm etiam in publicis concionibus vociferari cœperunt, indignum facinus, nec diutius orbi tolerandum. Erasmum deniq; & Augustini castigationem moliri, in cujus operibus nec tantum intelligeret: atq; hæresin etiam vocabant, asseverare quicquam esse in hujus viri libris mendosum, adulterinum aut non intellectum Theologis.* Lege etiam cætera, ubi doctissimus Hispanus hanc Monachorum protervíam pauló acrius depexum ivit.

[c] Re-

[c] Repete quæ dicta sunt litera b. Vnde etiam ejusmodi authores in Catalogum Cæntum seu scriptorum damnatorum fuerunt relati. Vide *ind. lib.prohibitorum.* Sint exempli loco *Erasmus* & *Vives*, de quibus ita p.25. Edit. Turret. *Desiderius Erasmus Roterodamus. Permittuntur verò illius Adagia, edita à Paulo Manutio: vel ad illius Editionis exemplar excusa aut correcta: Item Epistola ad Hadrianũ VI. Rom. Pont. præfixa Arnobij Afri Commentarijs in Psalmos. Sed in titulo Epistolæ addatur: Auctor damnatus, Epistola permissa. Permittuntur etiam, si expurgentur ejusdem opera, hoc titulo edita: Omnia opera Des. Erasm. Roterodami, quæcunq; ipse auctor pro suis agnovit, novem Tomis distincta, &c. Basil. apud Frobenium 1540. Illa verò opuscula, nimirum, Colloquiorum liber: Moria: Christiani matrimonij institutio: & Epistola Apologetica de interdicto esu carnium, ijsdem Tomis contenta, aut seorsim edita, non expurgantur, sed omnino prohibentur. Item, permittuntur, si expurgentur, ejusdem Erasmi & Ludovici Vivis in D. Augustinum annotationes. Item, in D. Hieron. præfatio, scholia & alia. Item, in D. Hilarium præfatio &*

annotationes. Iesuitis Erasmum in nullo esse pretio hodierno die, quid miremur, cùm Patriarcha illorum Ignatius *omnia Erasmi opera in sua societate legi vetuerit, quod singula veneno hæretico infecta putaret:* *Hospin.* Hist. Ies. p. 54. c.

[f] Habebant Reuchlinus, Erasmus, Ludovicus Vives sua ubique, in claustris præsertim, flagella; sed nec patronos defuisse, quorum opera bona causa triumphavit, acta illorum temporum fidem faciunt.

[g] Ita enim hac de re *Erasmus Roterodamus* Epistol. lib. 12 ad Rect. Academ. Erfurtens. *Eo vanitatis processerat frigida illa disputatrix Theologia, ut necesse fuerit ad fontes revocari: Sed tamen illam quoq; corrigi malim, quàm explodi, aut certè tolerari, donec potior aliqua Theologiæ ratio fuerit parata. Non est hujus conditionis, nec hujus ingenij, de illius* (Lutheri) *doctrina pronuntiare. Hactenus certè profuit Mundo. Nonnulli sunt adacti ad evolvendos veterum Theologorum libros: alij, quo sibi consulerent, alij quo Luthero negotium facesserent.* Et nostro demum seculo *Martin. Becan.* Tom. III. op. Theolog. præf. *Multi Catholici per Lu-*

the-

theranos & Calvinistas de somno excitati sunt, & fidem ac religionem Christianam, doctissimis libris ac commentarijs illustrârunt. Sacram Scripturam interpretati sunt Jansenius, Pererius, Salmeron, Titelmannus, Gembrardus, Delrius, Toletus Maldonatus, Serarius, Masius, Emanuel Sa, Ribera, Vilapandus, Pineda, Lorinus, Franciscus, Lucas, Baradius, Viegas infiniti alij. A quo excitati? A Lutheranis & Calvinistis. Controversias de fide ac religione scripserunt Eckius, Cochlæus, Staphylus, Latomus, Bellarminus, Valentia, Costerus, Gretserus, Scribanius, Busæus, Possevinus, Campianus, Molhusinus, Gibbonus, Duræus, Pistorius, Andradius, Thyræus, Pelianus, Stapletonus, Sciopdius. A quo excitati? A Lutheranis & Calvinistis. Et sanè si hæc nostra tempora conferantur cum superioribus proximis ætatibus, quibus vel nulli vel pauci hæretici Ecclesiam turbârunt, facilè constabit, tantùm lucis ac splendoris ad Ecclesiæ Catholicæ doctrinam accessisse, quantum si hæretici nulli essent, accessisset unquam.

[b] Quam enim Academiarum facies, adeóque publi-

publica literarum cura & cultura multum diſtet à praxi ſuperiorum temporum, vel ex ſolius Pariſienſis Academiæ fato conſtat. Antea Græci Profeſſores nulli erant, & qui, authoritate Concilii Vienneſis decreto ſubnixi, operam ſuam offerebant, difficulter admittebantur. Tifernas (Chryſoloræ diſcipulus & Budæi præceptor, *Geneb.*) certè a. Ch. 1470. cùm Academiæ illius Rectori indicâſſet, ſibi propoſitum eſſe literas Græcas profiteri, poſtulato etiam ſtipendio, demirabantur omnes hominis peregrini, & ab Academia non accerſiti audaciam. Hoc verò ſeculi intervallo ſecundo 1530. Franciſc. I. Rex Guilelmo Budæo & Iohanne Belajo hortantibus, ad addendum Colophonem iis, quæ in Pariſienſi Academia deſiderabantur, deſtinato aureorum ducentorum honorario, Regios linguarum Profeſſores inſtituit. Hebraicę quidem Franciſcum Vatablum; Græcæ autem Petrum Daneſium Pariſienſem, poſtea Epiſcopum Vaurenſem. Quibus duobus continuò addidit Iacobum Tuſanum Gręcæ, Agathium Guidacerium Hebraicæ Doctorem. Aliquanto poſt duos in Mathematicis Orontium Finæum, & Iohannem Martinum Poblacionem, Deniq; auctore Petro Caſtellano, Anagnoſte ſuo, alios in literis Latinis, Medicina, Philoſophia adjunxit: *Geneb. Carion.* Idem etiam, Laſcari & Budæo authoribus, Bibliothecam Fontanablæam inſtruxit; *Id.* a. Ch. 1523 Sed & Gregorii XIII. amorem literarum & literatorum valde commendant. Scribit *Geneb.* ad an. Chr. 1572. a. Fuiſſe illum inſignem Iuriſconſultum. b. Varia doctrinarum Collegia

legia instituisse Romæ, Græcorum, Armeniorum, Afrorum, Iudæorum, Neophytorum, Germanorum, Anglorum, Scotorum. c. Seminaria adjecisse 1 Hebræorum, ut idonei quique in bonis literis, maximè Hebraicis, Chaldaicis & peregrinis erudiantur. 2. Anglorum Rhemis. 3. Slavorum Lorettæ. 4. Scotorum Pontimosellæ in Lotharingia. d. Sacra Biblia Latina ad pristinam integritatem redegisse. e. Linguas fovisse: jussu proinde ejus & sumptibus elegantes characteres Hebraicos, Syriacos, Arabicos, Armeniacos an. Chr. 1579 1580. Granjonē Parisiensem, Romá evocatum fabricasse. f. Menses diesque præcurrentes retraxisse, ac labantem festorum dierum rationem correxisse, juxta veterem Synodi Nicenæ, Alexandrinamque rationem, demtis è mense Octobri anni 1582. diebus 10 deinceps æquinoctio verno ad 21. Martii affixo, quod in decimum retrocesserat, & Epactis ad novilunia designanda in aurei numeri locum substitutis.

[1] *Græcæ Linguæ* callentissimus erat Budæus Parisiis, alii alibi. *Hebraicæ, Chaldaicæ* & *Syriacæ* Vatablus, Xantes Pagninus, Arius Montanus, Postellus, Guido Fabricius, VVidmenstadius, &c. Rarissimi & olim & nunc sunt inter Iesuitas Hebreæ linguæ cultores, exitiali illa imbuti opinione, per literas has sanctissimas viam ad hæresin Lutheranam sterni. Dubitas? Verba audi portentissima ex Regulis Iesuit (apud *Hospin*, pag. 19) depromtis: ***Provincialis aliarum linguarum studium*** ***val-***

valde commendatum habeat: Hæbraica verò iis tantum concedat, qui in Theologia facultate, mediocriter eruditi jam sint, aut certè tam humiles, ut sperandum meritò sit, hoc studium sine illorum detrimento utile valde futurum. *Aethiopicæ* Marianus Victorinus Reatinus, quam à Petro quodam Æthiope didicit an. Ch 1553. Extant eujus institutiones. *Arabicæ* Clenardus, Guil. Postellus, quem sub finem ætatis Iesuiticæ ordinis fuisse scribunt. Vide *Specul. Iesuit.* a. Ch. 1581. *Persicæ* Xavierus Iesuita, &c.

[*K*] *Geneb.* an. Chr. 1548. *Joachimus Perionius Benedictinus, Theologus Parisiensis, Philosophiæ Aristotelicæ curriculum ita Latinè & Ciceronianè primus vertit, ut deinceps Philosophi Latinè loqui cœperint, qui antea erant infantes, & paulatim dediscere barbariem, qua eorum disciplinæ & libri erant fœdati. Repudiatis veterum versionibus & formulis. Hoc divinum beneficium manavit longius. Nam & Theologi, Medici, Jurisconsulti certatim sese ad ejus imitationẽ componentes, antiquam Cypriani, Arnobii, Lactantii, Hieronymi, Ambrosii, Augustini, Cornelii Celsi, Ulpiani & similium elegantiam revocârunt: velut postliminio.*

im-

impuritatem loquendi è suis scholis & libris depulerunt, suúmque Seculum adeò facundum reddiderunt, ut cum quovis de ea laude facile possit contendere.

[l] Cujus plenius instituemus examen, ubi ad Ecclesiæ Historiam fuerit deventum. Pudet interim referre Monachos in tanta literarum luce, Helenam suam fucatam & fastu nimio turgidá, Scholasticorum Theologiam, ita deperiisse, ut apertè multi fuerint fassi, honorificum sibi *Thomistarum* esse titulum, quod Sylvester Prieras, qui his tantum telis contra Lutherum pugnavit, scripsit: vide *Sled.* l. 1. p. 2. Imó nihil deinceps in controversiis desiderari à quoquam posse, quod à Magistrorum istorum decisionibus non liceat expectare. Cùm in Tridentino Concilio articulus de sensu Scripturæ ventilaretur, aliis quidem Cardinalis Cajetani judicium, quo statuit, novum aliquem Scripturæ sensum, quando cum textu concordat, & neque cum aliis Scripturæ locis, neque cum fidei doctrina pugnat, rejiciendum non esse, utcunque torrens Doctorum ad alium sensum confluat: Alii tamen secus sentientes, differebant, licentiam popularem majorem in Ecclesiam perturbationem invehere, quam ipsam tyrannidem: ideóque his præsertim temporibus effrænata hominum ingenia cohibenda: alioquin nullum fore contentionum finem. Priscis quidem seculis permissum in sacræ Scripturæ libros commentarios scribere, necessitate id postulante, quòd paucæ essent expositiones Bibliorum

rum; & nullo, sicuti hoc seculo, impendente turbarum metu ab hominibus vitæ sanctimonia, ingeniique moderatione spectatis. Scholasticos igitur Theologos, cùm viderent, nullam esse in Ecclesia aliarum Interpretationum necessitatem, & Scripturam non modò sufficientem, sed etiam copiosè explicatam, aliam rerum sacrarum tractandarum rationem inivisse, cumque viderent homines ad disputandum suopte ingenio prodire, satius duxisse, distinere eos potiùs excutiendis Aristotelis effatis & rationibus, atque interim verbo DEI cultum & reverentiam debitam conservare; cui plurimum decedat necesse est, quando illotis vulgi manibus tractatur, aut curiosis tanquam materia exercitandis ipsorum ingeniis propinatur. Atque hæc sententia eò confidentiæ processit, *ut F. Ricardus de Mans, ordinis Franciscanorum non erubesceret dicere, fidei dogmata opera Scholasticorum in præsens sic esse enucleata, ut in posterum ex Scriptura ea addiscere nihil esset opus.* Eam olim in Ecclesia legi, & in Scholis addisci solitam ad populum instituendum: nunc verò in Ecclesia lectitari, ut orare doceat solùm, qui unicus debet esse illius usus, non autem ut addiscatur. Atque eum esse cultum ac venerationem à singulis verbo DEI debitum. Illud verò omnino prohibendum, ne quis discendi studio Scripturam legat, nisi qui in Theologiæ Scholasticæ doctrina prius sit institutus. Apud eos enim, qui in sacris literis versantur, Lutheranos maximos facere

cere progressus: quæ sententia etiam fautores suos habuit. *Hist. Concil. Trid. l 2. p. 173. Melch Canus*, Loc. comm libri octavi magnam tribuit partem vindicandæ Theologiæ Scholasticæ, & Scholarum authoritati, de qua ita sentit: *Ex contemtu Scholæ, tanquam primo fonte, Lutheranorum hæreses derivatas esse. Contemtis enim Scholæ auctoribus, Scholæ quoque judicia contemsisse. His neglectis, mox necesse fuisse Hieronymum, Augustinum, Basilium, Ambrosium negligi, quos Theologi recentes dogmatum suorum authores habuerint.* Sed injuriam facit Reformatoribus nostris Canus. Scholas omnes, & scholastica exercitia minimè contempserunt, ipsi Scholarum maximi fautores. Fastum & superciliũ Theologicum taxârunt, profanamq; eorum mentem, quâ, posthabitis Scripturæ fontibus, vel Philosophos instar oraculorum consuluerunt, vel saltem Patres. Atq; hæc Theologiæ, novis & ineptissimis quæstionibus corruptæ, ratio, placere illis non potuit. Sed & Patres ab illis neglectos fuisse calumnia est. Quorsum enim Erasmus & Vives, quibus Scholastica Theologia planè sorduit, tot adversariorum insultus propter castigatiores Patrum editiones, excepissent, si abjectos aut neglectos illos voluissent? Ægrè tamen ferebant, a. Patrum authoritatem cum sacra Scriptura loco pari habitam. b. Patrum nomine ea sæpe scripta, de quibus nunquam illi cogitârunt, fuisse jacta-

ta & in Theologorum subsellia intrusa turpissimorum hæreticorum deliramenta. c. Exemplo & authoritate errores, qui excusandi potiùs & tegendi erant, illos defendisse: qua de re, in *Dissert.* de abusu Patrum; & *Elench. Script. supposit.* prolixius à nobis actum est. Redeamus ad judiciū *Cani.* Asserit ergò: *II. Theologorum Scholasticorum, etiam multorum, testimonium, si alij contrapugnant viri docti, non plus valere ad faciendam fidem, quàm vel ratio ipsorum, vel gravior etiam authoritas comprobârit. III. Ex auctorum omnium Scholasticorum communi sententia in re quidē gravi, usq; adeò probabilia sumi argumenta, ut illis refragari temerarium sit. IV. Concordem omniū Theologorum scholæ de fide aut moribus sententiæ contradicere, si hæresis non sit, hæresi proximum esse.* Fatentur Reformati, non contemnendam, Theologicam Scholarum & Academiarum facultatem, habere momentum & pondus in examine graviorum controversiarum; ab iis tamen simpliciter dependere, aut judicium earum sequi, à multis jam seculis tam non fuit tutum, quàm periculosum Synagogæ Iudaicæ contra Christum, & Christianos fuisse consensum, ipsæ Sacræ Literæ docent. Non hic numero vel authoritate humana; sed pondere & rationibus est agendum. Lege querelas Theologorum Pontificiorum apud *Bzov.* an.

Ch.

Ch. 1530. S. 10. & deinc. de corruptis auro Anglico Academiis, & ἀργυρωνήτοις illorum pro Henrici Regis divortio suffragiis, & videbis, an è re fuerit vocem Scholarum venalem, tanquam oraculum venerari.

[m] Habemus tamen hoc seculo & intervallo *Duacensem* Academiam an. Ch. 1562. mense Octobri à Philippo II. ne Belgica juventus literarum causâ ad exteros proficisceretur, fundatam; de qua prolixè Boetius Epo, Duacensis Professor apud *Middend.* lib. V. Acad p. 196. Sic a. Ch. 1573. fundata est universitas *Mussipontana* à Cardinali Lotharingico, constitutis in ea Iesuitis Professoribus. *Gaulther.* Spec. Ies. p. 47.

[n] Iesuitas nempe, de quorum tamen studiis postea agemus.

VI. Hęc de *Scholis*: *Monasteria*, quemadmodum superioribus jam [a] aliquot seculis ex Musarum domiciliis, pietatis phrontisteriis, honestatis gymnasiis in carceres squalidos, & inscitiæ omnis ac improbitatis detestanda receptacula fuerunt conversa; ita prima hujus seculi periodo Monachi in eodem luto hærentes, [b] ignorantia [c] apostasia, odiis atque dissidiis tum erga alios [d] Clericos, tum erga [e] se invicem, fraudibus denique [f] & dolis invisos

se orbi reddere perrexerunt: Pontificibus interim & Episcopis, tum privilegia largiter vel conferentibus, vel confirmantibus, tum etiam superstitiosa illorum vota approbantibus & propagantibus.

[a] Vide *Differt.* de Necess. Reform. S.V. & *Hist. Eccl.* hinc inde.

[b] Sunt enim Monachi, à quibus 1. Artium & Linguarum studium omnibus impetitum fuit arietibus, id quod vel ex *Erasmi, Vallæ, Vivis*, aliorumque supra allatis querelis patet. Quibus accinit *VVuernerus* Z. Epistolâ ad Conradum Pellicanum an. Chr. 1544. scripta. *Præter spinosam illam Theologiam, quam egregij Sophistæ prælegebant nihil discendum erat. Neque enim te latet, quantum oblocutionis, quotquot melioribus atque politioribus apud illos incumbere voluerunt studijs, sustinuerint. Quàm inhumanam atque crudelem persecutionem Paulus Scriptoris, vir ille verus, atque in omni facultate profundissimus perpessus est? Pestilens hic error apud illos* (Minoritas) *obtinnuit*, ut nullus illius sectæ verus esset zelator, nisi studiosos persequeretur. Ipse tu, quid sustinueris, non ignoras, qui Hebræam linguam quasi furtivè & ut hirundo volatu cibum, ita tu literas illas à vi-

à viro illo incomparabilis scientiæ, Ioh. Reuchlin imbibisti. Non aliter etiam alumni illi tui, Sebastianus Munsterus & Marcus Heilander, à te suxerunt. 2. Eisdem ignorantiæ asylum adeò placuit, ut vel in proverbium abierit; *Monacho indoctior*, de quo *Erasm. in Chiliad.* ita scribit: Non diffiteor, quin in primæva Ecclesia & major pietas fuerit in Monachis, & sanctior vitæ disciplina, & discendi studium ardentius. Nec illud negaverim, quin subsecuta secula multos ignavos fucos pro sedulis Monachis nobis pepererint. Monachi enim nostri omnes sunt tam barbari, ut non solùm non intelligant Missam, quam missant, sed ut in proverbium abierint: quum enim insignem alicujus inscitiam exprimere volumus, dicimus, eum Monacho indoctiorem, seu imperitiorem; hoc est, ab imis unguibus ad verticem summum, totum ignorantia concretum. Quid, quæso, Lector putas, homines cordatos cogitare, cùm videant in aulis Episcoporum, in Canonicorum Collegiis, in Abbatum Monasteriis versari asinos, & pro apibus fucos, pro fucis crabrones, & pro utrisque serpentes. Patres ab omni literarum studio alienissimi, turpiter Ecclesiæ bonis abutuntur ad luxum, ad fastum, ad libidines: & pro aratore bove, pigrum asinum substituunt pro fœcunda asina mulam sterilem: & denique malunt nugatoribus, lenonibus & parasitis, item coquis stipendia conferre, & pabulum concedere, quàm literatis & doctis viris. Quivis enim horum præfertur ac majori in honore est, quám literatissimus quisque. Quo fit, ut vir doctus in Prælatorum do-

mibus albo corvo sit rarior. Interea conqueruntur, se doctis hominibus destitui. Deum immortalem, quanta impudentia isthæc est? Præsentes fastidiunt, absentes ajunt se desiderare: in quos ne teruntium quidem volunt impendere: cùm Prælatos deceat literarios ludos aperire, sumtus conferre, & hoc conari unicè, ut Clerici & Monachi eruditi sint & habeantur. Legi enim de utrisque Monachis non ita pridem hoc non infacetum carmen:

Gratum murmur apes, his quondam vivere cellis
Novimus, unde piis copia mellis erat.
Ignavum pecus hinc aliena ad pabula fuci
Venerunt Monachi bestia pigra, vorax.
Denique crabrones his successere maligni,
Qui fucorum & apum dissoluêre domos.

Ita enim Monachi ferè omnes insigniter degenerârunt à Majorum suorum instituto, cùm fuerint literarum ac pietatis amantes & studiosi, nunc verò turba scelestorum nebulonum; ut rectè alio communi proverbio dicatur: Monachum pestem & exitium totius orbis: quum quotidie nihil aliud agant quàm potent, scortentur, invicem invideant, mordeant, detrahant, scurrilia loquantur, ultro citroque nefanda patiantur & agant. Magni asotici helluones præ ebrietate nunquam Solem orientem (ut dicitur) vel occidentem vident. Tales Stoicæ simiæ discolores, & cucullata monstra dicuntur vulgò inscitiæ & cacologiæ Doctores. Argento inhiant, & sunt iracundiores canibus, timidiores leporibus, blandiores simiis, petulantiores asinis, rapaciores felibus, pugnaciores gallis galli-

na-

naceis. Continenter ventri inserviunt, conviviis tabescunt, varia ciborum genera cogitant, in merum se ingurgitant, præter modum cibo ventrem onerant.

[c] Ab exemplo videlicet & πολιτεία veterum Monachorum, de quo discrimine *Idem*, in vita Hieron. *Pensitatis igitur omnibus ac circumspectis, Monachi placuit institutum: quod, ne quis in hoc erret, id temporis longè diversum erat, ab hoc, quod hoc die videmus, ceremoniјs obstrictum: imò quibus libertas maximè erat cordi, hi Monachi professionem suscipiebant. Primum enim res manebat integra, manebat commigrandi remigrandíque, quò vellent postas: manebat dulcissimum ac liberrimum otium, ad studium, jejunia, psalmos, vigilias, aut suopte incitabantur animo: aut exemplis invitabantur, non cogebantur hominum constitiunculis. Vestitus erat simplex, nec is tamen præscriptus, sed suo cuiq; arbitrio sumtus: non qui prodigiosa novitate faceret insignem, & digito notandum: sed qui simplicitatem Christianam præ se ferret. Votorum nulla vincula. Denique si quem fortè sui instituti pœnitentia cœpisset, tota demum pœna erat, in-*

constantiæ nota. Cujus rei si quis fidem requirat, legat Hilarionis vitam: legat institutionem Monachi ad Rusticum, & item ad Paulinum: Legat in Epistola, cujus initium: Audi filia, descriptum triplex apud Aegyptios Monachorum genus. Quia inter alia præstabat & hæc commoda illud vitæ genus. Hujus prætextu honestius licebat ab affinium & cognatorum vinculis temet excutere, gravi nimirum onere, ei cui nihil dulcius otio studiorum: à publicis functionibus, à munijs, & officijs Imperialis aulæ, prorsus habebantur excusati. Postremò minus patebant Episcoporum quorundam jam tum insolescentiũ tyrannidi. Jam hic titulus nec à functione clericatus quicquam remorabatur: & ex nullo ordine sæpius deligebantur Episcopi. Nec aliud quicquam erat tunc Monachi professio, quàm priscæ liberæq; vitæ meditatio ac purè Christianæ. Hæc obiter admonenda duxi, ne, quimos est plerisque, Hieronymum sui instituti faciunt authorem, ad quos ille nihil attinet.

[d] Certum enim est, subinde inter 1. Episopos & Monachos, lites fuisse ortas, quibus decidendis sedulò invigilârunt Pontifices Romani. Extat *Leo*

nis X.

nis X. constitutio apud *Bzov.* an. Chr. 1516. quæ sic habet: Leo Episcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, sacro approbante Concilio. Dum intra mentis arcana revolvimus, & diligenti consideratione pensamus operosa solicitudinis studia, continuósque labores pro divini nominis gloria, exaltatione Catholicæ fidei, Ecclesiæ unitate servanda, & institutione ac salute fidelium animarum per Coëpiscopos, eorumque superiores in diversis orbis pertinentibus ad regimen suarum Ecclesiarum à sede Apostolica constitutos, *nec non Fratres diversorum ordinum, præsertim Mendicantium indefessè & indesinenter impensos tanta ex eorum in vinea Domini fructuosis operibus, & opportunè ac laudabiliter gestis cordi nostro provenit satisfactio,* ut iis, quę ad pacem & quietem inter eos conservandam conducere cognoscimus, omni studio intendamus. Novimus enim Episcopos ipsos in partem sollicitudinis nostræ assumtos fuisse, quorum honor & sublimitas, teste Ambrosio, nullis potest comparationibus adæquari, *Religiosos etiā in agro Domini pro Christianæ religionis defensione & ampliatione complura fecisse, ac uberes fructus protulisse, & indies singulos proferre, ita ut eorundem Episcoporum ac Religiosorū bonis operibus orthodoxam fidem incrementa sumsisse, & per*

orbem terrarum undiq; dilatatum fuisse, fidelium nullus ignoret, & sicuti ipsi sæpe numero vigilantissima & solerti cura schismata in Dei Ecclesia extinguere, & Ecclesiæ unitatem reddere, & ut eidem Ecclesiæ pacis tranquillitas daretur, innumeros labores subire, non dubitârunt, ita quoq; par est, eos *inter se nostris provisionibus pacis vinculo ac fraterna charitate & unitate conjungi*, ut eorum concordi doctrina & mutuis operibus uberiores in Ecclesia Dei fructus proveniant. Sanè cupientes, ut jura spiritualia, quæ ad Dei laudem & Christi fidelium animarum salutem pertinent, & quorum exercitium præfatis Episcopis, & eorum superioribus in suis Diœcesibus, cùm ipsi in partem solicitudinis, ut præfertur, assumti, ac Diœceses distinctæ, & cuilibet eorundem Episcoporum assignatæ fuerunt, commissum extitit: per ipsos Episcopos exerceantur, & jus, illa libere exercendi, quantũ fieri potest, eis illæsum preservetur, *& si aliqua dictis Fratribus Mendicantibus in eorundem Episcoporum læsionem per Roman. Pontif. prædecessores nostros, & sedem Apostolicam concessa fuerint, concessiones hujusmodi eisdem religiosis factas in subsequentibus duximus moderandas*, ut ipsi Fratres potiùs ab eisdem Episcopis omni cum charitate foveantur, quam aliquo modo molestentur, & inquietentur. Vna enim est Regula-

rium,

rium, secularium Prælatorum & subditorum, exemptorum, & non exemtorum universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, eorumque omnium unus Dominus, una fides, & propterea decet eos, qui ejusdem sunt corporis, unius etiam esse voluntatis: Et sicut fratres nexu invicē charitatis astricti sunt, sic non convenit alterum in alterum injuriam seu jacturam prosilire, dicente Salvatore: Hoc est pręceptum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Ad conservandum igitur inter Episcopos & eorum superiores ac Prelatos, & Fratres hujusmodi mutuam charitatem, & benevolentiam, divini quoque cultus augmentum, pacemque & tranquillitatem universalis Ecclesiæ status. Quod ita demum fieri posse cognoscimus, si unicuique, quantum fieri potest, sua jurisdictio conservetur: Sacro approbante Concilio statuimus & ordinamus, quòd Episcopi & eorum Superiores & alii Prælati præfati, parochiales Ecclesias ad eosdem Fratres ratione locorum suorum legitimè spectantes, quoad ea, quę parochianorum curam, & sacramentorum conservationem, administrationemque pertinent, sine tamen visitatorum insolito gravamine vel impensa, visitare, & illarum curam gerentes, & circa illam delinquentes, *si religiosi fuerint juxta ipsius ordinis regularia instituta intra septa regularis loci; Seculares verò presbyteros & Fratres hujusmodi beneficia obtinentes, liberè tanquam suæ jurisdictioni subjectos* *pu-*

punire. Ac tam Prælati, quàm Presbyteri Seculares qui vinculo excommunicationis ligati non fuerint, Missas in Ecclesiis domorum eorundem devotionis causa celebrare volentes, libenter recipere debeant, ac ab eisdem Prælatis ad processiones solennes pro tempore faciendas requisiti dummodo eorum loca suburbana ultra unum milliare à civitatibus respectivè non sint remota, accedere, nec non superiores eorundem Fratrum, Fratres quos ad audiendas Confessiones subditorum eorundem Prelatorum pro tempore elegerint, eisdem Prælatis personaliter exhibere ac præsentare, si eos sibi exhiberi & præsentari petierint, alioquin eorum vicariis, dummodo ad Prælatos ultra duas dietas accedere non cogantur, omnino teneantur, possintque illi per eosdem Episcopos, & Prælatos super eosdem sufficienti literatura & aliqua saltem hujusmodi sacramenti peritia duntaxat examinari, talibusque præsentatis admissis, vel etiam indebitè recusatis confitentes, Constitutioni, quæ incipit, *Omnis utriusque Sexus*, quod ad confessionem duntaxat satisfècisse censeantur, ipsique fratres etiam forensium confessiones audire valeant. Laicos tamen & Clericos seculares à sententiis ab homine latis nullatenus absolvere possint. Eucharistiæ verò & extremæ unctionis, aliaque Ecclesiastica Sacramenta illis, quorum, etiam infirmorum, ac decedentium confessiones audierint dicentibus, proprium sacerdotem illa sibi dare denegâsse, denegare nequeant, nisi denegatio, sine legitima causa facta

vici-

vicinorum testimonio probata, aut requisitio coram Notario publico facta doceretur.

Eorûndem verò Fratrum obsequio insistentibus, sacramenta hujusmodi nullatenus ministrare valeant, nisi illorum durante obsequio.

Pacta autem & conventiones inter eosdem Fratres & Prælatos atque Curatos pro tempore inita valeant, nisi per subsequutum capitulum proximum generale vel provinciale refutata, ac per eos refutatio hujusmodi intimata debito tempore fuerint.

Parochias autem cum cruce, ad levanda funera eorum, qui apud Ecclesias domorum & locorum eorundem suam elegerint sepulturam, intrare non possint, *nisi prius præmonito & requisito ac recusante parochiano Presbytero*, & tunc sine ejus ac ordinarij præjudicio, nisi eisdem fratribus super hoc antiqua consuetudo, quæ sit in viridi observantia, & cum pacifica possessione suffragetur.

Volentes quoque sepeliri in habitu eorundem Fratrum, in claustro non degentes, sed in propriis domibus habitantes, in eorum ultima voluntate sepulturam sibi liberè eligere possint.

Quòdq; Fratres ipsi ad ordines promovendi per ordinarios de Grammatica & sufficientia exáminari, & dummodo competenter respondeant, per eosdem ordinarios liberè admitti, ac nullatentus in eorum Ecclesiis seu domibus, aut aliis eorum locis ab alio, quàm

à Dioe-

à Diœcesano Episcopo, vel ejus vicario super hoc cum debita reverentia requisito, & absque rationabili causa contradicente, vel eo à Diœcesi absente, ad dictos ordines promoveri debeant.

Nec ab alio Episcopo consecrationem Ecclesiæ vel altaris, aut cœmiterii benedictonem petere, seu in Ecclesiis per eas. pro tempore ædificandis primum lapidem per alienum Episcopum poni facere possint, nisi ubi ordinarius bis aut ter, cum debitis reverentia & instantia requisitus sine legitima causa id recusaverit. Et absque curatorum consensu sponsum & sponsam benedicere nequeant.

Et ut debitus honor matrici Ecclesiæ reddatur, tam ipsi Fratres, quàm alii Clerici seculares super hoc Apostolicæ sedis privilegio muniti, die Sabbathi majoris hebdomadæ, *antequam campana cathedralis vel matricis Ecclesiæ pulsaverit, campanas in Ecclesiis suis pulsare minimè possint. Contrafacientes poenam centum ducat. incurrunt.*

Censuras autem per eosdem Ordinarios latas & promulgatas, ac in matrici Ecclesia civitatum, nec non in Collegiatis & Parochialibus Ecclesiis Castrorum & oppidorum respectivè solenniter publicatas, quando super hoc ab eisdem ordinariis requisiti fuerint, in Ecclesiis domorum suarum publicare ac servare.

Et ut animarum utriusque sexus Christi fidelium saluti uberius consulatur, illos, quorum Confessiones pro tempore audierint cujuscunque status

ıs & conditionis fuerint ad solvendum decimas, ve aliam bonorum seu fructuum quotam in lo-s, in quibus decimæ ipsæ aut similia solvi consue-erunt, etiam sub onere conscientiarum suarum ıonere & hortari, ipsique etiam illas solvere recu-ntibus absolutionem denegare, & super hoc re-uisiti id populo etiam publicè prædicare & per-ıadere teneantur. Conservatores autem eisdem ratribus pro tempore à sede Apostolica deputan-i, doctrina & probitate præstantes, & in Ecclesia-ica dignitate constituti esse debeant, & coram eis er eosdem Fratres, quibus dati fuerint ultra duas iætas à loco suæ solitæ habitationis nullus trahi ossit, privilegiis super hoc aliâs eis concessis nul-ıtenus suffragantibus.

Excommunicati quoque, ordinem Mendican-um profiteri volentes, ubi de interesse tertii age-ır, absolvi non possint, nisi prævia satisfactione.

Procuratores quoque & negotiorum gestores, e operarii eorundem Fratrum servitiis insistentes, ententiis excommunicationis promulgatis illa-ueatis sint & esse censeantur, si illa causam dede-int, aut dantibus consilium, auxilium vel favorem ræstiterint. *Fratres autem & Sorores tertÿ rdinis, nec non mantellati, corrigiati, Pi-zochatæ, Cordellati, & alÿ quocunque no-nine nuncupati, in proprÿs domibus habi-antes, sepulturam, ubi voluerint, eligere valeant, sed die Paschatis tantùm Euchari-*

stiam,

stiam, nec non extremam unctionem, cateráque Ecclesiastica Sacramenta, pœnitentia duntaxat Sacramento excepto, à proprio Sacerdote recipere, & ad onera, quæ Laicis incumbunt perferenda teneantur, ac in foro singulari coram judicibus secularibus conveniri possint. Et ne censura vilescat Ecclesiastica, & minoris authoritatis interdicti sententia reputetur, iidem dicti tertii ordinis ad divina audienda in Ecclesiis suorum ordinum tempore interdicti nullatenus admittantur, si causam dederint interdicto, vel causam ipsam nutriant seu foveant, aut dantibus auxilium, consilium, vel favorem, quoquo modo præstiterint, collegialiter autem viventes seu cum claustralibus habitantes, ac mulieres virginalem seu cœlibem, aut castam vidualem expresso voto, & sub dicto habitu vitam ducentes, privilegiis, quibus Fratres ordinis, cujus tertiæ regulæ habitum gestant, gaudere nequeant.

Omnia etiam singula supra dicta ad reliquos religiosos ordinum quorumcunque extendi, & eos etiam servari debere volumus, atque decernimus,

Salvis tamen in reliquis desuper non expressis tam Episcoporum, quàm Fratrum & aliorum religiosorum prædictorum juribus, quibus per præmissa in aliquo præjudicare seu quicquam innovare non intendimus.

Non obstantibus constitutionibus & ordinationi-

nibus Apostolicis ac statutis & consuetudinibus dictorum ordinum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis contra præmissa, seu aliquod præmissorum, eisdem ordinibus concessis etiam in mari magno contentis, quibus etiamsi, ad illorum derogationem de eis, eorumque totis tenoribus specialis specifica expressa, individua ac de verbo ad verbum, non autem per generales clausulas id importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma servanda esset, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis & insertis habentes, specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis, quibuscunque decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super his à quoquam, quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Eosdem insuper Fratres, in virtute sanctæ obedientiæ monemus, ut eosdem Episcopos loco sanctorum Apostolorum subrogatos, pro debita & nostra ac Apostolicæ sedis reverentia, congruo & honore & convenienti observantia venerentur: Ipsos quoque Episcopos hortamur ac per viscera misericordiæ Dei nostri requirimus, ut Fratres ipsos affectu benevolo prosequentes charitative tractent, ac benignè foveant, seque illis minimè difficiles aut duros, vel morosos, sed potius faciles, mites, propitios, piaque magnificentia liberales exhibeant, ac in omnibus prædictis tanquam in agro Dominico cooperatores, eorumq; laborum participes promta benignitate recipiant, eorumque jura omni cum

charitate custodiant, atque defendant, ut tam Episcopi, quàm Fratres præfati, quorum opera veluti lucernæ ardentes supra montem positæ, omnibus Christi fidelibus lumen præbere debent ad Dei laudem, fidei Catholicę exaltationem, populorumque salutem, de virtute in virtutem proficiant, ut exinde à largissimo bonorum omnium retributore Domino perennis vitæ præmium consequi mereantur. *Nulli ergo &c.* Non est nostri hic instituti filatim hujus decreti retexere telam. Patet satis, lites, contentiones & dissidia Seculares inter & Religiosos, tum aliis de causis orta fuisse, tum verò maximè, quòd Monachi, mutato prorsus vitæ suæ genere (Laici quippe initio instituti sui erant) omnia sacra munia subire, viamque sibi ad divitias corradendas sternere fuerint conati. Qua quidem de re & nos aliquoties jam, tum in hac *Hist.* tum in *Diss. de Necess. Ref.* egimus, Eadem à magno nostro *Hospiniano* fuse pertractantur, controversia cumprimis inter Mendicantes & Facultatem Theologicam Parisiensem, quæ acriter semper novis Mendicantium emergendi artibus restitit, usque dum tandem authoritate Sixti IV. pax utrinque his capitibus imperata fuit; *Ne videlicet Parochiani Sacerdotes inposterum dicerent à Mendicantibus hæreses processisse, quum in veritate fides sit illuminata, & Ecclesia exaltata per eosdem. & præsertim per ordines Prædicatorum & Minorum. Deinde vicissim*

sim, ne Fratres Mendicantes prædicarent, populos parochianos non teneri audire Missam in eorum Parochijs diebus festis & Dominicis, quum jure sit cautum, illis diebus Parochianos teneri audire Missam in eorum Parochiali Ecclesia. Præterea, ne Fratres aut Curati inducerent aliquo modo laicos ad eligendam sepulturam apud eos, & bene caverent propter pœnas, quas imponunt Canones, quum sit libera. Insuper etiam desisterent Mendicantes prædicare, quòd Parochiani non sint obligati, saltem in Paschate, proprio confiteri Sacerdoti. Per hoc tamen ipsi Fratres Mendicantes non censerentur exclusi, quò minus secundum juris communis & privilegiorum eisdem concessorum dispositionem, confessiones audire, & pœnitentias injungere valerent. Item de cætero inter ipsos Fratres Mendicantes & Curatos, quo ad effectum prædicandi, horas cantandi, & campanas pulsandi, antiqua consuetudo servaretur: nec fieret commutatio temporis vel horæ in ipsis prædicationibus faciendis, nisi de consensu partium. Quódque etiam ipsi Fratres in sermonibus suis non

detraherent Prælatis & Rectoribus Parochialium Ecclesiarum: neque etiam populos à suarum Ecclesiarum Parochialium frequentia & accessu abstraherent, sive retraherent quoquomodo. Et viceversa, ipsi Rectores & Prælati nullo modo detraherent Mendicantibus, sed illum favorem, quem possent eis, & in omnibus, & per omnia præstarent, ut vera unitas inter eos ostenderetur.

Verùm, recruduisse paulatim vulnus, non ex querela modò *Iohannis Vlrici surgant*, quam p. 273. αὐτολεξεὶ recitavimus; sed ex recentiori etiam *Leonis X.* in eadem causa, Decreto, modò memorato, luculentissimè patet. Tantum potuit zelus, quo utrique flagrabant, non inflammandi ad pietatem populi, sed trahendarum ad se oblationum, quas rudibus illis seculis à multitudine imperita quantas maximas & uberrimas vellent, habebant. Quum enim isti omnibus, sed potissimum ægrotis, Purgatorii & inferorum pœnas comminarentur, nisi gratiam pretio redimerent, eo metu subacti homines fortunis semet ipsi eruebant, ut cœnobia & Ecclesias ditarent.

[e] Nota quippe sunt 1. dissidia inter *Dominicanos* & *Franciscanos* de conceptione B. Mariæ θεοτόκου, quæ hoc maximè seculo in manifestas scandali eruperunt flammas; teste *Bzov.* an. Chr. 1502.

1502. S. 10. *Hoc anno*, inquit. *Oliverius & Georgius S.R.E. Cardinales, ille Prædicatorum, iste Minorum ordinis Protectores, Alexandro summo Pontifice jubente, provisionale, ut vocant, oraculum ediderunt, inter Fratres eorundem ordinum in Germania, de Conceptione SS. Virginis differentes, vel potiùs dissidentes. Occasionem dederat ante 8. annos, Johannes Trithemius Abbas, qui scripto libro de laudibus S. Annæ, Matris Deiparæ, in septimo capitulo asseverabat, B. Virginē ab originali macula non sanctificatam, sed præservatam fuisse. Huic sese opposuerat ex Dominicanis Vuigandus Cauponis, Concionator Francofordiensis. Orto inter eos literario bello; cùm plures Trithemius in Vuigandum, ad scribendum & impugnandum, excivisset: quanquam; operante Udalrico Kreitvvicio, Rectore Universitatis Coloniensis, & Thoma Scoto Professore in eadem Theologiæ; pacem cum Vvigando inivisset. Dominicanos tamen plerique Carmelitæ & Minoritæ divexantes, occasionem dederunt, ut illi ad Alexandrum Pontificem provocârint. Interea triennio*

constantiæ nota. Cujus rei si quis fidem requirat, legat Hilarionis vitam: legat institutionem Monachi ad Rusticum, & item ad Paulinum: Legat in Epistola, cujus initium: Audi filia, descriptum triplex apud Aegyptios Monachorum genus. Quia inter alia præstabat & hæc commoda illud vitæ genus. Hujus prætextu honestius licebat ab affinium & cognatorum vinculis temet excutere, gravi nimirum onere, ei cui nihil dulcius otio studiorum: à publicis functionibus, à munijs, & officijs Imperialis aulæ, prorsus habebantur excusati. Postremò minus patebant Episcoporum quorundam jam tum insolescentiū tyrannidi. Jam hic titulus nec à functione clericatus quicquam remorabatur: & ex nullo ordine sæpius deligebantur Episcopi. Nec aliud quicquam erat tunc Monachi professio, quàm priscæ liberæq; vitæ meditatio ac purè Christianæ. Hæc obiter admonenda duxi, ne, qui mos est plerisque, Hieronymum sui instituti faciunt authorem, ad quos ille nihil attinet.

[*d*] Certum enim est, subinde inter 1. Episopos & Monachos, lites fuisse ortas, quibus decidendis sedulò invigilàrunt Pontifices Romani. Extat *Leonis X.*

nis X. constitutio apud *Bzov.* an. Chr. 1516. quæ sic habet: Leo Episcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, sacro approbante Concilio. Dum intra mentis arcana revolvimus, & diligenti consideratione pensamus operosa solicitudinis studia, continuósque labores pro divini nominis gloria, exaltatione Catholicæ fidei, Ecclesiæ unitate servanda, & institutione ac salute fidelium animarum per Coëpiscopos, eorumque superiores in diversis orbis pertinentibus ad regimen suarum Ecclesiarum à sede Apostolica constitutos, *nec non Fratres diversorum ordinum, præsertim Mendicantium indefessè & indesinenter impensos tanta ex eorum in vinea Domini fructuosis operibus, & opportunè ac laudabiliter gestis cordi nostro provenit satisfactio*, ut iis, quę ad pacem & quietem inter eos conservandam conducere cognoscimus, omni studio intendamus. Novimus enim Episcopos ipsos in partem sollicitudinis nostræ assumtos fuisse, quorum honor & sublimitas, teste Ambrosio, nullis potest comparationibus adæquari, *Religiosos etiã in agro Domini pro Christiana religionis defensione & ampliatione complura fecisse, ac uberes fructus protulisse, & indies singulos proferre, ita ut eorundem Episcoporum ac Religiosorũ bonis operibus orthodoxam fidem incrementa sumsisse, & per*

orbem terrarum undiq; dilatatum fuisse, fidelium nullus ignoret, & sicuti ipsi sæpe numero vigilantissima & solerti cura schismata in DEI Ecclesia extinguere, & Ecclesiæ unitatem reddere, & ut eidem Ecclesiæ pacis tranquillitas daretur, innumeros labores subire, non dubitârunt, ita quoq; par est, eos *inter se nostris provisionibus pacis vinculo ac fraterna charitate & unitate conjungi*, ut eorum concordi doctrina & mutuis operibus uberiores in Ecclesia DEI fructus proveniant. Sanè cupientes, ut jura spiritualia, quæ ad Dei laudem & Christi fidelium animarum salutem pertinent, & quorum exercitium præfatis Episcopis, & eorum superioribus in suis Diœcesibus, cùm ipsi in partem solicitudinis, ut præfertur, assumti, ac Diœceses distinctæ, & cuilibet eorundem Episcoporum assignatæ fuerunt, commissum extitit: per ipsos Episcopos exerceantur, & jus, illa libere exercendi, quantū fieri potest, eis illæsum præservetur, *& si aliqua dictis Fratribus Mendicantibus in eorundem Episcoporum læsionem per Roman. Pontif. prædecessores nostros, & sedem Apostolicam concessa fuerint, concessiones hujusmodi eisdem religiosis factas in subsequentibus duximus moderandas*, ut ipsi Fratres potiùs ab eisdem Episcopis omni cum charitate foveantur, quam aliquo modo molestentur, & inquietentur. Vna enim est Regularium,

tium, secularium Prælatorum & subditorum, exemptorum, & non exemtorum universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, eorumque omnium unus Dominus, una fides, & propterea decet eos, qui ejusdem sunt corporis, unius etiam esse voluntatis: Et sicut fratres nexu invicē charitatis astricti sunt, sic non convenit alterum in alterum injuriam seu jacturam prosilire, dicente Salvatore: Hoc est prçceptum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Ad conservandum igitur inter Episcopos & eorum superiores ac Prçlatos, & Fratres hujusmodi mutuam charitatem, & benevolentiam, divini quoque cultus augmentum, pacemque & tranquillitatem universalis Ecclesiæ statûs. Quod ita demum fieri posse cognoscimus, si unicuique, quantum fieri potest, sua jurisdictio conservetur: Sacro approbante Concilio statuimus & ordinamus, quòd Episcopi & eorum Superiores & alii Prælati præfati, parochiales Ecclesias ad eosdem Fratres ratione locorum suorum legitimè spectantes, quoad ea, quç parochianorum curam, & sacramentorum conservationem, administrationemque pertinent, sine tamen visitatorum insolito gravaminç vel impensa, visitare, & illarum curam gerentes, & circa illam delinquentes, *si religiosi fuerint juxta ipsius ordinis regularia instituta intra septa regularis loci; Seculares verò presbyteros & Fratres hujusmodi beneficia obtinentes, liberè tanquam sua jurisdictioni subjectos* *pu-*

punire Ac tam Prælati, quàm Presbyteri Seculares, qui vinculo excommunicationis ligati non fuerint, Missas in Ecclesiis domorum eorundem devotionis causa celebrare volentes, libenter recipere debeant, ac ab eisdem Prælatis ad processiones solennes pro tempore faciendas requisiti dummodo eorum loca suburbana ultra unum milliare à civitatibus respectivè non sint remota, accedere, nec non superiores eorundem Fratrum, Fratres quos ad audiendas Confessiones subditorum eorundem Prelatorum pro tempore elegerint, eisdem Prælatis personaliter exhibere ac præsentare, si eos sibi exhiberi & præsentari petierint, alioquin eorum vicariis, dummodo ad Prælatos ultra duas dietas accedere non cogantur, omnino teneantur, possintque illi per eosdem Episcopos, & Prælatos super eosdem sufficienti literatura & aliqua saltem hujusmodi sacramenti peritia duntaxat examinari, talibusque præsentatis admissis, vel etiam indebitè recusatis confitentes, Constitutioni, quæ incipit, *Omnis utriusque Sexus*, quod ad confessionem duntaxat satisfècisse censeantur, ipsique fratres etiam forensium confessiones audire valeant. Laicos tamen & Clericos seculares à sententiis ab homine latis nullatenus absolvere possint. Eucharistiæ verò & extremæ unctionis, aliaque Ecclesiastica Sacramenta illis, quorum, etiam infirmorum, ac decedentium confessiones audierint dicentibus, proprium sacerdotem illa sibi dare denegâsse, denegare nequeant, nisi denegatio, sine legitima causa facta

vici

icinorum testimonio probata, aut requisitio coram Notario publico facta doceretur.

Eorundem verò Fratrum obsequio insistentius, sacramenta hujusmodi nullatenus ministrare valeant, nisi illorum durante obsequio.

Pacta autem & conventiones inter eosdem Fratres & Prælatos atque Curatos pro tempore inita valeant, nisi per subsequutum capitulum proximum generale vel provinciale refutata, ac per eos refutatio hujusmodi intimata debito tempore fuerint.

Parochias autem cum cruce, ad levanda funera eorum, qui apud Ecclesias domorum & locorum eorundem suam elegerint sepulturam, intrare non possint, *nisi prius præmonito & requisito ac recusante parochiano Presbytero*, & tunc sine us ac ordinarij præjudicio, nisi eisdem fratribus per hoc antiqua consuetudo, quæ sit in viridi observantia, & cum pacifica possessione suffragetur.

Volentes quoque sepeliri in habitu eorundem Fratrum, in claustro non degentes, sed in propriis domibus habitantes, in eorum ultima voluntate sepulturam sibi liberè eligere possint.

Quòdq; Fratres ipsi ad ordines promovendi per ordinarios de Grammatica & sufficientia exáminari, & dummodo competenter respondeant, per eosdem ordinarios liberè admitti, ac nullatentus in eorum Ecclesiis a domibus, aut aliis eorum locis ab alio, quàm à Diœ-

à Diœcesano Episcopo, vel ejus vicario super hoc cum debita reverentia requisito, & absque rationabili causa contradicente, vel eo à Diœcesi absente, ad dictos ordines promoveri debeant.

Nec ab alio Episcopo consecrationem Ecclesiæ vel altaris, aut cœmiterii benedictonem petere, seu in Ecclesiis per eas. pro tempore ædificandis primum lapidem per alienum Episcopum poni facere possint, nisi ubi ordinarius bis aut ter, cum debitis reverentia & instantia requisitus sine legitima causa id recusaverit. Et absque curatorum consensu sponsum & sponsam benedicere nequeant.

Et ut debitus honor matrici Ecclesiæ reddatur, tam ipsi Fratres, quàm alii Clerici seculares super hoc Apostolicæ sedis privilegio muniti, die Sabbathi majoris hebdomadæ, *antequam campana cathedralis vel matricis Ecclesiæ pulsaverit, campanas in Ecclesiis suis pulsare minimè possint. Contrafacientes poenam centum ducat. incurrunt.*

Censuras autem per eosdem Ordinarios latas & promulgatas, ac in matrici Ecclesia civitatum, nec non in Collegiatis & Parochialibus Ecclesiis Castrorum & oppidorum respectivè solenniter publicatas, quando super hoc ab eisdem ordinariis requisiti fuerint, in Ecclesiis domorum suarum publicare ac servare.

Et ut animarum utriusque sexus Christi fidelium saluti uberius consulatur, illos, quorum Confessiones pro tempore audierint cujuscunque sta-

is & conditionis fuerint ad solvendum decimas, ve aliam bonorum seu fructuum quotam in los, in quibus decimæ ipsæ aut similia solvi consueerunt, etiam sub onere conscientiarum suarum nonere & hortari, ipsique etiam illas solvere recuntibus absolutionem denegare, & super hoc reuisiti id populo etiam publicè prædicare & persuadere teneantur. Conservatores autem eisdem ratribus pro tempore à sede Apostolica deputani, doctrina & probitate præstantes, & in Ecclesiatica dignitate constituti esse debeant, & coram eis er eosdem Fratres, quibus dati fuerint ultra duas iætas à loco suæ solitæ habitationis nullus trahi osfit, privilegiis super hoc aliàs eis concessis nultenus suffragantibus.

Excommunicati quoque, ordinem Mendicanum profiteri volentes, ubi de interesse tertii agear, absolvi non possint, nisi prævia satisfactione.

Procuratores quoque & negotiorum gestores, c operarii eorundem Fratrum servitiis insistentes, ntentiis excommunicationis promulgatis illaueatis sint & esse censeantur, si illa causam dedent, aut dantibus consilium, auxilium vel favorem ræstiterint. *Fratres autem & Sorores tertij rdinis, nec non mantellati, corrigiati, Pizochatæ, Cordellati, & alij quocunque nonine nuncupati, in proprijs domibus habiantes, sepulturam, ubi voluerint, eligere valeant, sed die Paschatis tantùm Euchari-*

stiam,

ctiam, nec non extremam unctionem, cæteráque Ecclesiastica Sacramenta, pœnitentiæ duntaxat Sacramento excepto, à proprio Sacerdote recipere, & ad onera, quæ Laicis incumbunt perferenda teneantur, ac in foro singulari coram judicibus secularibus conveniri possint. Et ne censura vilescat Ecclesiastica, & minoris authoritatis interdicti sententia reputetur, iidem dicti tertii ordinis ad divina audienda in Ecclesiis suorum ordinum tempore interdicti nullatenus admittantur, si causam dederint interdicto, vel causam ipsam nutriant seu foveant, aut dantibus auxilium, consilium, vel favorem, quoquo modo præstiterint, collegialiter autem viventes seu cum claustralibus habitantes, ac mulieres virginalem seu cœlibem, aut castam vidualem expresso voto, & sub dicto habitu vitam ducentes, privilegiis, quibus Fratres ordinis, cujus tertiæ regulæ habitum gestant, gaudere nequeant.

Omnia etiam singula supra dicta ad reliquos religiosos ordinum quorumcunque extendi, & eos etiam servari debere volumus, atque decernimus,

Salvis tamen in reliquis desuper non expressis tam Episcoporum, quàm Fratrum & aliorum religiosorum prædictorum juribus, quibus per præmissa in aliquo præjudicare seu quicquam innovare non intendimus.

Non obstantibus constitutionibus & ordinationi-

nibus Apostolicis ac statutis & consuetudinibus dictorum ordinum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, privilegiis squoque, indultis, & literis Apostolicis contra præmissa, seu aliquod præmissorum, eisdem ordinibus concessis etiam in mari magno contentis, quibus etiamsi, ad illorum derogationem de eis, eorumque totis tenoribus specialis specifica, expressa, individua ac de verbo ad verbum, non autem per generales clausulas id importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma servanda esset, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis & insertis habentes, specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis, quibuscunque decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super his à quoquam, quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Eosdem insuper Fratres, in virtute sanctæ obedientiæ monemus, ut eosdem Episcopos loco sanctorum Apostolorum subrogatos, pro debita & nostra ac Apostolicæ sedis reverentia, congruo & honore & convenienti observantia venerentur: Ipsos quoque Episcopos hortammur ac per viscera misericordiæ Dei nostri requirimus, ut Fratres ipsos affectu benevolo prosequentes charitative tractent, ac benignè foveant, seque illis minimè difficiles aut duros, vel morosos, sed potius faciles, mites, propitios, piaque magnificentia liberales exhibeant, ac in omnibus prædictis tanquam in agro Dominico cooperatores, eorumq; laborum participes promta benignitate recipiant, eorumque jura omni cum

charitate custodiant, atque defendant, ut tam Episcopi, quàm Fratres præfati, quorum opera veluti lucernæ ardentes supra montem positæ, omnibus Christi fidelibus lumen præbere debent ad Dei laudem, fidei Catholicę exaltationem, populorumque salutem, de virtute in virtutem proficiant, ut exinde à largissimo bonorum omnium retributore Domino perennis vitæ præmium consequi mereantur. *Nulli ergo &c.* Non est nostri hic instituti filatim hujus decreti retexere telam. Patet satis, lites, contentiones & dissidia Seculares inter & Religiosos, tum aliis de causis orta fuisse, tum verò maximè, quòd Monachi, mutato prorsus vitæ suæ genere (Laici quippe initio instituti sui erant) omnia sacra munia subire, viamque sibi ad divitias corradendas sternere fuerint conati. Qua quidem de re & nos aliquoties jam, tum in hac *Hist.* tum in *Diss. de Necess. Refor* egimus. Eadem à magno nostro *Hospiniano* fusè pertractantur, controversia cumprimis inter Mendicantes & Facultatem Theologicam Parisiensem, quæ acriter semper novis Mendicantium emergendi artibus restitit, usque dum tandem authoritate Sixti IV. pax utrinque his capitibus imperata fuit; *Ne videlicet Parochiani Sacerdotes inposterum dicerent à Mendicantibus hæreses processisse, quum in veritate fides sit illuminata, & Ecclesia exaltata per eosdem. & præsertim per ordines Prædicatorum & Minorum. Deinde vicissim*

sim, ne Fratres Mendicantes prædicarent, populos parochianos non teneri audire Missam in eorum Parochijs diebus festis & Dominicis, quum jure sit cautum, illis diebus Parochianos teneri audire Missam in eorum Parochiali Ecclesia. Præterea, ne Fratres aut Curati inducerent aliquo modo laicos ad eligendam sepulturam apud eos, & bene caverent propter pœnas, quas imponunt Canones, quum sit libera. Insuper etiam desisterent Mendicantes prædicare, quòd Parochiani non sint obligati, saltem in Paschate, proprio confiteri Sacerdoti. Per hoc tamen ipsi Fratres Mendicantes non censerentur exclusi, quò minus secundum juris communis & privilegiorum eisdem concessorum dispositionem, confessiones audire, & pœnitentias injungere valerent. Item de cætero inter ipsos Fratres Mendicantes & Curatos, quo ad effectum prædicandi, horas cantandi, & campanas pulsandi, antiqua consuetudo servaretur: nec fieret commutatio temporis vel horæ in ipsis prædicationibus faciendis, nisi de consensu partium. Quódque etiam ipsi Fratres in sermonibus suis non

detraherent Prælatis & Rectoribus Parochialium Ecclesiarum: neque etiam populos à suarum Ecclesiarum Parochialium frequentia & accessu abstraherent, sive retraherent quoquomodo. Et viceversa, ipsi Rectores & Prælati nullo modo detraherent Mendicantibus, sed illum favorem, quem possent eis, & in omnibus, & per omnia præstarent, ut vera unitas inter eos ostenderetur.

Verùm, recruduisse paulatim vulnus, non ex querela modò *Iohannis Vlrici surgant*, quam p.273. αὐτολεξεὶ recitavimus; sed ex recentiori etiam *Leonis X.* in eadem causa, Decreto, modò memorato, luculentissimè patet. Tantum potuit zelus, quo utrique flagrabant, non inflammandi ad pietatem populi, sed trahendarum ad se oblationum, quas rudibus illis seculis à multitudine imperita quantas maximas & uberrimas vellent, habebant. Quum enim isti omnibus, sed potissimum ægrotis, Purgatorii & inferorum pœnas comminarentur, nisi gratiam pretio redimerent, eo metu subacti homines fortunis semet ipsi eruebant, ut cœnobia & Ecclesias ditarent.

[e] Nota quippe sunt 1. dissidia inter *Dominicanos* & *Franciscanos* de conceptione B. Mariæ θεοτόκȣ, quæ hoc maximè seculo in manifestas scandali eruperunt flammas; teste *Bzov.* an. Chr. 1502.

1502. S. 10. *Hoc anno,* inquit, *Oliverius & Georgius S.R.E. Cardinales, ille Prædicatorum, iste Minorum ordinis Protectores, Alexandro summo Pontifice jubente, provisionale, ut vocant, oraculum ediderunt, inter Fratres eorundem ordinum in Germania, de Conceptione SS. Virginis differentes, vel potiùs dissidentes. Occasionem dederat ante 8. annos, Johannes Trithemius Abbas, qui scripto libro de laudibus S. Annæ, Matris Deiparæ, in septimo capitulo asseverabat, B. Virginẽ ab originali macula non sanctificatam, sed præservatam fuisse. Huic sese opposuerat ex Dominicanis Vuigandus Cauponis, Concionator Francofordiensis. Orto inter eos literario bello; cùm plures Trithemius in Vuigandum, ad scribendum & impugnandum, excivisset: quanquam, operante Udalrico Kreitvvicio, Rectore Universitatis Coloniensis, & Thoma Scoto Professore in eadem Theologiæ; pacem cum VVigando inivisset, Dominicanos tamen plerique Carmelitæ & Minoritæ divexantes, occasionem dederunt, ut illi ad Alexandrum Pontificem provocârint. Interea triennio*

post, anno scilicet 1497. cùm Johannes Verius Gallus, Doctor Theologus, ex iisdem Dominicanis, in oppido Deppe (Dieppam vocant) Rothomagensis Diœcesis, pro concione ad populum, plurima de sanctificatione B. M. V. in festo Conceptionis ejusdem disseruisset, ad universitatem Parisiensem citatus, die 15. Septembris non minus, quàm VVigandus Coloniæ palinodiam recitavit. Postridie, hoc est, 17. mensis Septembris, apud S. Maturinum in urbe Parisiensi LXXXII. S. Theologiæ Professores, omnes in eadē universitate viri doctissimi, de rigore promoti, in præsentia totius Universitatis uno ore, unáque sententia statuerunt & determinârunt, quòd nemo deinceps præfatæ Universitati adscribatur, nisi se hujus determinationis, quòd videlicet Beatissima Dei genitrix, & Virgo Maria semper ab originali macula fuerit immunis, & præservata, assertorem, strenuúmque propugnatorem, pro viribus, futurum confirmet juramento. Anno post 1499. Facultas etiam Theologica Universitatis Coloniensis statuit & decrevit constitutione firmissima tenendum, sentien-

nendum, credendum, docendum, prædicandum, & constantissimè defendendum, ab omnibus suppositis suis: Quòd Beata DEI Genitrix Virgo Maria, ab omni labe originalis peccati, ex singulari prærogativa divinæ potentiæ semper fuerit præservata, exempta & privilegiata, & qui contrarium fecerit, ab ipsa universitate resecatus, honoribus & emolumentis Theologicæ facultatis omnino, & omni tempore sit privatus, & quòd nullus in ea facultate promoveatur, nisi juraverit, se hoc statutum semper observaturum. Anno deinde superiore 1501, facultas Theologica Universitatis Moguntinæ, exemplo Parisiensium, Coloniensiúmque provocata, idem statutum fecit 13. die mensis Octobris, determinans D.M.V. ab omni macula originali semper præservatam, exemtam & immunem, contrariámque assertionem impiam, erroneámque judicavit, & nihilominus decrevit, neminem in Theologia promovendum deinceps, nisi juret, quòd nunquam velit favere opinioni contrariæ in aliquo, Tritbem. in Chron. Sponbeim. *Eo Universitatum in hac materia consensu*

Minoritæ Dominicanos divexabant: Dominicani vicissim contra depugnabant. Ab hac concertatione scandala in populis orta; discordiæ verò non minores inter utriusque ordinis Regulares. Controversia ad Romanum Pontificem delata, Cardinales, quos nominavimus, hoc decretum ediderunt. Oliverius, Miseratione divina, Episcopus Subinensis, Neapolitanus vulgariter nuncupatus, sacri ordinis Prædicatorum Protector, & Georgius, eadem miseratione, Episcopus Albanensis, vocatus Vlixbonensis, ordinisque Minorum Vice-protector, S. R. E. Cardinales, Commissarii specialiter electi, & deputati ad infra scripta; oraculo vivæ vocis à sanctissimo in Christo Patre & Domino nostro, Dn. Alexandro, divina providentia Papa sexto, universis & singulis Prioribus, Provincialibus, & Conventualibus ejusdem Prædicatorum ordinis; Ministris, Provincialibus, Custodibus, Guardianis ejusdem ordinis Minorum Vicariis, quibuscunque præsidentibus, Magistris Prædicatoribus, ac Fratribus eorundem ordinum in partibus Alemanniæ, salutem in Domino sempiternam, & nostris hujusmodi, imò veriùs Apostolicis firmiter obedire mandatis. Pro humani redemtione generis, de summis cœlorum sedibus ad hunc mundum descendens Dei filius Iesus Christus, pacem Apostolis prædicavit, & illam populi prædicandam ejusdem Apostolis delegavit, disponens sua miseratione sibi

bi subditos fore pacificos & modestos. Propter quod S.R.E. statum & regularem vivendi modum vestrarum Religionum approbavit, eas in adjutorium prædicationis hujusmodi assumsit. Verùm, quia inimicus homo superseminavit zizaniam, & in mordaces & scandalosas dicacitates Evangelium pacis convertistis, dum de intemeratæ sanctissimęque Dei Genitricis conceptione sermones habetis, nec provisio facta per fel. record Sixtum Papam IV. super hoc multos vestrum à malè captis sermonibus retraxerit: Volentes præfati sanctissimi Domini nostri Alexandri jussa complere, discordias sedare, scandala tollere, prædicationisque officium ab injuriis, contumeliis, detractionibus & oblocutionibus liberum reddere, authoritate Apostolica, oraculo vivæ vocis consistorialiter nobis in hac parte specialiter commissa, an. D. 1502. die 16. Februarii, tenore prçsentium statuimus & mandamus, ut inhibitio facta à prædicto felicis recordationis Papa Sixto, videlicet, quód neutra pars damnetur, scilicet eorum, qui Beatam Virginem in peccato originali conceptam asserunt, & eorum, qui à peccato originali ex speciali gratia præservatá affirmánt & quòd nullus audeat asserere reos esse hæresis, aut mortalis criminis, qui alterum prædictarum opinionum secuti, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna integrè & inviolabiliter observetur; Adjicientes & præcipientes vobis omnibus & singulis sub ejusdem censuris, & pœnis, & sub interminatione damnationis æternæ, nec non sub pœna privationis officii prædicandi, quatenus de cætero

nullus vestrum directè vel indirectè prædicet, aut prædicari faciat, vel quomodolibet aliter sermonem ad populum habeat, de conceptione B. Mariæ Virginis, Volentes silentium totaliter coram laicis de hac materia observari, quod vobis omnibus & singulis tenore præsentium indicimus, & sub eisdem censuris indictum vobis, & denunciatum declaramus. Et quoniam Prælati vestrarum Religionum hactenus, experientia teste, negligentes fuerunt, in corrigendo excessus hujusmodi, eadem authoritate Apostolica committimus, & districtè pręcipiendo mandamus per præsentes ordinariis locorum, ut eos qui contra prædicta, vel prædictorum aliquid inobedientes his nostris, imò verius Apostolicis mandatis fuerint, puniant, excommunicatos declarent, & contra eos procedant, tanquam contra Apostatas ipsarum religionum procedendum esset. Non obstantibus privilegiis & exemtionibus dictorum ordinum, quibus hac vice, in hoc casu duntaxat derogatum esse denunciamus. In quorum omnium &c Datum Romæ 1502 ultima Martii. Extat autographum Romæ apud Minervam in Archivo ordin. Prædic. Persicæ leges! Qua verò reverentia & obsequendi προθυμίᾳ exceptæ fuerint ab utriusque ordinis asseclis, subsecuta mox Dominicanorũ Bernensium tragœdia docuit. Quæ de Parisiensi, Moguntina, & Coloniensi Academiis fusius recitat Bz. v. ex Trithemio, eadem habet & quidem clarius de Moguntina Schola Theologica, *Frat. Basel.* in Addit. ad Naucl. *A.Ch.1501.*

fa-

Facultas Theologica Moguntinæ Scholæ exemplo Doctorum Parisiensium & Coloniensium, provocata die 13. Octob. determinavit, statuit, & decrevit, sentiendum, credendum, defendendum & approbandum fore, contra declamationem nonnullorum Maculistarum, Beatissimam Virginem Mariam nunquam originali subjacuisse peccato, sed singulari quodam privilegio præservatam. Statuitque, quòd nullus deinceps apud eandem Scholam in facultate Theologica promoveri debeat, nisi prius juraverit, opinionem contrariam non velle approbare, vel tenere, Confer Apol. *Riv*. cont. Antidico-Marian, p. 48.

2. In Vngaria observantes Minoritæ sub Vicario particulari vitam degentes, molestiis afficiebantur a conventualibus; *Bzov*. a. Ch. 1501. S 21.

3. Trithemius, Monachorum suorum injuriis commotus, Abbatiam Spanheimensem resignat, vocatusque Herbipolin fit Abbas S. Iacobi. *Calv*. a. Ch. 1506.

[f] Sit exempli loco tristissima illa Dominicanorum Bernensium Historia, de qua *Bebel ius*, Facet. lib. 3. *Fuerunt pridem A. D. 1509. Bernæ quidam Fratres Prædicatores, ob quædam inaudita flagitia igne concremati, qui inter ca-*

cæteras ineptias, quibus imponere hominibus conabantur, finxerunt, uni ex eis Beatam Virginem crebrò noctu apparere, atque rudibus ejus quæstiunculis multis verbis respondere. Quod ego, cùm legissem, dicere sæpe consuevi, jocando in eorum fatua figmenta: Si eorum commentum verum fuisset, divam Virginem mihi capulari vetulæ magis otiosam, loquaciorémque videri, quæ tot fratrum ineptijs quotidie responderit. Ambitionem enim & superstitionem, sub specie religionis, grassantem, Reipublicæ Christianæ minari jacturam, possum non obscurè intelligere, quod istis artibus sit prius per Scribas & Pharisæos Judæorum Respublica subversa atque labefactata. Et Basel. Addit. ad Naucler. *Eodem anno (1509.) prid. Calend. Jun. apud Bernam in Helvetia quatuor S. Dominici conventus ibidem Fratres, Prior, Lector, Subprior, & Custos capti per torturam examinati, degradati, ad ignem condemnati, miserabiliter sunt combusti, propter quasdam dolosas, falsas, impias, & Diabolicas machinationes, quas in odium immaculatissimæ Virginis Mariæ con-*

conceptionis occasionaliter excogitârunt, quemadmodum ferè facta eorundem hæresiarcharum in lucem, arte calcographiæ sunt impressa, ideo, in præsentibus, eorū confessata superfluum inserere duxi. Imò prodierunt tum temporis, cùm de Reformatione pauci cogitarent, acta ista pene omnia, à multis deinceps *Stumpfio, Hospiniano, Stettlero,* &c. repetita, & ex ipsis archivis aucta, quorum compendium dedimus in scripto nostro vernaculo, cui nomen ὁδηγὸς P. 11. p. 166. Hac verò vice, quia rei gestæ exemplar nobis obtigit, anõ 1509. editum, iisdem verbis illud subjiciemus, tum quòd suspicione fraudis & malæ fidei careat; tum quòd rariùs hæc talia hodierno die in manus nostras deveniant, excussa autem & oblivione sepulta, necessitatem reformationis in multis obscurent; tum quòd adversariorum Scriptores Ecclesiastici, novissimi & fusissimi, facti indignitate perculsi, à repetitione ejus planè abstineant: *Bzovius* certè in cęteris ære Dodonęo loquacior, hic planè obmutescit; tum denique, quòd sola hæc Historia compendium sit status Ecclesiastici exulcerati illius, larvis & lemuribus vexati temporis.



De

De

QUATUOR HÆRESIARCHIS ordinis Prædicatorum, de observantia nuncupatorum, apud Suitenses in Civitate Bernensi combustis. An. MD. IX.

Ad

JOH.SCOTUM, Doctorem subtilem.

Concepta est virgo primi sine labe Parentis,
Hic tulit, hic hæresi prælia dira dedit.
Inde genus meriti tantum sibi Papa refundens
Doctor Subtilis dicitur, utque dedit.

Prologus seu Præfatio in Historiam de stigmatifero Antifrancisco.

Iohannes Ietzer, dudum ordinis Prædicatorum, in conventu Bernensium, novitii, historiam non tam mirabilem, quàm miserabilem *nemo credat Lectorum, amore vel odio quovis traditam: Nec aliquo mendaciorum fuco adulteratam: Non enim ab inimicis vel personarum vel ordinis conficta sunt*, vel disseminata in homines, sed ab ipsis illius ordinis personis insignibus. Pars enim ejus anterior (ut patet intuenti) conscripta est, studiosa prævia collatione, *per totius conventus Bernensis studium*, cum protesta.

testatione agnitæ veritatis, ut neminem in his dubium velint remanere, sed esse omnibus apprimè credibilia persuadere. Secunda autem pars plurima sedulitate comportata est per non minoris authoritatis personam Theologiæ Doctorem, Patrem VVernherum, Priorem conventûs Basileensis, ac superioris Alemanniæ Vicarium, qui tantò veriùs singula annotare voluit, quantò certiùs, coràm positus plurimam historiæ partem oculatâ fide consecutus est. Cui desuper concessum est tantis, magnalibus personaliter & interesse & testificari à principio, quasi negotii, in terminum usque. Principalem autem totius negotii finem sibi præfixerunt (*ut ipsi quoque testantur, sine verecundia*) ut beatissimæ Dei genitricis Mariæ conceptionem in originali peccato maculatam comprobare valerent, & toti orbi opinionem suam crederent, vel tantis miraculis persuasam. Non enim suffecit hominibus illis multifariam perpessa calamitas pro hujus materiæ defensione pertinaci, hactenus plerunque experta. Nihil enim unquam pro ea gloriæ vel emolumenti quidpiam assecuti sunt, sed vel diffamiam, vel ignominiosa opprobria, vel hominum despectum: aut certè rei familiaris grandem jacturam, vel etiam simul hæc omnia. *Non tamen in his omnibus aliquando resipiscere potuerunt, sed nec hodie resipiscunt. Magis autem ut insensati & passionum vehementia aversati, & dati in reprobum sensum, mul-*

multa contra universalem S.S. Romanæ Ecclesiæ, & omnium Catholicarum Diœcesium; determinationem quoque principalium universitatum omnium, quasi sint omnium hominum doctissimi, cùm sint reverâ minùs habentes in appensâ staterâ, solo propriæ ductionis amore allecti, & invidia permoti (ut ex factis præsumitur) *in sacrum Minorum ordinem, à quo in his & alijs plurimis devictos se sciunt & dolent.* In promptu essent exempla quàm plurima, sed missis factis, id unum commemorare liceat, *quòd tanta eos usque hodie insensibilitas & occæcatio premit, divina id permittente justitiâ, ut quæ in tanti ordinis sui maximam vergant injuriam, agnoscere nec possint, nec velint supprimere.* Hanc igitur historiam ignominia eorum oppletam, *& improbis fictionibus deceptionibúsque refertam*; quasi non sint æquitatis & justitiæ agnoscendæ compotes; divulgaverunt hactenus verbis, nunc autem scriptis ejusmodi complere non verentur coram sapientissimis quibusquè personis. *Ingerunt ea fautoribus suis, & legenda communicant Episcopis Canonicis, & alijs Prælatis atque doctis in tantum*, ut una ejusdem diei hora historiam ex duo-

duobus seorsum & doctissimis viris, & magnæ authoritatis fuerim, ultrò, & non rogans consecutus, uno negotium ipsum præstante in punctis, quos extraxerat; altero totam simul editionem liberè concedente, postquam plurimas jam manus pertransierat, *quam tamen potiùs imis penetralibus obseratam summo studio debuerant occultâsse*: sed impellit eos ultio Domini, & divinum judicium. Cùm enim nuper in VVimpinensi Capitulo Prælati eorum, & qui videbantur majores, VVigandica illa aconita in orbem transfundenda, in maxima indignitate decrevissent, & *sacrum ordinem Minorum, complurésque probatissimos viros & seculares, & regulares, vivos & defunctos improba insania diffamâssent atrociter*; statuerunt Minoritani ordinis Prælati cohibere suos à justissimis etiam replicationibus: ne propriam ipsi causam vindicare viderentur, & severissimè interdicendo quamlibet injurię propulsationem extra viam juris. Ipsi quoq; Prædicatores in augmentum malitiæ, quæ malè conscripserunt, pessimè defensare moliti sunt, & hodie moliuntur. Tacentibus igitur Minoribus, & causam suam DEO orationibus sedulò commendantibus, & Apostolicæ sedis judicio, ecce super eos repentè fit manus Domini, & parcentibus aliis ipsi sibi manus injiciunt, pessima machinari incipiunt, malè facta conscribunt, ignominiam propriam detegunt, & omnibus agnoscenda ingerũt, *ut etiam*

inimicorum quilibet amariùs eos diffamâsse vix unquam potuerit. Annon digna & horribilis ultiò, ut qui alios injustè diffamaverat, se ipsum justissimè diffamare cogatur, & inculare? Qui laqueum aliis posuit, incidat in foveam? qui se sapientissimos jactare consueverant, omnium hominum insipientissimi comprobentur? Annon mira obtusitas intellectûs, omnia credere, & ea mox literis commendare, quæ toti orbi invisa & incredibilia possint videri? Et tamen toto ferme anni circulo homines illi, *quæ superstitiosa noctu contingebant, diluculo conscripserunt*; & quæ manè agnoverant, vesperè notaverunt. Insuper, quòd est mirabilioris insaniæ monumentum, post desperatum negotium, *post patefactum dolum, post deprehensas falsitates nihil mutant, corrigunt nihil; nihil etiam, vel pauca occultant.* Sed ut erant conscripta, Episcopis ingerunt, doctissimis quibusque legenda tradunt: *imò librorum offerunt impressoribus disseminanda.* Tanto enim fervore ferebantur, ut opinionis suæ præmissam approbationem tanta pertinacia pro maculata Sanctæ Virginis conceptione anhelâsse comprobantur, *tam intensis præcordiis Minoritani ordinis confusionem affectârunt, ut suspiciosa omnibus vehementer, ipsi crediderint, incredibilia uni-*

universis. Et ne nimis effluam, quæ ex corde profluunt, veniuntque in buccam, sufficiat, Lectorem admonuisse, nunquam hanc historiam alicui proponendam fuisse, nisi auctores voluissent, nisi alienati animo à Deo irato permissi fuissent. Quam eorum excæcationem proterva propriæ existimationis defensio provocavit. Inter hæc autem tantorum virorum disfortunia meminerint reliqui, ne de aliorum infelicitate gratulentur, ne eis unquam velint talia obtigisse, *ne fortassis, quod absit, in similia, permittente Deo, mala eos incidere contingat.* Doleant hæc mala, hac deceptiones, tanta simplicium scandala contigisse. Super dolositatem aut deprehensionem, & veritatis revelationem quisquis moderatè lætatus fuerit, non peccabit. Parcat mali hujus actoribus Deus omnipotens: illuminet cæcitatem: sedet proterviam: induat mititatem: intelligant malorum originem: *obrenuncient passioni: æmulationem abjiciant: conformentur cæteris: singularitatem opinionum abrenuntient.* Immaculatissimam Dei Genitricis conceptionem vel nunc tandem credere & honorare festinent; charitatis viscera in confratres Minores induant, nec à modo suam existiment diffamiam, si hujusmodi fratres, ut soliti sunt, virginis innocentiam, quâ valent, efficaciâ, mundo universo persuadeant, & commendent. Velint enim sive nolint, *consonam Eccle*

siastico ritui hanc doctrinam perpetuò feliciter prædicabunt.

Carmen Philomusi
de
Idololatria quorundam Bernensium combustorum.

VVigandus Monachus, furiali percitus œstro,
  Dum maculat genesin Diva Maria tuam;
Dum te formosam vitioso polluit ortu,
  Cerberea nimium raptus ab invidia;
Contra Pontificis summi dum jussa profanũ
  Et falsum stygio ructat ab ore librum,
Confisusq. sui non grato dogmate Thomæ
  Sectam constituit impietate trucem;
En apud Hevetios, ut duret opinio marcens,
  Hæresis exoritur, tartareumque nefas;
Tingitur in milto solennibus hostia verbis,
  Et stillat guttas victima sanguineas.
Inferni vertunt Iovis incantamina mentem,
  Dantur fraudato stygmata picta viro.
Ad populum stantem Genitrix veneranda tonantis
  Per cannam loquitur: miraque signa facit.
Respondet matri positus de cruce benignus
  Filius, & linguâ fungitur alterius,
Atque rubricatus lachrymas effundit ocellis
  Parthenos æterni cœlica sponsa tori.
Apparent diræ nocturno tempore larvæ
  Et phantasma frequens dæmonis arte furit..

Sæva

Sæva veneficiis tractantur crimina, simplex
Plebs credit Monachis, & sacra ficta colit.
Pestilis sed non potuit latria manere,
Vltrix teda Dei, flammàque justa datur,
Illita sulphureis globulis, quæ membra cremavit
Noxia: flagitium quaque piavit atrox
Sic VVigande tuam sectam miramur in igne
Firmatam tremulo: cerea nempe fuit.
Sic tua virgineæ durat conceptio carnis,
Natalisque sacer, Diva Maria, manet.

Magnificis, Nobilibúsque Senatoribus, & Patritiis, Magistratuíque inclytæ Civitatis Bernensis,

SALUS.

Si Christo Iesu Salvatori simus credituri; Senatores Clarissimi; Sacrosanctam Petri naviculam, etsi variis turbinibus procellisque quassatam, ex toto tamen labituram nō simus in æternum speraturi. Præcavit id quidem divina clementia, ne insano mari circumquaque frementi hæc sancta navicula penitus intereat, & ut portus fidissimus, occurrit fluctuanti, & è propinquo fluctuanti periclitanti, cùm sit ipse infinita bonitate & misericordiâ suâ fideles suos in æterna gaudia vecturus. Rogavi, inquit, pro te, Petre, ut non deficiat fides tua. Huic, inquam, naviculæ, hoc nostro tempore Iulius secundus Pontifex Maximus *insidet nauta, Patronus & Rector disertissimus, quo excita-*

tissimo ingenio naufragia præcaveat, pericula tollat, & ventos effrenos in AEolium antrum nunquam exituros includat, atque ne resurgant, saxa procul objiciat. At sunt in hoc nostro mari magno & spatioso reptilia, quorum non est numerus, infinita pericula, Scylla Charybdis, vada, scopuli & saxa, &, ut simul claudam, pugnax atque molesta navigatio. Neque id mirum videri debet, cùm pro cœlesti, æterno & immortali, temperante labore, militemus. Desævit itaque & in Christi naviculam grassatus est Draco teterrimus, ex periculoso pelago pectus superbum erigens: *hostili more trux atque cruentus in vestram civitatem furens:* quæ non tam fletu quàm ejulatu recenseo, virus suum letiferum in germano & natali solo efferbuisse, inflammâsse, incendisse: quæ procul dubio scintillæ, ac venenata plantaria in ignes quàm maximos excrevissent, ubi vestrâ prudentiâ, fide & vigilantiâ non fuisset obviatum. Scitis quid velim. Nam sub oculis vestris res gesta est. *Draco is est nocentissima, & hactenus nunquam excogitata heresis, solicita vestra pervigilique custodia igne deleta, eradicata funditus, & radicitus evulsa.* O Viri boni! O prudentes homines! O strenui sanctæ naviculæ defensores! Sacratæ fidei antemurale firmissimum! Boni, inquam, boni, & ex omni parte soliciti, qui sibilantia jam hydræ fulmina jamjam vibrantia ora compressistis. Ne ultroneis

neis hæresium moribus in Iesu Christi naviculam, & gloriosæ virginis Mariæ dignitatem debacchaaretur. Remoremur hîc paulisper, & emeritos viros digna laude prosequamur. Quàm enim fueritis in veritatis perquisitione providi, ferventes, constantesque, id argumenti est, *quòd duobus ferme annorum curriculis in tanti sceleris persecutione non estis fatigati. Feruntque vos supra XX. millia florenorum expendisse*. Tanti apud vos est fides, justitia & æquitas, ut non tœdeat tantam, non dico, summam expendere, sed & commendatissima prodigalitate, etiam non piget profudisse: quàm denique fueritis, in juris processu formales, & sapienti, si ita lubet dici, prudentia ordinatissimi, quis non videat? Quando primò Pontificem vestrum Aymonem ordinarium in hujus rei novæ pervestigatione provocâstis? Insuper sacrosanctam Sedem Apostolicam decrevistis studiosissimè consulendam. Ecce libramen solerti scientiâ justissimum! Ecce processum magno consilio ordinatissimum, formalissimum! Quæ non ego tam ob vestras commendationes refero, quàm ut adversariorum in angustis delatrantium occludam ora mendacissima. Draconem teterrimum, h. e. quatuor illos Hæresiarchas igne delevistis. Nam insanientium turba est. Ne quid igitur Babylonicum, ne quid confusionis adolescat, lubet rei seriem ordinemque recensere.

Julius Papa Secundus, Pontifex Ma-

ximus, quem æstuanti mari & naufrago Ponto, ut Virgil. Æneid. *Divum Pater atque hominum Rex,*

Et mulcere dedit fluctus & tollere ventos,
Regémq. dedit, qui fœdere certo,
Et premere & laxas sciret dare jussus habenas.

Rex igitur hic noster, sanctæ Petri naviculæ grave hoc vitiorum contagium ingruere atque grassari perspiciens; cujus quidem inauditæ & nunquam cogitatæ hæresis lethum, venena, pericula voce dicere non possumus, nec ullâ facundia enodare. Tenet me stupor, tenet me ecstasis, quum rem nefariam, non dico à Christicolis, nec à Religiosis, sed ab his, *quos Observantes ajunt, quorum vitam, famam, Religionem omni ex parte prædicāt rotundam, politam, nitidam, cernimus fuisse patratam. O Deus! Polluerunt Templum sanctum tuum Viri domestici tui: Qui te osculantur, tradiderunt te: qui tecum panem manducabant, levârunt adversus te calcaneum suum. Sed qui? quos tanta dicunt devotionis resplendentia nitescere, ut tanto nitore necesse sit etiam obfuscari Solem, Lunam, Stellas. Sed, heu! obtenebratum est cor insipiens eorum.* Ad Patronum redeo, qui

qui tantam sedare cupiens perfidiam, hominem misit, & rerum & exemplorum peritissimum, Achillem Grassi, Castellæ Pontificem bene meritum Et verè, arbitratu meo, adversus tantam Græcorum luxuriam, molestiam, pugnam nonnisi Achilles mittendus fuerat; qua ratione staret & prudentia non victus semper Achilles. Nec me fefellit opinio: quàm enim fuerit in inquirendo providus, in judicando justissimus, nullus est qui ignorat. Neque id tam suæ laudi tribuo, quàm Romani Pontificis diligentiæ: qui tanto bello nonnisi Achillem præfecit Ducem & Imperatorem. Is, inquam, ingenti victoria superbum Ilium, hoc est, quatuor illos Hæresiarchas, Draconem teterrimum igne delevit, consumpsit flammâ, & eradicavit incendio. At nunc, deletâ Trojâ, igne consumpta hæresi nequissima, profugi Teucri; Sacrosanctam sedem Apostolicam contaminant, Achilli convitiantur. Mendacia, inquam, mendacia. *Nam illos quatuor martyres esse, hoc est, testes veritatis, apertâ voce ementiuntur, à sancta Sede Apostolica injustè damnatos, ab Achille nequiter judicatos, à Bernensi consulatu potentiâ detentos præter ius, fas & æquitatem, factáque sunt posteriora pejora prioribus. Nec ea contumeliâ saturati, sepultis Pontificibus Romanis non pepercêre. Alexandrum, inquam, sextum, Romanum quondam Pontificem*

Maximum, in Purgatorij pœnis ajunt detineri, qui Hieronymum quendam Ferrariensem, ordinis Prædicatorum de observantia nuncupatorum, Hæresiarcham pessimum, similiter igne delevit, & unâ cum complicibus suis flammis incendere jussit. Intuitus sum, & quidem oculis cordis mei, tam sanctæ sedis insignem contumeliam, Pontificum trium in causa judicum tam diligentem circumspectionem, Senatûs tam providi nunquam meritam injuriam: quorum reverentia & amore, imó veriùs debita defensione, quàm sedi Apostolicæ æque ut obedientiam, tenemur & promittimus, hanc scribendi provinciá subivimus nulla unquã usurpatione nostra, quo vel ipse aliorũ crimẽ gaudeam ferre sub auras, &. vel livore, vel invidentia in sepultos jam cineres vindictam exercere. Cogitate attentius, ac diligentius perpendite. Quis est qui non impatienter doleat, quum venerandæ sedi, in qua fidei Primas, in qua Christi Iesu Vicarius residet, crimen audit injustitiæ objici, & de judiciorum violentia insimulari. O contumax & præsumtuosa superbia, qua Dei Vicarium in terris audes de innocentium oppressione accusare! O profugi Teucri, quæ est vestra tam audax & nimis temeraria præsumptio; *ut Menelai Regis Helenam in vestros prohibitos hymenæos & amplexus impios rapere non dubitatis, hoc est, Cœli Reginam DEI ma-*

Matrem, totius humani generis spem, & singulare refugium lachrymari, falsò apparere, & quàm sit formosa, ostendere vobis, & genua & brachia fingere non timuistis, quod nec leno quidem, non meretrix, nec pellex, in re seria factura esset! O Trojani mendàces! Virginem audetis tam sacram, ut honori proprio detrahat, ne sit in peccato originali concepta, inducere, & de se testimonium præbere falsitatis? *Hosti totius generis humani, Dæmoni animas vestras subjecistis, ut sanguine etiam proprio eidem homagium præstandum confirmaretis*, quo, in fassione vestra, pro atramento uti non estis perterriti; Sacramentum corporis Christi, quo non est sacratius ullum, depingere, veneno practicare toxicum, & homicidium patrare non timuistis; *Alexandrum de Ales, Johannem Scotum non vulgatos Doctores in Purgatorij pœnas, quòd Virginem Beatissimam mundè conceptam ajunt, mendaciter intrusistis*: Pauperes Fratres Minores, præter omnem eorum, in vos, culpam, civitate pellere studuistis, ut crimen læsæ fraternitatis incurreretis; Hominem divinis insignitum stigmatibus excogitàstis. *Piget dicere, quæ vos impudentissimos & sceleratos viros facere non puduit.* Hi ne sunt, dic, viri illi boni, tanta ac talia patrantes, quos in-

innocuos esse contenditis? Martyres esse confirmatis? Ut in illorũ justissima condemnatione sanctam Sedem Apostolicam de innocentum oppressione inculparetis; Violatam justitiam, solamque vel invidentiam vel potentiam in eis exercitam aperta voce doceretis; ad Bohemos confugitis, *Sedi Romanæ alioquin molestos homines*, quos facile utpote voluntarios decipitis. Movit me igitur reverentia sanctæ Sedis Apostolicæ, præsertim Iulii regentis, movit me, D D. Bernates, vestra nunquam merita contumelia; movit me trium Pontificum fallax & mendosa oblocutio; hactenus tacita, in mille exemplaria multiplicare & hujus rei veritatem palam eloqui, quò studeant viri scelerati de Sede Apostolica & ejus Legatis atque Commissariis, deque provido Senatu vestro modestiùs loqui, præstantiùs sentire, & excellentiùs opinari. Credo ego, & quidem constantissimè, hujusce famæ sparsores, illorum defensores, Romani Pontificis Maximi publicos hostes, & tam scelerati facti participes indubios. Si mea dicendi vehementia (si quem fortasse remordent præsentia) hostes fidei hæreticos nequissimos offendere, persequi, opprimere meritorium, nulla unquam ratione dubitamus, gaudemusque hisce viris sceleratis displicuisse. Sacro tamen Predicatorum Ordini placere vehementer optamus; cui non sumus in æternum injuriam, molestiam, aut contumeliam illaturi. Persequimur hæreticos, non offendere volentes bonos & sanctos. Si quis autem quisquis fiet, provinciam illos defendendi subire non formidabit, sit

mihi

mihi publicus hostis, & sanctæ Sedis Apostolicæ osor, & inimicus similis illis mendax ac hæreticus. Valete felices Senatores Clarissimi, & honoris vestri defensorem diligite ac defendite.

Anteloquium.

Certatum est aliquandiu, hostiliterque congressum in campo literario inter duos Mendicantium ordines, Prædicatorum videlicet & Minorum Fratrum; Conceptúsne Christiparæ Virginis Mariæ sacer fuerit, an paterna sorde illitus, quâ dum concipimur, & in vitales artus formamur, ut sacra tradunt eloquia, defœdamur, atque Parentis offensæ judicamur obnoxii. Fuére viri ex utroque ordine non vulgariter docti, qui sacram Dei Genitricem ausi sunt paternis fœcibus contaminare. Quod, ne judicaretur impium & crudele, in eam defensionem sese receperunt, *quæ Canonica Scriptura, quâ, nullò etiam dubitante, ex Spiritu Sancto est, id opinati sint & docuerint*, nec proprio motu temeravisse illud sentire ac prædicare: neque illud usurpationi suæ tribuendum putaverunt, ut eam tueantur opinionem, quę in S. Literis manifestè exprimitur, Doctorum scitissimorum sentimento roboratur, & perspicuæ rationis probatione suffulcitur. *Hæc quondam hominum communis erat sententia, & tam secularium, quàm religiosorum individua doctrina, & unanimis prædicatio.*

Opi-

Opinio Minorum omnibus acceptior & magis pia de munda Conceptione.

At ubi crevit in Ordine Minorum acumen ingeniorum, docendique majestas, cepissetque perpendi opinionis prædictę impietas, deformatio & insolentia propriis Doctoribus, etiam Sanctis probanda libertate, recesserunt, propensioresque rationes secuti, *mundè conceptam docuerunt, & nitidiori formatione tantæ Virginis animulam creatam probavêre*, priscorum rationes & nodos dissolventes: ostenderunt ex Canonicis Scripturis, extortam potiùs violenter eam opinionem, quàm in illis contineri. Qui, dum cæteris sic opinandi viam præbuerunt, *adeò brevi inolevit opinio, ut torrentis instar non modò sui ordinis Fratres, sed totius Christianæ plebeculæ corda inundaret.* Super hac re multos sententiam tulisse compertissimum est ex diversis, nedum ordinibus, sed & nationibus, *præbuisse tamen de sacratissima Virgine tam modestè sentiendi sementarium*, ut nemo nostrum sit, quin ambigat, Fratres Minores, primos pro Virginis gloria & majestate in medios hostes insiliisse, *ac in acie pugnantes vivaci dogmate superbum Goliathum in singulare certamen non formidârunt provocare.* Vicit in illis veritatis indago; vicit religio major, animosiorque pietas

in

in totius humani generis advocatam Cœli Reginam, & singulare omnium piorum asylum: ut fraternitatis jura dissolverent, hoc est, Divum Bonaventuram, & priscos eorum Doctores, sui ordinis fratres non imitarentur. De viris tam sanctis & humilibus nullatenus dubitantes, si adhuc mortali vescerentur aura, una cum ipsis uberiore veritate compertâ indubiè sensuros. Conceptus igitur virgineos maluerunt honorare, & summi Dei Parenti hunc decorem impendere, *quàm fraternitatis vinculo, ordinisq; amore, Virginis tam ingenua conceptus denigrare*, nauseam bilemque & fastidiosam cum priscis Doctoribus opinionem tutari, imitari ac defendere.

Fratres Minores, in opinando, nunquam fuisse pertinaces.

Quod ne quis arrogantiæ vel dissolutionis esse crediderit, ut aut singulares videri pertenderint, aut sancto Prædicatorum ordini reluctari, & cum illis de virtute certare ac doctrinæ præstantia, id argumentum est, quod sedi Apostolicæ detulerunt, atq; Sancti Senatûs Romani determinationi sese querulos obtulerunt. Nec verba sola in ventos expuo. Subest, inquam, veritas ipsa, pro qua videnda, ex multis adducatur unus Iohannes Scotus, Doctor Subtilis, qui evidentissimum nobis prebebit

bit testimonium. Potuit, inquit, in suo tertio scripto dil. III. fecisse Deus, ut in uno instanti peccato fuisset obnoxia: potuissetque aliquo in tempore, vel in nullo. Quòd autē horū factū sit, ipse, ait, Deus novit. *At si auctoritati Ecclesiæ, vel authoritati Scripturæ non repugnet, videtur probabile, quod excellentius est, attribuere Mariæ.* Ecce sermonem probato viro dignissimum! Qui tam meritam sedi Apostolicæ detulit reverentiam, & Canonicæ Scripturæ integritatem. *Huic autē totus Sacer Minorū ordo concedit, hunc imitantur Ducem atque rectorem.* Quo clarè patet, nullam hinc colligi pertinaciam: nullam cum Prædicatoribus certandi cupiditatem, sed veritatis diligentia, Virginisque dilectione & amore, in hunc literarium cursum descendisse. Illa docuisse publicè prædicare solitos: non in Prædicatorum contemptum, sed tam veræ, florentis, ac venustæ opinionis augmentum, quæ nos ad sacratam virginem mira devotionis dulcedine inflammat, ac futuræ advocationis suæ spem auget, fiduciam firmat: Omitto tamen hæc. Nescio enim, quæ procella, quis me fluctus huc derivavit. Non quippe disputandi provinciam suscepimus; Cùm non nesciam, ejus rei astutiam majore verborum elucidatione egere.

Admiranda, seu perversa quorundam Pseudo-Prædicatorum pertinacia.

Huic ergo opinioni, quę etiam ipsorum testimonio

nio magis pia dinoscitur, quidam procaciùs quàm in hisce disputabilibus fieri assolet, contradicentes, eò sunt effusi, in eam indignationem efferbuére, *ut pro sua opinione tutanda vitam igni, cacodæmoni animas suas sanguine proprio commendârint.* Quæ major pertinacia dici poterit, aut quæ durior cogitari? Sed ne cui vim inferre videremur, unde in tantam duritiam dilapsi fuerint, palam eloqui non pigrabor. *Fecit id quidem gloriæ appetentia immoderatiùs appetita.* Hi namq; , quorum heu ! tristem recitamus historiam, ex ordine Prædicatorum, qui de observantia dicti, fuerunt. *Quod genus hominum ferunt aloquin, in foro, salutationum & gloria cupidissimum* : De malis ego loquor; qui Fratrum Minorum honores commendationésque, utpote eorum, qui tam sacræ rei præbuerunt fementarium pietatis, indignè tulerunt. Choleram quoque suam regere nescientes, Caina fraude suis confratribus ordinis Minorum officere conati sunt, nullâ penitus lacessiti injuria. Liquet itaque, probabiles esse utrasque vias : *Existimatio tamen & opinio Minorum Fratrum authoritate præstat, rationibus perspicaciùs emicat, ac miraculis ita roboratur divinis, ut nullam reliquerit errori suspicionem*; Mentesq; omnium & corda ita possedit, ut nolint cum Divo Augustino, quum de peccatis agitur, aliquam de

Virgine glorioſa quæſtionem haberi. Emollivit tam venuſtæ pietatis opinio ferocia multorum corda, fraterni tamen livoris frena cohibere nequivit.

Sed ajunt, divo illi Thomæ Aquinati refragari, & contradicere, oppoſitum docenti. *Id ſanctum illum Virum docuiſſe non ambigimus. Probat auctoritatibus & rationibus, etſi ſolubilibus, Virginem Mariam originali delicto fuiſſe obnoxiam.* Vos autem communem cum eo opinionem fictis probare miraculis, falſis & excogitatis revelationibus, ſtrophis perverſis, hæreticis perſuaſionibus aggreſsi eſtis. Non vos damnavit opinio, ſed incendit probatio. Individuam cum Viro ſancto habetis propoſitionem: ſed diſcretam probationem. *Non eſtis vos primi, qui hanc propoſitionem tenetis; ſed nec ultimi, cum Divo Thoma ſic æſtimantes:* Hoc verò medio veſtro Concluſionē vetuſtam coloráſſe firmáſſeq; auſim vos fortaſſe dicere primos. *Fortaſſe dico,* ob id, quòd Frater ille veſter, quem Chriſti vulneribus inſignivſtis, ſtigmatibus falſis, faſſus eſt, firmiter ſe crediturum; *Catharinam Senenſem tam nefario commento ac ficto mendacio fuiſſe deceptam, quo auſa fuerit dicere, revelatum ſibi Virginem Mariam in peccato originali fuiſſe conceptā*; quę quidem Fratris verba vehementer poterunt in multorum cordibus ſu-

suspicionem generare. Propositi tamen nostri est, de omnibus modestè sentire, remque ipsam ut juste terminata sit, narrare. Quare scholasticas hujus quæstionis relinquamus concertationes, & hæreticorum infelicitatis recitemus historiam.

Infelix quatuor Hæreticorum Ordinis Prædicatorum Historia & inaudita narratio.

Año, ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi, *Millesimo, Quingentesimo, Septimo*, in Civitate Bernensi, Lausanensis Diœcesis, *pullulavit & exorta est hæresis omnium planè nequissima, quâ nulla major audiri poterat, sed neque cogitari.* Cujus quidem perversitatis & audacię auctores fuêre quidam Fratres ordinis Prædicatorum de observantia nuncupatorum. Quod superbum aliâs nomen, & elatam nuncupationem (cùm ex Evangelio reprobum sit atque justificatum, in eo, qui se dierum festorum ac jejuniorum observatorem jactitabat) non huc citavimus, aut frequentius nominavimus, ut vim aliquam Fratribus tantæ majestatis titulo gloriantibus inferre videremur. Quippe quæ rem gestam in nullius contumeliam me narraturum in epistolari exordio protestatus fuerim; sed ob id, quod aliis venerabilibus & devotis Patribus ejusdem Ordinis nullam ingeramus injuriam, contumeliam, molestiam, habeaturque inter tanti criminis factores & innocen-

tes discretio ac perfecta cognitio, quos scio tam nefaria non ausuros, sed nec cogitaturos quidem, *quæ hi viri sub observantiæ titulo militantes, patrare non timuerunt.* Non de his omnibus mihi sermo est, sed de his, qui Deum non timentes, neque homines formidantes, rem tantæ nequitiæ temeravêre.

VVigandus VVirt, tam miseræ messis sementarium & occasio.

Ne autem vana spe lectorem demoremur, infelicitatis eorum historiam dicam. VVigandus quidam, cognomento VVirt, sacrarum literarum Professor, & Magister Ordinis Prædicatorum de observantia nuncupatorum, *vir vafer, audax*, cui cùm in Francophordia esset officium prædicationis commissum, nescio quid titillationis, vel suscitabuli *cum ejusdem civitatis Plebano incenderit*, & in contumeliarum focum inflammarit, publicis quoque prædicationibus suis multiplicatione, *contemptius ac procaciùs, quàm religiosum, & divini verbi seminatorem deceat, impulsârit.* Quod viro ita bilem movit & choleram auxit, *ut & ipse palàm in concionibus suis ad plebeculam suæ curæ subditam reclamaret, & verbum verbo rependeret, similésque vices, si non majores, refunderet.*

Res

Res profectò infirmis animis & pusillis corde nunquam profutura! Enimverò quis est à Republica Christiana alienus, & non vehementer doleat, *cùm ab his, per quos erudiendus est Dei populus, tam impudenter cernit scandalisari potiùs quàm erudiri: meretriciterq; mutuis contumeliis sic publicè convitiari ac insultare, id quoque copiosius perpetrare, quod in subditis acriùs arguunt.* VVigandus autem ille noster, cùm ex quibusdam accepisset se quoque lacessiri, reclamareque plebanum ejus conciones, in propria persona statuit eundem visitare, utque videri posset ab eo, in faciem ejus astabat quàm præsentissimè: paratus audire, si quam injuriam ejus foret irrogaturus. Qui præsentiam tam temerariam ferre non valens hoc se irritari perspiciens, bilem movit, excussæque sunt in cerebrum flammæ furoris, & duo convitia in præsentem VVigandum palam effudit, *quòd scilicet ex numero se non esse gauderet, qui Henricum Imperatorem toxico aut venenato sacramento occidissent.* Taxabat secundò eos & momordit, *quòd nullâ satis festivâ commendatione sertulum rosarum Mariæ Virginis extollere possint:* ausit tamen conceptum ejus originali macula defœdare: sicque id ipsum Mariæ sertulum & crinales canino hoc flosculo originalis delicti de-

nibus cincti, mordari cappa & calopodijs in truncum formatis vestiti. quódq; doctrina eorũ sit maledictis, blasphemiis, mẽdaciis, figmentis; vita verò hypocrisi & simulata sanctitate cum invidia immortali plenissima: Sebastianũ item Brant, celebratæ doctrinæ, & nunquam intermorituro nomine, virũ cognitissimum ita suis contumeliis, injuriis, convitiis discerpsit hominem vivum, qualiter non solent etiam feræ bestiæ discerpere cadaver ejectum & emortuum, Post quem Iohanni Spengler, Fratri Minorum Ordinis de observantia sic maledixit, ut illius famam & vitam non parum denigraret ac obumbraret. Sed nec illi satis fuit lacessere viros vivos, quin etiam ægerrimè ferret, sanctis Doctoribus & viris emeritis pro eorum, in Rempublicam Christianam, diligentia, epitheta dici honoris, Divum videlicet Bonaventuram, Seraphicum; Alexandrum, irrefragabilem; Scotum, subtilem, nescio quam dequodam caseo inducens fabellam, turpiter erravisse contendit, qui hisce Doctoribus hunc honorem, decore nuncupationis impenderunt. Cujus quidem libelli temeritatem & à vero deviam superbiam reprimere curavit Archi-præsul Moguntinus, qui præceptione provida viri tam procacis dedignatus est importunitatem, mandavitque sub anathematis vinculo hujusce libellos incendi, deleri, ac penitus incinerari. Cavit quoq;, ne quis illos vendere præsumat, comparet pretio, aut quovis titulo vel colore acquirat. Quo remedio viris inculpatis præter-

fas

fas & justitiam subventum est, & ipsorum dignitati suffragatum. VVigandique improba, malevola & contumeliosa verborum proluvies, superbaque arrogantia repressa est & cohibita. Iohannes verò Spengler, qui se cæteris plus læsum non dubitavit, Romam profectus est, de VVigandi injuriis conquesturus. Citatur ob id Romam VVigandus ipse, de enormitate & excessu tam frivolo responsurus. De cujus citationis, executionisque processu longum esset & superfluum hoc loco recitare. Formidantes autem Patres sui, præter optatum, illi quiddam in Romana Curia evenire, miraculis falsis, apparitionibus fictis, truffis perversis, ei subveniendum in Capitulo VVimpinensi decreverunt, non omnes tamen ut verè creditur, sed quos tanti criminis non puduit esse socios, & auctores. De quo maledictam historiam auditurus crucis te signaculo firma, ne te divina clementia in eam sinat cæcitatem pervenire, ut pro terreno & perverso mendaciorum subsidio tuam pauperculam animam sic Dæmoni impignores, ut pleno dominatûs imperio illi tribuas possidendam.

Consulitur de loci dispositione, eligiturq́; Berna tam nefariæ excogitationi apta.

Fuêre ex illis qui excogitationi huic Francphordiam delegerant, utpote civitatem, ad quam ex omni Germania, Galliaque confluerent Mercatores, qui hoc ipsorum negotium ad omnes mundi par-

Maximum, in Purgatorij pœnis ajunt detineri, qui Hieronymum quendam Ferrariensem, ordinis Prædicatorum de observantia nuncupatorum, Hæresiarcham pessimum, similiter igne delevit, & unâ cum complicibus suis flammis incendere jussit. Intuitus sum, & quidem oculis cordis mei, tam sanctæ sedis insignem contumeliam Pontificum trium in causa judicum tam diligentem circumspectionem, Senatûs tam providi nunquam meritam injuriam: quorum reverentia & amore, imò veriùs debita defensione, quàm sedi Apostolicæ æque ut obedientiam, tenemur & promittimus, hanc scribendi provinciã subivimus nulla unquã usurpatione nostra, quo vel ipse aliorũ crimẽ gaudeam ferre sub auras, & vel livore, vel invidentia in sepultos jam cineres vindictam exercere. Cogitate attentius, ac diligentius perpendite. Quis est qui non impatienter doleat, quum venerandæ sedi, in qua fidei Primas, in qua Christi Iesu Vicarius residet, crimen audit injustitiæ objici, & de judiciorum violentia insimulari. O contumax & præsumtuosa superbia, qua Dei Vicarium in terris audes de innocentium oppressione accusare! O profugi Teucri, quæ est vestra tam audax & nimis temeraria præsumptio? *ut Menelai Regis Helenam in vestros prohibitos hymenæos & amplexus impios rapere non dubitatis, hoc est, Cæli Reginam DEI ma-*

Matrem, totius humani generis spem, & singulare refugium lachrymari, falsò apparere, & quàm sit formosa, ostendere vobis, & genua & brachia fingere non timuistis, quod nec leno quidem, non meretrix, nec pellex, in re seria factura esset! O Trojani mendaces! Virginem audetis tam sacram, ut honori proprio detrahat, ne sit in peccato originali concepta, inducere, & de se testimonium præbere falsitatis? *Hosti totius generis humani, Dæmoni animas vestras subjecistis, ut sanguine etiam proprio eidem homagium præstandum confirmaretis*, quo, in falsione vestra, pro atramento uti non estis perterriti; Sacramentum corporis Christi, quo non est sacratius ullum, depingere, veneno practicare toxicum, & homicidium patrare non timuistis; *Alexandrum de Ales, Johannem Scotum non vulgatos Doctores in Purgatorij pœnas, quòd Virginem Beatissimam mundè conceptam ajunt, mendaciter intrusistis:* Pauperes Fratres Minores, præter omnem eorum, in vos, culpam, civitate pellere studuistis, ut crimen læsæ fraternitatis incurreretis; Hominem divinis insignitum stigmatibus excogitâstis. *Piget dicere, quæ vos impudentissimos & sceleratos viros facere non puduit.* Hi ne sunt, dic, viri illi boni, tanta ac talia patrantes, quos in-

innocuos esse contenditis? Martyres esse confirmatis? Ut in illorũ justissima condemnatione sanctam Sedem Apostolicam de innocentum oppressione inculparetis; Violatam justitiam, solamque vel invidentiam vel potentiam in eis exercitam aperta voce doceretis; ad Bohemos confugitis, *Sedi Romanæ alioquin molestos homines*, quos facile utpote voluntarios decipitis. Movit me igitur reverentia sanctæ Sedis Apostolicæ, præsertim Iulii regentis, movit me, D D. Bernates, vestra nunquam merita contumelia; movit me trium Pontificum fallax & mendosa oblocutio; hactenus tacita, in mille exemplaria multiplicare & hujus rei veritatem palam eloqui, quò studeant viri scelerati de Sede Apostolica & ejus Legatis atque Commissariis, deque provido Senatu vestro modestiùs loqui, præstantiùs sentire, & excellentiùs opinari. Credo ego, & quidem constantissimè, hujusce famæ sparsores, illorum defensores, Romani Pontificis Maximi publicos hostes, & tam scelerati facti participes indubios. Si mea dicendi vehementia (si quem fortasse remordent præsentia) hostes fidei hæreticos nequissimos offendere, persequi, opprimere meritorium, nulla unquam ratione dubitamus, gaudemusque hisce viris sceleratis displicuisse. Sacro tamen Prędicatorum Ordini placere vehementer optamus; cui non sumus in æternum injuriam, molestiam, aut contumeliam illaturi. Persequimur hæreticos, non offendere volentes bonos & sanctos. Si quis autem, quisquis fiet, provinciam illos defendendi subire non formidabit, sit

mihi

mihi publicus hostis, & sanctæ Sedis Apostolicæ osor, & inimicus similis illis mendax ac hæreticus. Valete felices Senatores Clarissimi, & honoris vestri defensorem diligite ac defendite.

Anteloquium.

Certatum est aliquandiu, hostiliterque congressum in campo literario inter duos Mendicantium ordines, Prædicatorum videlicet & Minorum Fratrum; Conceptúsne Christiparæ Virginis Mariæ sacer fuerit, an paterna sorde illitus, quâ dum concipimur, & in vitales artus formamur, ut sacra tradunt eloquia, defœdamur, atque Parentis offensæ judicamur obnoxii. Fuére viri ex utroque ordine non vulgariter docti, qui sacram Dei Genitricem ausi sunt paternis fœcibus contaminare. Quod, ne judicaretur impium & crudele, in eam defensionem sese receperunt; *quæ Canonica Scriptura, quæ, nullò etiam dubitante, ex Spiritu Sancto est, id opinati sint & docuerint*, nec proprio motu temeravisse illud sentire ac prædicare: neque illud usurpationi suæ tribuendum putaverunt, ut eam tueantur opinionem, quę in S. Literis manifestè exprimitur, Doctorum scitissimorum sentimento roboratur, & perspicuæ rationis probatione suffulcitur. *Hac quondam hominum communis erat sententia, & tam secularium, quàm religiosorum individua doctrina, & unanimis prædicatio.*

Opi-

Opinio Minorum omnibus acceptior & magis pia de munda Conceptione.

At ubi crevit in Ordine Minorum acumen ingeniorum,docendique majestas, cepissetque perpendi opinionis prædictę impietas,deformatio & insolentia propriis Doctoribus,etiam Sanctis probanda libertate,recesserunt , propensioresque rationes secuti , *mundè conceptam docuerunt,& nitidiori formatione tantæ Virginis animulam creatam probavêre* , priscorum rationes & nodos dissolventes : ostenderunt ex Canonicis Scripturis,extortam potiùs violenter eam opinionem, quàm in illis contineri. Qui,dum cæteris sic opinandi viam præbuerunt , *adeò brevi inolevit opinio,ut torrentis instar non modò sui ordinis Fratres,sed totius Christianæ plebeculæ corda inundaret.* Super hac re multos sententiam tulisse compertissimum est ex diversis, nedum ordinibus, sed & nationibus , *præbuisse tamen de sacratissima Virgine tam modestè sentiendi sementarium*, ut nemo nostrum sit, quin ambigat,Fratres Minores, primos pro Virginis gloria & majestate in medios hostes insiliisse, *ac in acie pugnantes vivaci dogmate superbum Goliathum in singulare certamen non formidârunt provocare*. Vicit in illis veritatis indago ; vicit religio major,animosiórque pietas

in

in totius humani generis advocatam Cœli Reginam, & singulare omnium piorum asylum: ut fraternitatis jura dissolverent, hoc est, Divum Bonaventuram, & priscos eorum Doctores, sui ordinis fratres non imitarentur. De viris tam sanctis & humilibus nullatenus dubitantes, si adhuc mortali vescerentur aura, una cum ipsis uberiore veritate compertâ indubiè sensuros. Conceptus igitur virgineos maluerunt honorare, & summi Dei Parenti hunc decorem impendere, *quàm fraternitatis vinculo, ordinísq. amore, Virginis tam ingenuæ conceptus denigrare*, nauseam bilemque & fastidiosam cum priscis Doctoribus opinionem tutari, imitari ac defendere.

Fratres Minores, in opinando, nunquam fuisse pertinaces.

Quod ne quis arrogantiæ vel dissolutionis esse crediderit, ut aut singulares videri pertenderint, aut sancto Prædicatorum ordini reluctari, & cum illis de virtute certare ac doctrinæ præstantia, id argumentum est, quod sedi Apostolicæ detulerunt, atq; Sancti Senatûs Romani determinationi sese querulos obtulerunt. Nec verba sola in ventos expuo. Subest, inquam, veritas ipsa, pro qua videnda, ex multis adducatur unus Iohannes Scotus, Doctor Subtilis, qui evidentissimum nobis prebebit

bit testimonium. Potuit, inquit, in suo tertio scripto dis. III. fecisse Deus, ut in uno instanti peccato fuisset obnoxia: potuissetque aliquo in tempore, vel in nullo. Quòd autē horū factū sit, ipse, ait, Deus novit. *At si auctoritati Ecclesiæ, vel authoritati Scripturæ non repugnet, videtur probabile, quod excellentius est, attribuere Mariæ.* Ecce sermonem probato viro dignissimum! Qui tam meritam sedi Apostolicæ detulit reverentiam, & Canonicæ Scripturæ integritatem. *Huic autē totus Sacer Minorū ordo concedit, hunc imitantur Ducem atque rectorem.* Quo clarè patet, nullam hinc colligi pertinaciam: nullam cum Prædicatoribus certandi cupiditatem, sed veritatis diligentia, Virginisque dilectione & amore, in hunc literarium cursum descendisse. Illa docuisse publicè prædicare solitos: non in Prædicatorum contemptum, sed tam veræ, florentis, ac venustæ opinionis augmentum, quæ nos ad sacratam virginem mira devotionis dulcedine inflammat, ac futuræ advocationis suæ spem auget, fiduciam firmat: Omitto tamen hæc. Nescio enim, quæ procella, quis me fluctus huc derivavit. Non quippe disputandi provinciam suscepimus; Cùm non nesciam, ejus rei astutiam majore verborum elucidatione egere.

Admiranda, seu perversa quorundam Pseudo-Prædicatorum pertinacia.

Huic ergo opinioni, quę etiam ipsorum testimonio

nio magis pia dinoscitur, quidam procaciùs quàm in hisce disputabilibus fieri assolet, contradicentes, eò sunt effusi, in eam indignationem efferbuêre, *ut pro sua opinione tutanda vitam igni, cacodæmoni animas suas sanguine proprio commendârint*. Quæ major pertinacia dici poterit, aut quæ durior cogitari? Sed ne cui vim inferre videremur, unde in tantam duritiam dilapsi fuerint, palam eloqui non pigrabor. *Fecit id quidem gloriæ appetentia immoderatiùs appetita*. Hi namq; , quorum heu! tristem recitamus historiam, ex ordine Prædicatorum, qui de observantia dicti, fuerunt. *Quod genus hominum ferunt aloquin, in foro, salutationum & gloriæ cupidissimum*: De malis ego loquor; qui Fratrum Minorum honores commendationésque, utpote eorum, qui tam sacræ rei præbuerunt sementarium pietatis, indignè tulerunt. Choleram quoque suam regere nescientes, Caina fraude suis confratribus ordinis Minorum officere conati sunt, nullâ penitus lacessiti injuria. Liquet itaque, probabiles esse utrasque vias: *Existimatio tamen & opinio Minorum Fratrum authoritate præstat, rationibus perspicaciùs emicat, ac miraculis ita roboratur divinis, ut nullam reliquerit errori suspicionem*; Mentesq; omnium & corda ita possedit, ut nolint cum Divo Augustino, quum de peccatis agitur, aliquam de

Virgine gloriosa quæstionem haberi. Emollivit tam venustæ pietatis opinio ferocia multorum corda, fraterni tamen livoris frena cohibere nequivit.

Sed ajunt, divo illi Thomæ Aquinati refragari, & contradicere, oppositum docenti. *Id sanctum illum Virum docuisse non ambigimus. Probat auctoritatibus & rationibus, etsi solubilibus, Virginem Mariam originali delicto fuisse obnoxiam.* Vos autem communem cum eo opinionem fictis probare miraculis, falsis & excogitatis revelationibus, strophis perversis, hæreticis persuasionibus aggressi estis. Non vos damnavit opinio, sed incendit probatio. Individuam cum Viro sancto habetis propositionem: sed discretam probationem. *Non estis vos primi, qui hanc propositionem tenetis; sed nec ultimi, cum Divo Thoma sic æstimantes:* Hoc verò medio vestro Conclusionẽ vetustam colorâsse firmâsseq; ausim vos fortasse dicere primos. *Fortasse dico,* ob id, quòd Frater ille vester, quem Christi vulneribus insignivistis, stigmatibus falsis, fassus est, firmiter se crediturum; *Catharinam Senensem tam nefario commento ac ficto mendacio fuisse deceptam, quo ausa fuerit dicere, revelatum sibi Virginem Mariam in peccato originali fuisse conceptã;* quę quidem Fratris verba vehementer poterunt in multorum cordibus su-

suspicionem generare. Propositi tamen nostri est, de omnibus modestè sentire, remque ipsam ut justè terminata sit, narrare. Quare scholasticas hujus quæstionis relinquamus concertationes, & hæreticorum infelicitatis recitemus historiam.

Infelix quatuor Hæreticorum Ordinis Prædicatorum Historia & inaudita narratio.

Año, ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi, *Millesimo, Quingentesimo, Septimo*, in Civitate Bernensi, Lausanensis Diœcesis, *pullulavit & exorta est hæresis omnium planè nequissima, quâ nulla major audiri poterat, sed neque cogitari.* Cujus quidem perversitatis & audaciæ auctores fuêre quidam Fratres ordinis Prædicatorum de observantia nuncupatorum. Quod superbum aliâs nomen, & elatam nuncupationem (cùm ex Evangelio reprobum sit atque justificatum, in eo, qui se dierum festorum ac jejuniorum observatorem jactitabat) non huc citavimus, aut frequentius nominavimus, ut vim aliquam Fratribus tantæ majestatis titulo gloriantibus inferre videremur. Quippe quæ rem gestam in nullius contumeliam me narraturum in epistolari exordio protestatus fuerim: sed ob id, quod aliis venerabilibus & devotis Patribus ejusdem Ordinis nullam ingeramus injuriam, contumeliam, molestiam, habeaturque inter tanti criminis factores & innocen-

tes discretio ac perfecta cognitio, quos scio tam nefaria non ausuros, sed nec cogitaturos quidem, *quæ hi viri sub observantiæ titulo militantes, patrare non timuerunt*. Non de his omnibus mihi sermo est, sed de his, qui Deum non timentes, neque homines formidantes, rem tantæ nequitiæ temeraverêre.

VVigandus VVirt, tam miseræ messis sementarium & occasio.

Ne autem vana spe lectorem demoremur, infelicitatis eorum historiam dicam. VVigandus quidam, cognomento VVirt, sacrarum literarum Professor, & Magister Ordinis Prædicatorum de observantia nuncupatorum, *vir vafer, audax*, cui cùm in Francophordia esset officium prædicationis commissum, nescio quid titillationis, vel suscitabuli *cum ejusdem civitatis Plebano incenderit*, & in contumeliarum focum inflammarit, publicis quoque prædicationibus suis multiplicatione, *contemptius ac procaciùs, quàm religiosum, & divini verbi seminatorem deceat, impulsârit*. Quod viro ita bilem movit & choleram auxit, *ut & ipse palàm in concionibus suis ad plebeculam suæ curæ subditam reclamaret, & verbum verbo rependeret, similésque vices, si non majores, refunderet.*

Res

Res profectò infirmis animis & pusillis corde nunquam profutura! Enimverò quis est à Republica Christiana alienus, & non vehementer doleat, *cùm ab his, per quos erudiendus est Dei populus, tam impudenter cernit scandalisari potiùs quàm erudiri: meretriciter que mutuis contumelijs sic publicè convitiari ac insultare, id quoque copiosius perpetrare, quod in subditis acriùs arguunt.* VVigandus autem ille noster, cùm ex quibusdam accepisset se quoque lacessiri, reclamareque plebanum ejus conciones, in propria persona statuit eundem visitare, utque videri posset ab eo, in faciem ejus astabat quàm præsentissimè: paratus audire, si quam injuriam ejus foret irrogaturus. Qui præsentiam tam temerariam ferre non valens hoc se irritari perspiciens, bilem movit, excussæque sunt in cerebrum flammæ furoris, & duo convitia in præsentem VVigandum palam effudit, *quòd scilicet ex numero se non esse gauderet, qui Henricum Imperatorem toxico aut venenato sacramento occidissent.* Taxabat secundò eos & momordit, *quòd nullâ satis festivâ commendatione sertulum rosarum Mariæ Virginis extollere possint:* ausit tamen conceptum ejus originali macula defœdare: sicque id ipsum Mariæ sertulum & crinales canino hoc flosculo originalis delicti de-

turpare, fœdamque rosam hanc in tantæ Virginis coronam implicare. Quibus à VVigando auditis in totius populi contuitu plenissimo boatu reclamavit, dicens: *Mentiris, & ut hæreticus hæc expuisti. Hausit plebs cætera displicentia, & quàm graviter scandalisata est.* Fuêre ex amicis Plebani, tum etiam ex his, qui suo Pastori & Rectori astandum putabant, ferebantque sinistrè; ut verbis eorum utamur: *cucullatum Monachum in tam inclytæ civitatis insigni & capitali Parochia tanta temeravisse, ac in eorum contemptum reclamâsse, mortémque ei minati sunt quocunque divertisset.* Quo audito vitam fuga salvavit. At mansit alta mente repostum judicium & censura pulpitaria Plebani Francphordiani: tanquam insigniter se læsos Romanæ sedi, sed intelligentiùs & veriùs, Romanæ sedis conservatori, conquesti sunt, querelis haud minimis, contra Plebanum impositis, quo nedum in personas, sed totius ordinis integritatem invexisset, nunquam cogitata crimina objiciendo. Sicque in id generis multa prorumpentes, sedem Apostolicam, seu ordinis sui conservatorem clamorosis vocibus pro vindicta seu administratione justitiæ impetebant, obtentóq; Commissario Doctore Thoma VVolf, Viro in hisce rebus consummatissimo, Plebanum citarunt. Qui comparens celeberrimi Doctoris Sebastiani Brant, advocationis patrocinio functus est. Perpensaque diligenter ejus negotii occasione, prin-

cipio, medio, fine, excessus quoque enormitate in VVigando, qua etiam muti silentium provocare potuisset, invocet, in causa sic est judicatū, quòd ipse VVigandus stomacho & indignatione repletus abscessit, *eò quòd pro voluntate sua non fuisset vivus excoriatus, quod tamen judicio suo & intento certiùs sperabat.*

VVigandi vindicta in Commissarium, Advocatum, & plerosque alios.

At VVigandus ille noster Apostolico Commissario has vices impendere studuit. Libellum enim, multis contumeliis plenissimum, conflavit potiùs, quàm ediderit, in quo tam prodigè livorem effudit, ut nullius honori aut dignitati parceret: sed nec in simili væsania cuique secundas vices concederet. Iudici, inquam, qui pecunia corruptus fuerit, objecit, eò quòd Plebanum Francphordiensem nulla revocatione obtenta, absolvisset, *Bernardinum de Busti*, Leguleum consummatissimum, qui mundæ Virginis conceptioni faverit, *causidicum mendacissimum & turpissimum descripsit*, Generali Vicario Ordinis Fratrum Minorum de observantia, unà cum suis Fratribus Heydelbergæ pro Virginis immaculata conceptione disputantibus & concludentibus, sic illusit, *quòd non ob id sanctiores censeri debeant, quia grossis sint fu-*

nibus cincti, mordari cappa & calopodijs in truncum formatis vestiti. quódq; doctrina eorũ sit maledictis, blasphemiis, mẽdaciis, figmentis; vita verò hypocrisi & simulata sanctitate cum invidia immortali plenissima: Sebastianũ item Brant, celebratæ doctrinæ, & nunquam intermorituro nomine, virũ cognitissimum ita suis contumeliis, injuriis, convitiis discerpsit hominem vivum, qualiter non solent etiam feræ bestiæ discerpere cadaver ejectum & emortuum. Post quem Iohanni Spengler, Fratri Minorum Ordinis de observantia sic maledixit, ut illius famam & vitam non parum denigraret ac obumbraret. Sed nec illi satis fuit lacessere viros vivos, quin etiam ægerrimè ferret, sanctis Doctoribus & viris emeritis pro eorum, in Rempublicam Christianam, diligentia, epitheta dici honoris, Divum videlicet Bonaventuram, Seraphicum; Alexandrum, irrefragabilem; Scotum, subtilem, nescio quam de quodam caseo inducens fabellam, turpiter erravisse contendit, qui hisce Doctoribus hunc honorem, decore nuncupationis impenderunt. Cujus quidem libelli temeritatem & à vero deviam superbiam reprimere curavit Archi-præsul Moguntinus, qui præceptione provida viri tam procacis dedignatus est importunitatem, mandavitque sub anathematis vinculo hujusce libellos incendi, deleri, ac penitus incinerari. Cavit quoq;, ne quis illos vendere præsumat, comparet pretio, aut quovis titulo vel colore acquirat. Quo remedio viris inculpatis præterfas

fas & justitiam subventum est,& ipsorum dignitati suffragatum. VVigandique improba,malevola & contumeliosa verborum proluvies,superbaque arrogantia repressa est & cohibita. Iohannes verò Spengler,qui se cæteris plus læsum non dubitavit, Romam profectus est, de VVigandi injuriis conquesturus. Citatur ob id Romam VVigandus ipse, de enormitate & excessu tam frivolo responsurus. De cujus citationis, executionisque processu longum esset & superfluum hoc loco recitare. Formidantes autem Patres sui, præter optatum,illi quiddam in Romana Curia evenire,miraculis falsis, apparitionibus fictis,truffis perversis, ei subveniendum in Capitulo VVimpinensi decreverunt, non omnes tamen ut verè creditur, sed quos tanti criminis non puduit esse socios,& auctores. De quo maledictam historiam auditurus crucis te signaculo firma,ne te divina clementia in eam sinat cæcitatem pervenire, ut pro terreno & perverso mendaciorum subsidio tuam pauperculam animam sic Dæmoni impignores,ut pleno dominatûs imperio illi tribuas possidendam.

Consulitur de loci dispositione,eligiturq; Berna tam nefariæ excogitationi aptæ.

Fuêre ex illis qui excogitationi huic Francphordiam delegerant,utpote civitatem,ad quam ex omni Germania, Galliaque confluerent Mercatores, qui hoc ipsorum negotium ad omnes mundi par-

tes deferrent, brevique tempore denunciarent. Namque consultum videbatur eis, si absque eorum diligentia revelaretur, & convalesceret negotii & opinionis suæ testimonium. Reliquis tamen renitentibus ob Archipræsulis Moguntini vicinitatem, qui rem tantę novitatis non sineret inexaminatam, relicta est Francphordia, ad negotii executionem inepta & indisposita: Electaque est Norinberga ex simili ratione disposita, quòd ex diversis mundi partibus illic conveniatur, quo præsumeretur, rem hanc quàm citissimè à Mercatoribus publicari, sed & ipsa Norinberga dimissa est, præveniri timentes negotium providentia, & excitatissimis ingeniis incolarum: doctorum inquam virorum illic est ingens copia & innumerabilis multitudo, qui sine diligenti perquisitione rem hanc sceleratam non sic passi fuissent adolescere, crescereque in tantam messem hoc venenatum sementarium. Ideoque Bernam tandem elegerunt, utpote civitatem simplicem, rusticam & indoctã, sed pugnacem, bellicosam & potentem. Simplicem ob id elegerunt, ne fraus & deceptio providentiâ doctâ perderetur: Potentem tamen, ut si persuasi fuissent negotio credentes, suâ potentiâ essent opinionis testimonium defensuri Bernenses esse potentes non ambigimus: esse tamen & credere simplices, sine cachinno nequaquam recitamus. Quare longè aliter de ipsis sentiendum erat.

Dæ-

Dæmoni, ut auxilio eis sit, & consilio, animas proprij sanguinis chirographo firmârunt.

Non te prætereat, Lector amice, fastidiosam hanc excogitationem tam pertinaciter tentatam, non aliam ob causam fuisse inceptam, quàm in exitiũ & deletionem immaculatæ conceptionis B. Virginis Mariæ, quam cùm Fratres Minores usque ad mortem hactenus tutati fuerint ac defenderint, necessarium ex consequenti fuit, etiam in eorum personas, ordinem & doctores moliri insidias, & crimen incidere læsæ fraternitatis. Neque id scientia vel doctrina tentandum putabant, ex quo Minorum ordo eandem immaculatæ conceptionis opinionem insigni triumpho tutârit. Ideo aliud vincendi medium perquirentes, miraculis id fictis & falsis facere aggressi sunt. Cujus temeritatis quatuor Hæresiarchæ nequissimi fuère operatores. Primus, Conventus Bernensis Prior, Iohannes, dictus Vetter; secundus Stephanus Bolshorst, S. Theol. Doctor, ejusdem conventus Prædicans: Tertius, Franciscus Vlschi Subprior, & quartus Henricus Steineccer, Procurator Conventus. Hi ergo quatuor Patres assumptum onus negotiumq; prætensum prægrave sentientes, & de suis viribus diffidentes, *Dæmonis implorant auxilium*, qui arte Necromantiæ, per Franciscum Vlschi, adjuratus, à tam sibi placito negotio abesse non voluit, *sed in ipsorum quatuor faciem præsenter & coràm, in forma Aethiopis*

pis cõparuit, adjurationis & implorationis virtute vigore, ac opera & auxilium se fideliter prestiturum spopondit, invictaque fide pollicitus est. Suæ verò mercedis præmium animas eorum hic & in futuro expetebat possidendas & proprias. Hi autem quatuor infelicissimi Viri sanguinis, passionisq; Christi & propriæ salutis immemores, juxta Demonis postulationes, *& eorum quolibet chirographo suo, proprio sanguine scripto consensum roboravit ac ratificavit*; horresco referens. Qui Cacodemon, mendaciorum Pater chirographo accepto fidefragus abscessit & disparuit. O Deus, quàm frivola mortalium audacia! Tentare contra divinam ordinationem, non dico peritura hominis ope, sed Sathanæ nequissimi subsidio immaculatum conceptum obfuscare!

Frater ad Ordinem suscipitur.

Cogitantibus autem illis, quale nam miraculorum genus portentum excogitarent, quo ex hominum cordibus immaculatæ conceptionis deleretur opinio, evenit tempore intermedio, ut Laicus quidam artificio sartor, cui nomen Iohannes Ietser, ex oppido Zurzach, Constantiensis Diœcesis, pro sui ordinis habitu deprecaretur. Quem vacuis manibus venisse rati, copiam se Fratrum habere responderunt, sufficienterque provisos, ideoque petitioni ejus condescendere nequirent. Qui mox subjunxit: Non ero conventui vestro oneri, neque gra-

gravamini, quippe qui quinquaginta tres florenos ac pannos sericos mecum tuli, in vitæ meæ subsidium, sumque de honestis Parentibus genitus, non ut inveniatis quo me puderet. Quæ florenorum vox, ut auribus eorum insonuit, pectora eorum ita emolliivit, sicut solet liquefieri cera in facie Solis. Quid non mortalia pectora cogis, Auri sacra fames. Simulantem autem totum eorum conventum se interrogaturos, abierunt, inter se tractantes, quò pecuniam hanc partirentur, ut cuique cederet pars & tunica. Regressi igitur Iohannem præfatum dare promittentem receperunt, quem, tamen antehac propter Deum petentem, repulerunt.

Simplicitas Fratris negotio miraculorum præstitit occasionem.

Ordinem igitur ingressus, sed ordinis habitu nondum recepto divertebat noctu, quò se adventicii & hospites recipere solebant, illic dormiturus. Quem cùm Franciscus Vlschi Subprior simplicem idiotam ac rusticum advertisset, hic occasionem sumpsit cum eo, utpote non intelligente miraculorum negotium aggrediendum practicandumque illum nihilominus de simplicitate tentavit. Nam noctis silentio lapillis quibusdam in ejus cameram injectis, pulsationibus multifariis turbavit, &, ut spiritus solent, vexavit. Franciscus autem, illucescente die, illi se obvium dedit proposito & voluntate, auditurus, si quam Frater de vexationibus suis facturus esset questionem, quo de ejus simplicitate, formi-

midine ac pusillanimitate minimè dubitaret. Hunc cùm Frater ille vidisset, mox, O Pater, dicebat, quanta sum hac nocte perpessus. Illusit mihi namque spiritus quidam, & vox faucibus hæsit: tanto fui terrore perculsus, ut nescíverim quidem, me vitam habere. At Subprior ficto pectore respondit, & se quoque spiritus illic quandoque temporum audivisse: nec id jam novum, sed asiduum, quare eum læti cordis esse debere, nec aliquid formidare periculi adhortatus est, silendum sibi præcepit, donec ex eo & Prioribus de hoc informaretur latiùs, quibus rem hanc dixit detegendam, explorandumque quid illic lateat. Quibus dictis Fratrem consolatum relinquens abiit, & Patres alios criminis socios de hoc informavit.

Spiritus fictus Fratri revelat, quo liberari possit.

Annò igitur millesimò, quingentesimo, septimo, in nocte trium Regum negotium miraculorum cœptum est fraude & dolo, ut sequitur: Tempore jam dicto Iohannes prædictus, Frater conversus ordinem induit. Asignaturque illi camera Procuratori, hujus negotii conscio, vicina & contigua. *Venit ergo noctu larvatus Franciscus Ulschi, & linteo insutus ac circumdatus, spiritum se simulans, cameram ingreditur lugens & plorans, purgatorij intolerabiles se pati pœnas exclamans, voce,* ut potuit, mutata

c ficta, ne vox hominem proderet: scelus immane & detestabile crimen! Sed hoc te non prætereat, Lector amice, quod die hanc illusionem præcedente, campanulam in Fratris cellam suspenderant in spiritus adventu per eum pulsandam, ut & ipsi tanquam facti hujus ignari Spiritum venirent visuri, audituríque. Et quò minùs à fratre notarentur, cereos benedictos, similiter & aquam exorcisatam cum certis reliquiis Sanctorum, & portione sanctæ crucis non parva, Fratri contulerant, quibus securior & munitior factus, intrepidè spiritui colloqueretur: quo jam consilio perverso habito inter se, quid illi dicendum foret, ad plenum informatus erat. Redeo ergo ad historiam. Spiritus ille larvatus, cùm Fratrem suo clamore & ejulatu horrendo terruisset, caput suum ex timore linteamini involvit, & abscondit, vertitque se ad parietem: *DEUS te juvet, dicens, quoniam ego te juvare non potero:* Quibus dictis mutus ferè penitus effectus loqui non potens, at spiritus, se non curari prospiciens, timore nimio Fratri appropinquans, vestimenta singula quibus tegebatur detraxit, sed Frater mox timidus ad parietem se vertit, denuo repetens, juvet te DEUS, quoniam ego te juvare non valeo, nihil responsi amplius addens. Spiritus autem in responsum Fratrem cogere volens, manu guttur ejus apprehendit & pressit. Qui se moriturum timens, in vocem prorupit, & quidē validam. *O huy! o huy! quomodo juvari poteris?* Abi procul & abscede hinc; quæ Fratris questio cum

cum spiritui placuisset, manum retraxit, & Fratri dulciter absque terrore respondit; Frater sancte, qui relictis mundi vanitatibus tam sanctis & devotis Patribus te junxisti, tu, inquam, es qui me una cum illis juvare poteris, si cordi mea verba tibi fuerint, ac fideliter tuis Patribus revelare curabis, quæ tibi dixero. Cui Frater; Et quonam modo id fieri potest edoceas; *Si octo diebus*, respondit spiritus, *continuis, usque ad sanguinis effusionem te disciplinaveris, & missas octo in capella sancti Johannis legi feceris, posuerísque te pronum in terram in crucis formam, atque submissis illis Pater noster, totidémque Ave Maria oraveris, animam meam ex tantis pœnis liberabis.* Sed & terram ad singulas orationes deosculaberis, in Iudæ præditoris osculi memoriam, quo Christum prodidit: quæ singula se fideliter Patribus narraturum Frater promisit. Missas, ait, legere officii mei non est, quod ego possum, faciam: quid illis faciendum, hortaris, referam fideliter. Subjunxit Spiritus, referas cui voles, sed cura quòd jussa mea non prætergradiaris, exspectabisque adventum meum feriâ sexta futura; sunt namque mihi plura tibi enodanda, vide ne terrearis, nam ducam mecum spiritus alios, *qui mihi usque nunc intollerandā hanc pœnā inflixerunt*, erunt aspectu horribiles, clamore formidabiles, sed tu ne timeas, ob id enim terrorem incutient, quod à me

à me sint exinceps abscessuri; *Quis tam est stultus, ut non videat fictionem hanc in vanam religionis famam excogitatam? quoniam jubetur ea deceptoriæ religionis ostentatio in capella sancti Johannis, in medio Ecclesiæ, fieri; ut clamor totam civitatem non dico adimpleat, sed obruat, & una cum tota provincia involvat: Sed quæ fama? Ea videlicet, quàm sint sancti Patres Prædicatores in Berna; id argumenti, est quòd spiritus eorum implorent auxilia, quæ si non estis credituri; currite, currite veloces ad Ecclesiam Prædicatorum. Hic celebrat, hic orat, hic terram deosculatur, hic disciplinatur ad sanguinis effusionem:* Sed, ut reor, non virgis, vulpina potiùs cauda. O quænam hæc est divinitatis appetentia, quæ arrogantia, quæ fraus & deceptio? *Tu, si oraveris Patrem tuum, ingredere in cubiculum tuum, &c.* Curam habe de bono nomine, quod ex virtutibus tuis proveniat, non quod fictis excogitationibus adornetur. Sed obtenebratum est insipiens cor eorum: Tempore verò tam religiosæ ostentationis tantus erat populi concursus, sicut solent advolare multitudine maxima ad nundinas, sive Ecclesiarum annuas dedicationes. *Fama ingens & mira commendatio sanctitatis in cælum usque tollitur;*

pedes acquirit eundo,& pariter facta atq; infecta canebat. Ex quo pauperes Fratres Minores in Berna, in tantum devenere contemtum, *ut in illos expueretur,& viæ,qua graderentur,maledicerent , quem contemptum Doctor Stephanus, unus ex quatuor Hæresiarchis,augere & cumulare etiam publicis concionibus curavit.* Habet enim in Berna *Fratres Minores confraternitatem sancti Jacobi*, ex qua pauperes victum acquirunt non modicum, quam ad se trahere Doctor Stephanus nitebatur, palàm populo prædicans: *Nolite in locis non reformatis fraternitatem erigere,ubi eleemosyna vestra turpiter dissipatur & consumitur,quales enim sint Minores,odore narium dinoscite : Eorum equidem habitus vino potius imbuitur, quàm religione,devotione,tabernarij sunt & vini amatores;* id prædicatum fuisse omnibus constat. Sed & Prędicans Fratrum Minorum id non tollerandum putans, verbo verbum rependit,dicens : *Si ad nos cives amici ingrediuntur honestè nobiscum potaturi,expellemus ne,quorum eleemosyna vivimus? Hæc mea cappa,& si vini habeat odorem, vestra tamen infanda & maledictæ hæresis habet nidorem, ne odorem dicam:*

cam: Hic quàm verum dixerit, exitus ipse probavit.

Ficti Spiritus apparitio secunda, cum eorum excogitatis falsitatibus.

Certiores autem esse cupientes de Fratris simplicitate, Doctor Stephanus, Fratris Confessor factus, in confessione sua diligentem fecit perquisitionem: Si quid de illius spiritus negotio dubitaret, se quoque dubitare simulans, Fratris explorabat intentionem: qui, cùm se nullatenus ambigere affirmabat, constanter affirmabat, rem illam à vero nullo modo exorbitare, de cujus constantia gavisus Doctor, factum hoc suasit, hoc modò, latiùs pervestigandum. *Duas enim particulas Domini nostri Jesu Christi ad dormitorium tulerunt, unam ad cameram Procuratoris: alteram ad cujusdam Fratris cellam ex opposito collocârunt.* Factum hoc pessimum colorantes, & his sacris obcæcantes Fratrem, dixerunt, se experientiâ exploraturos, si bonus sit spiritus, nec ne: nam malignum spiritum tanti Sacramenti non posse præsentiam ferre, auribus Fratris firmiter inculcabant. Eo Frater animosior factus, ac persuasus, promisit, se spiritum, cùm rediret, adjuraturum. Nocte igitur feriæ sextæ sequenti, statuto tempore spiritus comparuit, secumque duos larvatos ex utraque parte currentes adduxit clamore horribili alternis

vicibus clamantes in Fratris camerá insilierunt. Frater autem, ex Dominici corporis sacramento animosus effectus, spiritum, prout edoctus erat, adjuravit: Spiritus autem adjurationi, utpote voluntarius, paruit, & ad singula, conjurationis sacramento victum se fingens, ordinatè respondit: quas revelationes ex ordine ponere placuit, ne quid confusionis adolescat. *Revelatio prima*: Hos, ait, spiritus, quos mecum venisse cernis, maligni sunt spiritus & cacodæmones, quibus à Deo potestas fuit puniendi me, & in præsens usque pœnam irrogare, qui mox ad hæc responsa clamore valido abscessere. Quos ob id tanto clamore cessisse asserunt, quòd eum relinquere coacti fuerint, precibus & disciplinis suis suorumque Patrum intervenientibus. *Revelatio secunda*: Ego, inquam, Frater mi dilecte, ut mei statum plenè dinoscas, secularis olim sacerdos fui, promotione studii Magister artium, religionemque hanc, in hoc conventu intravi, tandem in Prioratus officium sublimatus. De quo absolutus brevi post tempore ægerrimè tuli, ad majores promotiones animo vindicandi anhelans, Parrhisios, studiorum causâ, concessi, librum unum ex bibliotheca conventus auferens. Deflexit animũ meum societas perversa, quòd mutato habitu, noctu, nullo sciente, civitatem ingrederemur insolentiæ ac dissolutionis gratia. Ego autem ipse tertius eram. Cumque à similibus nobis secularibus impeterenur, interempto me, alterum quoque occiderunt: tertio vix aufugiente. At duo socii mei æternaliter condemnati sunt, reservato me, divinâ gratiâ, & clemen-

mentia usque in hanc horam. *Fuique excommunicatus, propter nuptæ mulieris introductionem.* Namque eo tempore conventus reformatus non fuit, uti nunc est. Dicasque Patribus tuis, ex parte mea, gratias, quas potes, de ipsorum intercessione, quæ me ex pœnis his gravibus liberavit. A quibus tamen nondum planè liberatus sum, donec triginta missas Patres mihi ordinaverint legendas, cum quatuor vigiliis: *ex hinc liberabor à pœnis, quas centum & sexaginta annis pertuli.* Relevatio tertia. *Frater sancte, scito, hunc Ordinem nostrum præ cæteris omnibus esse approbatissimum, omnémque Ordinis nostri doctrinam fundatissimam, solidissimam & verissimam, quamvis certi Fratres aliarum religionum invidia permoti, eam certis in locis credidere suspectam.* Quare ex illis jam plurimi pœnas luunt purgatorii. De opinione conceptionis Mariæ virginis loquor, quam divus Thomas in originali peccato conceptam, Spiritu Sancto edoctus, descripsit: *Cui doctrinæ sanæ ac sanctorum sententijs consonæ Fratres Minores usque nunc adversati sunt, nostris Fratribus contradicentes. Quare invicem multis insurgunt jurgijs, litibus & insultibus, hi scilicet; qui ex duo-*

bus Patriarchis, Dominico & Francisco Fratres in exordio sunt constituti. Sed tu firmiter crede, nec te moveat, Minorum fallax opinio, Virginem Mariam in originali conceptam, *cùm naturalis filia Adæ fuerit, in quo omnes peccaverunt, & per quem mors intravit in orbem terrarum.* Revelatio quarta. *Ideo, benedicte Frater, scito, ob id hanc civitatem Bernam perituram, ruituramque penitus, & terra, divina id ultione, volente absorbendam: quia non expelluntur hinc Fratres Minores, qui sanctis nostris oppositum docent*, opinione mendaci Virginem gloriosam adornant, quæ profecto ex nugis eorum honorari non quærit, tum, quia tollerantur hic vitam ducentes non reformatam. Subest adhuc & ratio alia tam diræ in hanc civitatem vindictæ, quia à Rege Franciæ annuam accipiunt pensionem; Ideo eis irata est Virgo Maria, & Christus Iesus, exspectatque eorum merita pœna in foribus, non longo post tempore differenda. Revelatio quinta. Notum tibi insuper facio, beate Frater: *Alexandrum de Hales non vulgo doctum virum, in Purgatorij pœnis detineri,* ob id, quòd veritatis opinionem, Virginem videlicet Mariam in originali delicto fuisse obnoxiam, reliquerit: Aliorumq. sui ordinis Fratrum sentimento, contra Sanctorum opinionem,

nem, adhæserit. *Johannem verò Scotum, cui epitheton subtilitatis finxerunt, in eisdem pœnis cruciari, ego ipse conspexi, quoniam ob mea demerita etiam ipse detinebar: Quos mox cognovi, divina mihi clementia concedente, eam ob causam, quòd ipse Fratribus Minoribus causam præbuerit occasionémque opinionem illam publicè eo manifestè fateri, palàm prædicare, & docere procaciter.* Erant quoque illic adhuc quàm plures alii ex eodem ordine, quorum nomina Deus novit, qui nobiscum de hac opinione certârunt, illamque contra sanctos Doctores protervè defenderunt. *Revelatio sexta.* Hac igitur duorum Ordinum controversia non obstante, reconciliandi sunt hi duo Ordines per sanctum quendam virum, quem modernum Pontificem Romanum intellexêre, quem ob id sanctum dico, quòd à triginta annis à Deo, in hujusce reconciliationis negotium, prævisus sit. *Hic pro opinione indulgentias dabit plenarias, majores his, quas Sixtus olim Pontifex in eam solennitatem donavit.* Demum scito, me in septimum chorum sublimandum: ibique perpetuò divina facie fruiturum. *Revelatio septima.* Notum tibi sit, sancte Frater, quòd semel ab hoste maligno tentatus fueris, *introeundi ordinē Charthusiensium, relinquendíque nostrum, jám-*

que susceptum. Id si fecisses, quinque catti nigri te penitus discerpsissent: adeò divinus noster ordo placet, ut omnibus sit Deo acceptior chariórque. Credo ego quippe te hoc in memoria habere recenti quòd semel in Rhenum dilapsus morti & submersioni propinquus fueris. *At ego tibi dico, quòd meritis cujusdam sanctæ Virginis, cui devotus exstitisti præservatus es.* Nomen autem Virginis Fratre efflagitante, ut gratias referret pro tanto beneficio, Spiritus respondit; *In Festo annuntiationis Mariæ Virginis cùm ipsa personaliter ad te sit ventura, non opus est tibi eam nominare. Illam igitur statuto tempore expecta devotius quo poteris.* Ad utilitatem, inquam, tuam & salutem animæ tuæ multa tecum est locutura. Sed miraberis, Lector amice, unde nam hæc spiritui ficto cognita sint. Propositum Fratris ad Chartusianos, & casus in Rhenum, scito, Fratrem illa Doctori Stephano fuisse confessum, qui hæc Spiritui prodidit, *Revelatio octava.* Si autem Patres tui nomen meum, & cujas fuerim, scire cupiverint, dicas illis, quòd Henricus Kaltburger mihi nomen fuit, Sacerdos secularis, antequam hunc fui ingressus ordinem, natus ex civitate Solodorensi. *Hoc autem nomen meum in libro anniversariorum non est positum. Ideóque abs te humiliter expo-*

posco, ut inscribatur. Heu quàm inanis & fatua hæc hæreticorum fictio!

Exploratur Spiritus, si bonus sit nec ne.

Ne quando autem dubitaretur de Spiritu hoc, objiceretúrque eis, malignum fuisse spiritum, huic tacitæ objectioni dubitationíque altera fraude responderunt modo, quo sequitur. Nam Doctor Stephanus crebrò confessionem Fratris audivit: si in aliquo dubitaret percepturus. Qui cum se nullatenus de spiritu hæsitare diceret, finxit se Doctor nihilominus dubitare. Feci, inquit, epistolam, oblongam cruce signatam ac sigillatam, in qua novem quæstiones continentur, has inclusi in locum, ad quem nullus, præter me, claves habet. Tu autem, quum ad te Spiritus redierit, jube, ut literas auferat, & tibi ad quæstiones meas respondeat. Has literas, si abstulerit Spiritus, nequam esse non potest: quippe qui crucem signatam non sit ablaturus.

Quæstiones nequiter Spiritui in Epistola Doctoris Stephani factæ.

Prima quæstio. Si Hieronymus Savanorola Ferrariensis justè vel injustè à Pontifice maximo Alexandro sexto, igni adjudicatus fuerit, cum suis complicibus, in civitate Florentina? *Hunc constat nequam pessimum, & hæreticum ne-*

quissimum fuisse. Sed hac quæstione fraudulenter, per eos proposita, in coronam martyrii veniet sublimandus, *ut sedem Apostolicam de innocentium oppressione inculparent. Secunda quæstio* de statu fuit Alexandri sexti, Pontificis maximi, in alio seculo si pœnas luat, quòd Hieronymum prædictum Hæresiarcham igni adjudicârit? Ecce, Lector amice, quanta nequam isti pessimi in sedem Apostolicam machinantur. *Tertia quæstio*: Si beata Virgo Maria, originali peccato fuerit obnoxia, aut mundè concepta! *Quarta quæstio*: Quisnam sit ille vir sanctus, de quo supra Spiritus mentionem fecit, qui ante triginta annos ad hoc à Deo fuerit ordinatus, quòd festum immaculatæ conceptionis deleret, duos hos ordines reconciliaret, *& conventus Argentinensem, atque Thuricensem reformaret?* O formosæ quæstiones! Quis tam esset fatuus, ut fraudem non notaret? *Quinta quæstio*: Et quisnam ille sit de ordine Fratrum Minorum doctor famosus, quem in Purgatorii pœnis Spiritus retulit detineri, cujus causa fuerit & occasio, quòd opinionem illam inducere conatus sit, quòd beata Virgo sit sine peccato originali concepta. *Sexta quæstio*. Vtrum doctrina divi Thomæ Aquinatis Deo foret accepta, non obstante, quòd Fratres Minores eam in plerisque locis arbitrati sunt suspectam, & à veritate exorbitantem. *Septima quæstio*, de sancto Bernardo mota est, quem post mortem suam cum macula in pectore ferunt apparuisse, eam ob causam, quòd Virginem Mariam

riam in originali peccato conceptam crediderit, si verum sit eum ita visum, an fortasse ab æmulis confictum? *Octava quæstio*, de vespis fuit, quæ apud sepulchrum sancti Bonaventuræ apparuere post illius mortem, eò quòd & ipse pœnam solverit opinionis Fratrum Minorum, de conceptione Virginis Mariæ, quam tenuit & scripto approbavit. *Nona quæstio*; Certificari cupiebat Doctor Stephanus de tempore, quando duo illi conventus *Argentinensis & Thuricensis essent à sancto illo viro reformandi.* Vide, perchare Lector, & perpende diligenter, quæ fuerit horum virorum reformatio: Filii, inquam, DEI de regno cœlorum certant, ubi filii Dæmonis de terrena possessione certare solebant. Non credo, tam simplicem aliquem lectorem futurum, qui per has quæstiones non cognosceret quærentis perversitatem. Hac epistola, ut promittitur Fratri, commissa Spiritus eidem apparuit, & sese abscessurum nuntiavit, quia ventura esset ad eum virgo, cui devotus extitit, quæ eum de singulis quæstionibus esset ad unguem informatura.

Apparitio larvatæ Barbaræ Fratri facta.

Nocte ergo Annuntiationis Virginis Mariæ Subprior, mentitus sexum, in specie formosæ virginis apparuit, nuntians ei Spiritum nun-

nunquam rediturum. Sed quòd devotione, qua posset, Virginis Mariæ adventum præstolaretur, quæ ad eum ventura esset, de multis cum eo locutura. Et Frater: Quis tu ergo sis edicito mihi? Respondit: Ego sum Barbara Martyr Christi, quam singulari devotione prosecutus es. Audivi, Deo id permittente, quid tecum Doctor de epistola sua locutus est. Quam ego apprehendens Virgini Mariæ præsentabo. Hæc, inquam, eum una tecum de conscriptis quæstionibus latius certificavit. Dehinc honesto loco recondetur, ut dubitari non possit, maligni spiritus esse figmēta, sed omnipotentis Dei miracula. Quibus dictis abiit, acceptâ epistolâ in statuto loco collocata. Frater ergo, novo apparitionis modo gavisus, campanulâ quam ad hoc suspenderant, pulsavit. Quam cùm mox audivissent, utpote conscii accurrerunt, qui primo advenienti statim dixit. Nescio quid aliud quàm antehac apparuerit mihi, dicens, & Virginem Mariam post se apparituram: Doctor autem veniens, ad confitendum, Fratrem adhortatus est, ut Mariæ Virginis adventu dignus & mundus inveniretur: Fallax autem Barbara literas & epistolam Doctoris quæstionibus plenam ante Sacramentum Eucharistiæ collocavit, quam Doctor casu se invenisse simulans ad Fratrem rediit. O perbenedicte & sancte Frater, gaude, quæsò, nobiscum, inquit, inventa est epistola in loco tali, in quo maligni spiritus comparere non audent. A me omnis dubitatio de Spiritu est aliena, quia bonus est Spiritus, effectu hoc ostendente.

Si-

Sigillaverant autem ficto cruore, sed potius colore sanguineo literas illas, ex Christi Jesu lateribus signatas affirmantes. Hunc colorem ex Lasaro quodam, ut & in sequentibus patebit, baptisato Iudæo, habuerunt illuminista, qui hujuscemodi colores facere noverat, suo tempore & ipse mercedem suam recepturus, nullo dubitante.

Mentiti sexum in persona Virginis Mariæ apparent.

Evanescentibus autem Spiritibus, ac fallacis Barbaræ apparitionibus, tandem in eam dementiam delapsi sunt, ut etiam in persona Virginis Mariæ, proch dedecus! ausi fuerint apparere. Quæ tempore matutinarum ad Fratrem veniens, se Mariam esse, cœloque venisse testata est, multa ei revelatura, quas revelationes, & ad prędictas Doctoris Stephani quęstiones responsivas per ordinem ponere placuit. *Revelatio prima.* Revelavit itaque primo hæc ficta Maria, Spiritum, de quo supra, longa & tædiosa mentio est habita, bonum fuisse Spiritum, à Deo missum, & eorum precibus, disciplinis, ac Missis fuisse liberatum, & in cœlum sublimatum, de quo dubitare non deberent. *Revelatio secunda.* Secundò dixit: Frater sancte, te ignorare nolo, *quis sanctus ille vir, qui conventus Argentinensem & Thuricensem reformabit, de quo Patres tui dubitant, quisnam ille sit:* Scias, hunc Iulium Pon-

Pontificē modernum esse: is, inquam, finē imponet contentioni de mea conceptione, *& quòd in originali peccato sim concepta determinabit, dabítque indulgentias largißimas, & novam de hoc festivitatem instituet, majore ac uberiore gratia, quàm Sixtus quondam Pontifex Maximus pro solennitate immaculatæ conceptionis dederit.* Ideóque mittam illi crucem sanguine Filii mei tinctam, à qua virtutem & adjutorium accipiet, hanc materiam terminandi: *Juxta quem verum sanguinem Filij mei tres guttas lachrimarum comperiet, quas Filius meus flevit super ingratam Hierosolymorum civitatem.* Hæc ergo tibi dona do, Pontifici Iulio mittenda, in verum conceptionis meæ testimonium, quòd ab Anna matre mea peccatum originale contraxi: *Hæ tres guttæ, tres horas significant, quibus in originali peccato fui, post quas gratia filij mei liberatus sum.* *Revelatio tertia*: Ecce Frater, accipe hos panniculos, quibus Filium meum in Ægyptū fugiens involvi: Dóque tibi vitrum hoc plenum sanguinis Filii mei, pro salute hominū effusi, hunc sanguinem guttatim ribaldi & pessimi nequam Regibus & Principibus impetiti sunt. O quanta temeritas in eis fuit! & hæc omnia, dixit, in signum sint & testimonium data, quòd in originali peccato concepta fuerim. *Revelatio quarta.* Alia insu-

iper est crux, benedicte Frater, quam Patres tui in
ioro coram altissimo Sacramento Filii mei inve-
erunt, quinque guttis sanguineis signatam, quæ
uttæ quinque dolores significant, quos ipsa, sub
ruce stans, perpessa sum. Hanc crucem cum alia,
e qua supra tibi dixi, Pontifici Iulio absque mora
iittas, *sanctiores enim sunt omnibus totius
rbis reliquiis, quas & ipse devotus susci-
iet cum largissimis Indulgentiis: In Ber-
am una nihilominus reducatur*, in tan-
orum miraculorum infallibile & perpetuum te-
imonium. *Revelatio quinta.* Notum tibi facio,
ncte Frater, Ordines Prædicatorum & Mino-
im ab initio fraternè fuisse ligatos, utpote qui
duobus Patriarchis, Dominico & Francisco,
Christo fratribus, normam suæ vitæ suscepe-
ant. *At nunc Fratres Minores crimen la-
è fraternitatis incurrerũt, docentes, meam
onceptionem absque peccato originali, in
xterminium doctrinæ sanctorũ, quod mi-
i vehementer displicuit.* Ideóque accipe hanc
pistolam, Romano Pontifici hoc modo præsen-
ndam. Nuntii erunt, Frater unus ex conventu
urenbergensi, alter Bernensis, tertius Basileensis,
ui tres sigilla suorum conventuũ secum deferent,
*pplicésque rogabitis Senatum Bernensem,
t & ipsi cum his tribus sigillent has literas
ontifici mittendas, qui Pontifex grato il-
las*

las excipiet, & mox expulsis fratribus de communi conventu Argentinensi & Thuritensi reformabit. Revelatio sexta, pro mercede verò laboris & deletione festi immaculatæ conceptionis, quam faciet Pontifex Iulius modernus, nuntiabis illi futuram gloriam cum sancto Thoma Aquinate æquandam, eò quòd ejus doctrinam de conceptione mea verè conscriptam, tutatus fuerit.

Alia apparitio Virginis Mariæ, in qua Frater vulneratur.

Apparuit adhuc personata Maria tempore sequenti, satis affabiliter Fratrem alloquens & dicens: Frater benedicte, à Deo ad te missa ecce adsum, pro tua in Filium meum Iesum Christum, & in me devotione te remuneratura. Quid ergo petiturus sis palàm eloquaris: *cui pauper respondit, quicquid ad salutem animæ meæ conducere tibi filioque tuo Jesu Christo, DEO & Domino meo visum fuerit, id ego humili corde devotus exposco.* Quę subjunxit: Munus & quidem singulare, quod nullus unquam mortalium habuit, tibi sum largitura, *vulnera videlicet passionis Christi Jesu, Filij mei, quæ neque Franciscus, neque Catharina Senensis habuit; sed tu illa deferre prædestinatus es in testimonium conceptionis meæ; quòd in peccato concepta sum.* Quare præbe manum, do-

donum Dei recepturus; At Frater, exigua munera putans, vulnera & dentium extractionem, manum retraxit, & abscondit, quam præsens virgo Maria arripere tentans, eidem reluctari pauper non ausus est, numen esse putans. *Acquiescens ergo, manum porrexit, quæ manui suæ clavum grandem incussit, ac totam vulnere perforavit: Nec alia quatuor incutere valuit pro eo tempore, ut videre possent, quomodo hol vulnus perstare posset, & si illud recens servare valeret, aqua forti aliisque corrosivis, exinceps alia vulnera facturi, prout ab eis consultum fuerat.* At pauper, ex doloris vehementia, exclamabat: O Maria! Cui respondit: Frater sancte, ecce habes signum redemptionis humani generis in corpore tuo, quod deferre debes in testimonium cunctis gentibus, quòd in peccato originali concepta sum: Renovabitur quoque hoc vulnus & donum Filii mei in te bis in anno, die videlicet corporis Christi Filii mei, & Parasceve sancta: Triplicabis ergo devotissimè horas tuas, etsi à mundo irrisus fueris, ut lutum nihil facias. Beati enim, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. His dictis evanuit, &, quid egisset, sociis suis enodavit. Videat Lector, *si totum Ordinem Minorum hac vulnerum excogitatione eradicare non intenderint? aut saltem divi Martyris san-*

cti Francisci non voluerint vulnera reddere suspecta, & utinam jam non fecissent! Sed inter Francisci, & hæc vulnera hoc interest, quòd præsentia vulnera palàm ostensa, prædicata, monstrata Dæmon ipse abscondit: Francisci autem vulnera semper à sancto Patriarcha abscondita, à Deo sunt manifestata, & meritò, Gamaliele inquiente: Si ex hominibus est opus, dissolvetur, si ex Deo, dissolvere non potestis, ne forte Deo repugnare videamini.

Fratri converso residua quatuor vulnera faciunt.

Apparuit denuo nocte sequenti personata Maria more solito, Fratrem salutans, Salve, inquit, Frater non est homo in hoc mundo, qui dolores vulnerum Filii mei sustinere queat, quare tibi gratia mea subvenire curavi. Ecce attuli tibi panniculos hos cruce signatos, quos si manui imposueris, cùm te dolor vehemens turbârit, illorum virtute lenius ac mitius habebis. *Hi sunt panniculi, quibus in hoc mundo dilectum meum Filium involvi.* Tres ferunt illos aquas habuisse ad hoc negotium necessarias: Vnam arte Necromantiæ confectam, *ad cujus confectionem superstitiosè requirebatur sanguis ex umbilico Judæi recenter nati*, & decem & novem crines ex ejusdem Iudæi palpebris, juxta quem numerum crinium

nium parebant illic decem & novem Dæmones, qui aquam occupantes, Fratrem, quando bibebat illam, fecerunt immobilem, ac omnibus sensibus privarunt, ut jaceret tanquam cadaver emortuum & truncus iners, Hos crines cum cruore illo ex quodam Lasaro baptisato Iudæo habuerunt, qui se in Bamberga obstetricem simulans hæc acquisivit. Secunda aqua corrosiva erat, & per carnem penetrativa. Tertia huic cauterio & corrosioni refrigerium præbuit & lenimen. Dederunt igitur, ut ad propositum redeam, aquam primam Fratri potandam, qui, ut exanimis, jacuit omnibus sensuum actibus privatus: acceperuntque aquam secundam, cum qua illi quatuor vulnera fecerunt, nam vulnus primum in dextera tantùm manu erat. Tertia aqua sunt usi, quando doloris vehementiam & passiones Frater tollerare nequivit. Cumque surrexisset Frater (illum, inquam, ad suum placitum, ut ita dicam, resuscitare noverunt) videns adhuc quatuor vulnera, admiratus est, nesciens unde contigisset. Adstabant autem scelerosi quatuor viri, nescio quid numinis se vidisse & audisse testantes, quòd ratione & sensu privato Fratri faciliter persuaserunt. O miserrima conditio tam passionati fratris! Aquas item illas duas naturaliter fieri non dubitatur, habentq; nomen suum, quod hîc decrevi tacendum. Nihilominus & quandam aquam habuerunt, etiam naturaliter factam, quæ consimilem effectum cum prima habuit, eo dempto, quod non reddebat Fratrem immobilem, sed sensu duntaxat & ratione privavit, & quòd, ne passionem sentiret, effecit: Hac

dicunt potari illos, quibus integrum membrum est decidendum, quando eos, ut vulgo dicitur, sancti Anthonii ignis incendit. His aquis scelesta hęc facta patrârunt. Volui de his scripsisse latius; prohibuit me scandalum pusillorum. Perfecto ergo & excogitato novo hoc homine vulnerato in divi Francisci contumeliam, in immaculatæ conceptionis deletionem, in vulnerum Iesu Christi illusionem, audi quæso, perchare Lector, quid excogitarunt. Credidit Frater ille persuasioni quatuor virorum, vera se portare vulnera Christi, miraculo ei data infallibili, *ipsemet admirans se tam repentè Deum factum.* Doctor Stephanus, hujus fictionis primas & caput, ad Fratrē ait: *Ne mireris Frater, te vulneribus insignitum Jesu Christi Domini nostri: Tam sacer est ille Ordo noster, ut his alisq; miraculis in hoc mundo refulserit, nec ob tua sola merita evenere tam miranda, sed tu crebris Confessionibus & orationibus te dignū tanto munere facias.* Quæ ob id eidem Doctor Stephanus suasit, ut ipse confessor ejus, exploratum in confessione haberet, si quando in hoc negotio esset dubitaturus. Dederunt quoque Fratri stubellam sequæstratam, ut non occultas, sed manifestas orationes faceret, quia imagines passionis Christi per stubellam ad diversa loca suspenderant. Frater ergo jam ante hanc imaginem, nunc ante aliam orabat, hinc atque illinc gradiens gestus hujuscemodi prætendebat, quales Christus egit, ante ocu-

oculos suos depictus, in monte Oliveti extendebat brachia, in coronatione caput inclinabat. Piget dicere fatuitates & illusiones tantas, ab eis enim edoctus fuerat passionem Christi publicè sic ludere, ipsi autem hoc non abscondebant, ut par erat, finem visuri, sed invitabant potius homines, ut ingrederentur Dei omnipotentis miracula visuri, & præcipuè Fratres Minores, ut intuerentur vulnera in testimonium illis, ac recitarent Patribus suis, inter quos duo præsentes unus in choleram excrescens dixit, vast beschissen! Alter autem modestiùs loquens ait: Finis coronat, & exitus acta probabit: Cavebant tamen, ne Fratri quisquam loqueretur, neque interrogarent eum, scientes, eum idiotam & immemorem, ne res pateret & sua simplicitate proderetur, non dubitantes, mendacem esse memorem oportere, & ideo stabant, prospicientes per fenestras tanta multitudo, quanta nunquā magnis venere micenis: quando autem ei potum dabant, qui eum à sensu abalienabat, jacebat spumans, uti solent morbum caducum habentes facere, dicebaturque à Priore jam cum Christo in cruce mortuus ex nimia devotione. Et quamvis ab illis quatuor Hæresiarchis in moribus sufficienter fuerat instructus, *ipse tamen, utpote sartor iners, religiosos gestus facere non noverat: quare spectatores sæpius in risum provocavit: Erátque videre ludum simiarum potiùs quàm rem arduam. Duravit autem concursus ille lon-*

go tempore. Ipsi autem cauta sunt usi cautela, suadentes pauperculo jejunia multa, abstinentias, & id generis multa quæ macrum hominem efficiunt, ac viribus totis destituunt, ut putaretur religione & devotione illa meruisse, suisq́ meritis virginem Mariam illi apparuisse, & revelationes varias manifestâsse.

Tentatur frater ultroneis Mariæ apparitionibus, fitq́ tandem impatiens, fraude quatuor Patrum notata.

Venit autem Doctor Stephanus, vesperi ad fratrem, ejus devotionem, vitam, sanctitatem fictè commendans, asserens: *Deum adhuc cum eo miranda facturum, sese de multis sanctis legisse, talia tamen, & qualia erga illum contigerint, vidisse nunquam.* Admonuit igitur eum, ut cum noctu apparuerit virgo Maria, quàm diligentissime advertat quid sit locutura, ut sibi cæterisque Patribus suis certô referre queat, & virgineis mandatis pareret, ne aliquid de tantæ virginis jussu prętermittatur incompletum. Credidit frater, in nullo adhuc hæsitans. Nocte itaque adveniente, Doctor Stephanus rem ipsammet fecit, de qua Fratrem admonuerat, & in persona beatæ Mariæ vir-

virginis eidem apparuit, Fratrem dulcibus verbis salutans, & se Mariam virginem esse affirmans. *Sed Frater, cognita voce, indignabundus respondit: ô Deus, deceperunt me viri mendaces! Abi in malam crucem, quòd te Deus perdat cum complicibus tuis, qui me pauperem tam turpiter decepistis.* Nam fraude hac cognita, omnia præcedentia fraudulenta fuisse suspicatus fuit. Nec eum fefellit opinio. Nam Doctor Stephanus, quia se cognitum vidit, abiit confusus, ac sociis illa cum dolore nuntiavit; quem Prior consolans, inquit: Vocem meam non tam audivit crebrò, ut eam dinoscere posset, vestram autem, quia novit, nimirum, quia illius confessor estis, ideoque ego nocte hac apparebo, sexum & personam virginis Mariæ mentiens, de nostra voluntate illum latè informabo. Qui cum altera, sequenti videlicet, nocte, quod dixerat, facere tentaret, ante Fratrem stans, & ipse à fratre cognitus est, cui cum Frater multas contumelias ex iracundia dixisset, videns tandem quòd omninò nihil proficeret, frustratus omni spe sua, tristis abiit. Reversus est autem altera nocte, sperans se vocem mutare posse & vestes, quòd non cognosceretur, & ante Fratrem stans, *Salve, inquit, Frater, ego sum virgo Maria, de qua præcedentibus noctibus dubitasti, at nunc ut ab omni scrupulosis alienus, ecce attuli sacramentum hoc corporis Jesu Christi filii mei sanguine rubricatum (ita*

enim hostiam depinxerant) ut non credas spiritum esse malignum, qui coram tanto sacramento comparere non audet. Attuli quoque huc vitrum hoc plenum miraculosa sanguine filii mei, quo te & locum hunc condonare placuit. Perversi equidē viri hoc sanguine, & hac rubricata hostia *peregrinationem ad sanguinem Christi instituere volebant,* vulgariter, Ein fahrt des heiligen bluts. Frater autem sacramento venerabili permotus, dubitare cæpit, vera ne esset apparitio, nec ne, & respondit: Si non es me decepturus, quisquis sis, orabis *Pater noster, & Ave Maria,* sicque experiar te non esse malignum hostem. Oravit ergo Prior voce qua potuit muliebri, qui cum inter orandum *Pater noster* complevisset, ait: *Salutata sum ego Maria plena gratia, Deus mecum, sumq́ benedicta inter mulieres, & benedictus fructus ventris mei Jesus, quem hic in manibus meis porto.* Cognovit autem frater plenè ac perfectè, Priorem hunc esse ex verbis illis, & in furorem accensus cultrum arripuit, *& genu ejus dextrum vulnere perforavit, sed & Prior scutellam stanneam arripiens violenter contra Fratrem projecit: stetit autem frater, viriliter paratus se defendere, sed Prior vulnere sauciatus,*

ciatus, timénsq; ne clamor Fratres alios excitaret, & fraudem cernerent, aufugit, & hæc valde tristis, Fratribus consciis criminis, narravit. Franciscus verò Vlschi Subprior Priori respondit, ne quæso tristemini, curam habete vulneris vestri, ego apparebo ei noctu in persona Catharinæ Senensis, nam vocem meam non novit, quia rarò, aut nusquam sum illi locutus, & informabo eum voluntatis nostræ; Venit ergo ad eum mentitus personam & sexum, Ave Frater, inquiens, Ego sum Catharina Senensis, à Deo ad te missa, ut te corripiam de incredulitate tua, quòd beatæ Virgini tibi crebrius apparenti non credideris, & ut nuntiem tibi miranda. *Primò*, quòd vera Iesu Christi vulnera in corpore tuo defers, quæ nec ego, neq; Franciscus habuimus: *At omnipotens Deus te hoc munere condonavit in testimonium subversionis hujus civitatis, eò quòd annuã à Rege Franciæ pensionem accipiant, & quòd Fratres Minores non expellunt, quia Mariam Virginem sine originali peccato fuisse conceptam docent, & vitam ducunt irreformatam.* Hæc te publicè dicere & prædicare stude, qui cùm tibi credere recusârint, ostendas hæc vulnera tua divinitus tibi data in testimonium veritatis, ad quæ verba ex impatientia Frater nihil penitus respondit huic fictæ Catharinæ Senensi.

Frater Ordinem exire tentat, sed persuasus in fraudem consentit.

Sed fraudē cognita Frater Ordinem exire tentat, dictis Patribus, quoniam eum tam turpiter decepissent, ac irreligiosè cum eo tractavissent, qui suis verbis attoniti & stupefacti, ne quando res hæc & fraus tam insignis manifestaretur, consilium, & quidem anxium, habuerunt, si Fratrem precibus in eorum propositum flectere possent, quod facere tentavit Doctor Stephanus confessor, suis mediis hujuscemodi: *Tametsi*, inquiebat, *aliquid ioci rei seriæ vulnerum immiscuerimus, & tibi fictè apparuimus, fecimus id quidem, ut te in devotione servaremus:* Non est tamen omnino res hæc mentita & excogitata, quia vulnera à Deo esse non dubitamus, cùm ipsemet nescias unde tibi venerint. *Nunc autem, quia te testificante, te jubente, te volente toti mundo diximus, & in aures omnium inculcavimus, quæ nobis dicenda præceperas, expones te & nos ridiculo universo orbi, si retractabis, quæ tanta diligentia manifestata sunt:* *Num quid filius hujus conventus es? Diligas ergo locum, in quo perpetuo es mansurus, eique subvenias in re tam ardua: qua si progressum*

um habebit, procul dubio tu & nos totúsq; conventus mirum in modum ditabimur: quòd si nolueris, & exire omnino volueris, profectò in exilium ibis, & nemo paupertati & inopiæ tuæ sucurret. Talibus, similibusque verbis animum Fratris propulsavit, tentavitque: Cui Frater respondit; Nescio, quomodo progressum habere possit, quod mecum incepistis, cùm ego sim nescius literarum, idiota & indoctus: Excogitatio autem hæc vestra ardua est, gravis & miranda, egetque viro magnanimo & prudenti, qui talia faciat & fingat, ut de falsitate non convincatur. Cui rursus Doctor ait: *Hæc omnia, antequam tu dixeris, nos cogitavimus, si quid occurreret quod scientia egeat, ego Doctor in his subvenire potero, si quid Ordinis auxilio necessarium eveniet, Prior in his sollicitam curam geret: si quid erga conventum acciderit, huic Subprior patrocinabitur: at si quid vitæ lautioris & refectionis corporalis desiderabimus, ecce præstò est procurator, qui & ipse hujus rei conscius est, Societas ergo tota completa est & perfecta, ita ut nihil periculi imminere possit,* quin eidem obviari per nos poterit, solus tu es, cujus opera & auxilio egemus: præbe ergo consensum in nostrum propositum, & non erit quo carebis per totam vitam tuam. His pauper

per deceptus acquievit dictis eorum, & consensit in fraudem faciendam.

Imaginem Virginis Mariæ furnisio, aliisq́; coloribus plorantem finxerunt.

Postquam autem animum Fratris in propositum suum deflexerant, in negotii quoque manifestationem mentem verterunt, hoc modo: Auxilio enim cujusdam Lasari illuministæ, colorum subtilitate *imaginem beatæ virginis Mariæ, quæ erat in Ecclesia ipsorum in quadam capella, plorantem finxerunt, fluidas lachrymas depingentes, ac vetulas constituentes, quæ Mariam lachrimantem apud Prædicatores per civitatem exclamarent.* Facto ergo manè Frater genuflectens super altare Mariæ virginis inventus est, amplectens imaginem brachiis suis, sicq; immobiliter perseveravit: Ipsi enim Fratrem clam intromiserant; nam furto clavem acquisiverunt, sacristano ignorante, clauserunt denique capellam, ut miraculosè illic deportatus crederetur. Vetulæ ergò edoctæ rumores hujuscemodi de virginis Mariæ ploratu faciliter commoverunt, factusque est concursus populi maximus ad Ecclesiam eorum, venerunt quoque & hi quatuor hæresiarchæ, ac si & ipsi rumore illuc advenissent, sacristano mandantes, ut scabellum aperiat, qui ingressi alta & intelligibili voce à Fratre perquirunt, quomodo huc

huc venisset, aut quisnam eum intromisisset, qui, prout edoctus fuerat, respondit, se in spiritus cujusdam vehementia illuc deportatum, illæsis claustris, seque non posse descendere de loco, sed neque moveri, nisi quatuor ex primoribus civitatis advenirent, & ipse sacramentum corporis Christi sumpsisset; sed &, quòd dictu horrendum est, *Doctor Stephanus à tergo imaginis occultè per cannam locutus est, ita ut imago crederetur fuisse locuta.* Post hæc mox duos miserunt ex Fratribus suis ad Sculteum Rudolphum de Erlach/ qui in Ecclesia Fratrum Minorum eo tempore devotioni vacabat: Nam hæc ejus consuetudo erat, singulis diebus summo manè protractius orare. Nuntiarunt ergo illi ploratum virginis, & fratris ascensum super altare, & quomodo descendere nequiret, nisi ipse cum tribus principalioribus veniret! Credidit vir bonus, & assumpto secum equite aurato, Domino VVilhelmo de Diesbach, viro docto & strenuo, capellam ingressi sunt, quidnam rei ageretur visuri: Frater autem eorum præsentiam cernens, procaciter in dictis suis perstitit, & Dominis lateraliter loquens, quia imaginem virginis complectebatur, ait, virginem Mariam ob id plorare, *quòd obstinati usque nunc ei non credidissent, & prophetanti sibi non acquievissent.* Primò civitatem subvertendam, propter annuam à Rege Franciæ pensionem. Secundò, quòd Fratres Minores non expellerent, aut in alium

alium statum reformarent. Tertio, quòd ea teneretur ibi opinio, quòd Virgo Maria sit absque originali peccato concepta. His aliisque commentis Frater fraudem negotii coloravit, confirmavitque. VVilhelmus autem de Diesbach, vir multa humanitate insignis, cæteris negotii tarditatem & fallaciam subtilius notavit, inquiens: *Ego non video virginem plorantem. Dictis tacuit, & alia in corde suo retinuit.* Vltimò Frater ait: Ego à loco moveri non potero, nisi prius sumpto corpore Domini nostri Iesu Christi, qui mox ipsi obtulerunt hostiam rubricatam, quam frater recipere renuit, venenatam supicans, & aliam postulavit: chorum ergò ingressi aliam particulam attulerunt, offerentes illam lateraliter sumendam, quia se movere non posse simulavit, qua sumpta descendit, ac cum fratribus processionaliter chorum intrans, ad medium altaris majoris supra terram ad modum crucis ab eis collocatus est, in introitu autem ante rubricatam hostiam. Tantum ergo sacramentum, decantantes, benedictione data, omnes domum abierunt: Sculterus tamen, Dominus Rodolphus de Erlach, negotium ex eo credidit suspectum, quòd à latere, non versus ad sacramentum, Frater communicaverat, cùm constet, *corpus Dominicum plus imagine virginis esse venerandum*; sed dixit: *Ego os meum in calum non ponam, & cum miraculis divinis verbo non jocabor incredulo.* Antequam tamen Domini abscesserant,

ant, Patribus dixerunt, ne in hoc negotio tam ar-uo præcipitanter ageretur, donec & ipsi delibe-âssent quid hoc facto opus esset. Quo Domino-um præcepto non obstante, *tanta peregrina-io ad imaginem plorantem exorta est, ut niraculũ mihi subeat, unde tantus populus am citò fuerit excitatus.* Sed Virgilium lo-uar de fama; *Pedes acquirit eundo, & pari-er facta atque infecta canebat.* Videntes utem hæretici nequissimi, se creditum habere ulgi, *sanguinem in vitro,* de quo supra habita st mentio, *guttatim diviserunt in pannicu-is mundis,* Principibus & Dominis illum mit-entes loco doni divini, tamque miraculosum ex ostia defluxum. Multos hoc ficto munere hono-ârunt, quam omnes. *fraude comperta, panni-ulos cum guttulis combusserunt.*

Vitam tam arctam & anxiam frater ultro tollerare noluit.

At verò quatuor illi hæresiarchæ omne hujus egotii fundamentum in Fratre videntes colloca-um, consilio inito, multa eidem jejunia indixerunt ervanda, *cum abstinentiis variis, ac discipli-is inhumanis,* in hunc finem, ut his macer cor-ore fieret, *& à vulgo ob nimiam devotionem, eligionemque illa macies æstimaretur illi eveni-*

venire. Frater autem promissi non oblitus quando in fraudem consensit, ubi multa ei solatia in victu & aliis polliciti fuerant, fidefragis fidem non esse servandam credidit, & de illis quatuor in omnibus dubitare cœpit, timuitque ne quando toxico periret, furtim occultè facta eorum explorabat, quid tandem in hac re facturi forent. Vna ergo noctium abscondit se Frater, sciens illos quatuor congregatos, nihilque mali suspicans, intrepidè ingressus est ad eos, sperans cùm & ipse fraudis esset conscius, sese ad eorum societatem pertinere, invenitque illos modo valde illicito. *seculari vestimento, indutos suo serico, quod ipse religionem intrans attulerat, assidebant quoque & mulieres:* Qui omnes de Fratris præsentia territi & commoti aufugerunt, Doctore solo Fratri dicente: *Noli scandalisari, Frater, quia sunt sorores meæ, quo dicto & ipse recessit.* Frater autem, ut vidit, se spretum, & quòd cum illis non esset societatem habiturus, indignabundus statuit ordinem illum derelinquere, & ad seculum redire. Sciens nihilominus illos congregatos, clàm appropinquavit, audiensque illos de se loqui proximius declinavit, diligenter auditurus, si quid mali de eo loquerentur: Ipse autem audivit, illos determinâsse, quòd eum essent occisuri. De modo tamen inferendæ mortis diversa apud eos erat sententia, illo dicente, quòd submergeretur in piscina eorum, aut alia aqua, alio quòd veneno & toxico periret; clausum

sum tamen est, ut veneno diem clauderet, quod primò tentaverunt illi in offa dare: At Frater, quia id omne eorum consilium audiverat, sciens sibi parari necem, offam comedere tardavit, donec abscesserat Subprior, qui illam attulerat videns ergo oculis venenum viride, offam quinque lupulis quos nutriebant ante fenestram effudit, quam cùm comedissent, mox corruerunt mortui. Videntes ergo se nihil profecisse, aliquot araneas pastas caulibus suis immiscuerunt, & comedens miraculosè conservatus est. Putantes autem venenum non suffecisse, sed nimis debile, simile catto dederunt, qui mox concidit mortuus. *Tandem hostiam Sacramenti toxicatam eidem renitenti violentè in guttur ejus intruserunt, quam Frater evomuit super scabellum. Hanc mox in fornacem cum scabello projecerunt: Ignis autem, illæsâ hostiâ, tantum terrorem incussit, creatura irrationalis creatori reverentiam præbens (nam scabellum hinc atque illinc saltabat) ita quòd apertè fuit conspicere miraculum omnipotentis Dei, ac misericordis Patris admonitionem.* Nam & ipsimet digitum Dei videntes dixerunt: O weh/was habend wir gethan! Quod sonat: O quidnam fecimus! Cognoverunt delictum, sed non exposcebant veniam: O perversa temeritas & illaudata præsumptio, audere id quidem, à quibus Turcus ipse abstineret! Sed ad histo-

riam redeo. Quatuor isti scelerosi Patres, postquam viderunt, se non posse commodè Fratrem extinguere, quod ad aliorum notitiam non perveniret, Fratrem ad jurandum coarctârunt, circumdantes illi catenam ferream, corpus ejus intollerabiliter cruciantem, forcipibus corporis portiones & partes extraxerunt. Ideo autem eum sic cruciârunt ac tantas intulerunt pœnas, quòd Frater ipse maximo quo potuit juramento sponderet, se negotium hoc non proditurum, quod & fecit: qui fide accepta quieverunt ad tempus, sperantes, Fratrem servaturum, quod in passione promiserat. Frater autem commoditate habita aufugit, & rem omnem Consulatui detexit, atque fraudem manifestavit. Vocati sunt ergo ad Consulatum, ut Frater coram eis loqueretur, qui intrepidè omnia sua dicta repetivit, & eos de tanta hæresi & nequitia accusavit. Domini verò, uti sunt Prudentissimi, *manus in Clerum, hoc est, in illos quatuor non injecerunt, sed domum ire jusserunt, Fratrem increpantes, quòd mentiretur, nam ipsi scirent, quòd boni & justi essent Patres, & nunquam credituri essent de eis tanta mala.* Fecit autem id Consulatus, ne quatuor illi, indignationem eorum notantes, aufugissent. *Nihilominus omnes in eam sententiam devenere, se nunquam credituros, Fratrem tam simplicem, & tam ardua sine eorum adjutorio & informatione tentavisse.* Interim, dum hæc aguntur, hi Patres, quos

quos de observantia nuncupant, conventum suis confratribus ut arripiunt, & alios, de familiis dictos, expellunt in civitate Slettstattensi, quo habito, Provincialis eorum pro illius conventus confirmatione, mittit Doctorem Stephanum & Franciscum Vlschi, Hæresiarchas nequissimos, qui libenter acquieverunt, sperantes in eorum absentia, famam de eorum negotio quiescere, & minui: *Nam tota, nedum civitas, sed patria hac eorum nequitia erat repletissima.*

Capiuntur quatuor Pseudo-Patres: & per chordas torquentur.

Proficiscentibus autem illis Romam, Frater capitur, mittiturque Diœcesano Lausanensi, ut & ipse inquirat, &, ut ordinarius, consulat, adjutorium præstet, &, quid sit faciendum, decernat. Examinato autem Fratre, remisit eũ Dominis Consulibus civitatis Bernensis, *qui eum satis humaniter tractârunt, ne, dum captus sciretur, aufugerent negotij tractatores.* Reversi sunt tandem ex Romana curia illò missi Patres, *& per multos admoniti, ne Bernam intrare temerarent.* Sed putantes illæsi evadere, Bernam venerunt, inveneruntque illic duos sui Ordinis nequam viros, *VVernherum, Priorem Basiliensem, & Paulum Hug, hypocritam nequissimum, qui pro-*

vinciam defendendi hoc negotium susceperant, à Provinciali suo, sceleris conscio, missi. Non per singulos actus discurro, sed rem summatim pando. Et ut infelicis historiæ semel finem faciam, capti sunt omnes quinque hoc modo. Misit post illos providus Bernensis Consulatus, ut ad accusata responderent, quæ coram eis palàm sunt lecta: Ipsi autem responderunt taliter qualiter, hoc est, adverbialiter, malè seu pessimè. Decretum est, ut Frater custodiæ civitatis deputaretur, illi autem quatuor compedibus ferreis detinerentur, singuli in singulis locis, ne de aliquo responsionis & fictionis commento convenirent. Deputatique sunt unicuique duo custodes in conventu eorum illos custodientes in expensis conventus, *fuerúntque conscripta omnia clenodia, omnes census & reditus conventus à Dominis ipsis,* mittiturq; Romam legatio ad summum Pontificem, ut negotio consulat, atque justitiam exequatur. *Ferunt, legationem hanc per longa tempora impeditam, ne res tanti sceleris ad summum Pontificem deveniret:* Prævaluit tandem legatio, & cum commissione Bernam reversa est. Erant autem commissarii Episcopus Lausanensis diœcesanus, Episcopus Valesii, cum Provinciali Ordinis Prædicatorum, qui vocati Bernam veniunt. Statuto ergo die ducti sunt hi quatuor in præposituram civitatis, & in præsentia Commissariorum, & quorundam Consulum, per torturam quæsiti, miranda di-

dixerunt, *quæ nefas est hominem cogitare, quæ & hic tacita sunt, ob cleri reverentiam, & sacerdotij dignitatem.* Provincialis autem, cernens Doctorem Stephanum ad chordas trahi, *signum ei dedit, digitum labijs suis suprapo- nens, illi tacendum esse significans:* Quod unus ex ipsis advertens, eum exire præcepit. Ipse autem sibimet timens, quia conscium eum fuisse haud ambigitur, aufugit & Constantiam veniens, præ tristitia mortuus est, & apud Prædicatores sepultus, *quem justius flamma consumpsisset, quàm corroderent vermes.* Mittunt ergo Romam omnia illorum confessata, expostulaturque amplior in eos commisio, & authoritas major, quæ legatio etiam longo tempore in Romana curia duravit.

Confessata Fratris.

Tardante autem legatione Romæ, & Frater ipse ad chordas tractus, sequentia confessus est, summariè & in communi descripta.

I. Quòd eum ad Ordinem recipere recusârint, nisi audita prius opulentia ejus. Nam quinquaginta tres florenos, cum pannis sericis secum attulerat, quæ si non habuisset, pro nulla petitione receptus fuisset.

II. Franciscus Vlschi Subprior apparuit mihi semel noctu, personam Mariæ Virginis gerens, revelavitque mihi illa apparitione, se esse conceptam

sine originali peccato. De quo postea pœnitentes variis mediis oppositum meis auribus inculcare tentaverunt: Illusitque mihi Subprior sæpius variis apparitionibus arte Necromantiæ, ut firmiter credo, nam illam artem novit.

III. Prior una cum aliis sæpius mihi in persona Virginis Mariæ apparuerunt, cum cŏrona, cum vitro sanguinis pleno, & Eucharistiæ sacramento, informantes me, *civitatem hanc subvertendam, & quòd Virgo Maria in peccato originali fuerit concepta.* Ego autem primæ apparitionis revelationi steti, non esse conceptam in originali peccato, ideo me usque ad mortem sunt persecuti.

IV. Ego in una apparitionum Virginem Mariam gladio seu cultello meo vulneravi, quæ scutellam stanneam contra me jecit. Id autem feci, quia conaretur me à proposito mundæ conceptionis avertere.

V. Franciscus Vlschi apparuit semel mihi personam gerens Catharinæ Senensis, quæ dixit, sibi revelatum, Virginem Mariam in originali peccato conceptam: Ego autem firmiter credo *quòd mulierem illam alioquin credulam, deceperunt in suis revelationibus & stigmatibus, sicut & mihi fecerunt. Præsens inquam negotium, judex est præcedentium.*

VI. Doctor Stephanus in tribus annis nunquam fuit in matutinis.

VII. In-

VII. Inveni una noctium, Doctorem, Subpriorem, & Procuratorem congregatos, ac seculariter indutos ex serico, quod ego mecum attuleram, frater induendus: *Sedebant cum mulieribus, vino & carnibus indulgentes*: Ego verò, quum improvisus aderam, territi omnes aufugerunt. Doctor tamen ad me dixit: Noli frater scandalisari, sorores enim meæ sunt. Verum dixit, lector amice; Ex Eva enim matre unica, omne mortalium genus propagatum est.

VIII. Provincialis Bernam venit, ad capitulum generale profecturus, *qui multa mecum collocutus, mandavit mihi, his quatuor Patribus in omnibus obedire, nam & ipse conscius fuit hujus negotij miraculorum.*

IX. A casu semel veni in Cameram Doctoris Stephani, *qui ut mulier indutus erat*, sicut & mihi in persona Virginis Mariæ sæpius apparuerant: Hinc suspicionem accepi, omnes alias appari tiones fuisse falsas & excogitatas.

X. Franciscus Vlschi is est, qui noctu in persona Mariæ Virginis ad me veniens, primum vulnus in manum meam dexteram incussit.

XI. Franciscus Vlschi aquam novit conficere, reddentem me immobilem, & omni sensu privantem, in qua erant XIX. crines supercilii cujusdam Iudæi noviter nati, & sanguis ejus ex umbilico, secundum quem numerum crinium totidem Dæmones in aquá illam conjuravit: qui me tenuerunt

immobilem. Crines hos, & ſanguinem illum habuerunt ex quodam Laſaro Illuminiſta, qui in ſpecie mulieris obſtetricis geſsit officium in civitate Bambergenſi, ubi illa accepit ; ego verò hac aqua potata, jacens exanimis, dictus ſum ab eis, ex virtute paſsionis Chriſti talia mihi evenire.

XII. Ego hac aqua potata collocatus ſum ab eis ſuper altare Virginis Mariæ ſicut vidiſtis, & virtute aquæ dimoveri non poteram : Et quicquid de fletu Mariæ prædixeram ab eis edoctus dixi.

XIII. Audivi illos quatuor Patres clam conjurâſſe, de proſequendo ac tacendo hanc cauſam usque in mortem.

XIV. Audivi in ſecreto loco, conſilium eorum, de ſuffocando me per venenum, hinc nec intoxicatam offam comedere, nec venenatas hoſtias ſumere volui,

XV. Omne negotium contra Minores excogitatum eſt, & in correptionem imaculatam glorioſæ Virginis Mariæ, ut deleretur, ideo & me vulneratum fecerunt, in præjudicium Fratrum Minorum.

XVI. Quod ergo dixi, civitatem Bernenſem ſubvertendam, propter annuam Regis Franciæ penſionem, & propter fratres Minores, & propter eorum opinionem de conceptione beatæ Mariæ Virginis, juſſus ab eis omnia dixi.

XVII. Franciſcus Vlſchi Subprior, arte Necromantiæ, facere novit, quòd omnis mulier, quam manu ſua contingere poteſt, voluntati ſuæ obſequatur : Eſtque furatus quingentas libras pecuniarum.

XVIII. Noveritis, hos quatuor, Clenodia Mariæ Virgini abstulisse & furatos, dederuntque mihi aliqua minutula parva, uti dicebant, pro ornatu cameræ meæ, facientes hoc in cautelam, quòd me de toto furto accusarent, quia hæc parva mecum comperta fuissent.

XIX. Lasarus Illuminista subtilitate colorum, *Virginis Mariæ imaginem plorantem depinxit, similiter & sanguinem fecit, quem in persona Virginis Mariæ mihi præsentârunt: & hincinde magnatibus transmiserunt.*

XX. Illi quatuor, timentes, me aliquando fraudem hanc manifestaturum, ter me veneno occidere tentaverunt. Primò in offa, secundò in caulibus cum aliquot araneis pastis: videntes autem à Deo me præservatum, suspicati sunt araneas non sufficere, & venenum nimis debile fuisse, quod experiebantur, simile dantes catto, qui mox extinctus est. Tertiò in venerabili Sacramento Eucharistiæ: sed custodivit me hucusque divina clementia.

Legatio à Romano Pontifice mittitur, examinantur, degradantur, comburuntur.

Venit interea legatio altera & ultima à Romano Pontifice maximo cum plenitudine potestatis, Achilles Episcopus Castellæ, vir omnium peritissimus, qui Bernam una cum aliis duobus concommissariis venientes, totum negotium cum certis ad-

junctis sibi Consulibus examinârunt, & diligentissimè perquæsiverunt, qui, toto negotio cognito, *judicârunt, non esse bonum nec utile, ut eorum confessata, per eos solum scirentur:* Id cum Dominis displicuisset, conventum est, ut octo duntaxat *illam audirent, scirent, silerent,* Nihilominus ut & populo satisfieret, legerentur publicè aliqui articuli igne & morte digni.

Estque primo manifestè lectum, quomodo hi quatuor præsentes malefactores quondam de Ordine Prædicatorum existentes in ignem adjucati fuerint. Primò, *quia Deum abnegaverunt.* Secundò, *venerabile Sacramentum corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi rubricârunt, & depinxerunt.* Tertiò, *quòd imaginem Virginis gloriosæ plorantem finxerunt.* Et quartò, *quòd vulneribus redemptionis nostræ illudentes, Fratrem quinque vulneribus insigniverunt.* Hi sunt quatuor principales articuli publicè lecti, ut populo satisfieret, propter quos igni sunt adjudicati.

Antequam tamen comburerentur, in medio civitatis cum maxima solennitate degradati sunt per Achillem Episcopum Castellæ, hujus negotii principalem commissarium. In qua degradatione tantus fuit populus & innumerabilis multitudo, ut miraculũ mihi subierit, unde tamẽ omnes venerint ad hoc spectaculum evocati. Exuti autem habitu ordinis

nis, & clericali & sacerdotali vestimento privati, traditi sunt potestati secularium cum intercessione Episcoporum, *quòd ob reverentiam omnipotentis Dei, & sacerdotalis dignitatis, nihil crudele in eos exercerent, sicut in hisce rebus fieri solet.* Ad captivitatem ergo Præposituræ reducti sunt, & post dies octo extra civitatem in quodam prato trans Ararim lamentabiliter combusti sunt. *Cineres quoque in fluentem aquam injecti, ne fortasse quid superstitionis hinc oriretur, aut pro sanctis reliquijs mentirentur, ut nunc eheu! proclamatur, quòd martyres fuerint, injustè combusti, & innocenter oppressi.* O quis rumor & quæ mendax prædicatio?

Movit me rem veram summariè describere, *ne tam nequiter & hæreticè sacrosancta sedes Apostolica de innocentium oppressione, proclamaretur & accusaretur.* Sacro Prædicatorū Ordini nihil intulimus injuriæ aut contumeliæ: Hæreticos viventes, mendacii Prędicatores, & sedis Apostolicæ contemptores sumus persecuti.

Vale Lector amice, moneatque te hæc infelix & miseranda historia, sacratissimam Mariam Virginem absque omni delicto parentum credere conceptam fuisse.

Dignare me laudare te Virgo sacrata
Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ad

Ad Lectorem.

Pseudo-patrum quorundam miram dissimulatamque hypocrisin, humanissime Lector, vel hoc uno perdiscas, quod ubi clarè veritati obicem ponere nequeant, quin vulgus ipsum, cum parvulis etiam balbutientibus uno ore concinant, quatuor illos Hæresiarchas Bernæ vulcano absumptos, ob Mariæ decoris mundi tentatam obfuscationem; *conantur tamen magnatum capita, civitatum consulatus vel obsecrationibus subvertere, vel excogitatis denuo fictionibus inducere, quo virginei candoris triumphus saltem paucis pateat.* Liceat hic citra livorem verum fateri, tales propemodum æmulari eos, pejores quoque illos esse, qui proprium errorem defendere student, nimirum tangi se somniant aliena veritate, ut propria: scilicet, sanctiori munere gaudeat eorundem religiosa observantia Christi collegio, quod quantumvis exile, nec tamen Petro abnegatore, nec Iuda proditore; addam, nec discipulis omnibus profugis caruit: discant humilius honori suo deferre, succubuit namque maculistarrum, quicunque sint, fallax machina.

Iam senio exangui frigens sua robora sensim
Perdit: & amissa jam majestate recedit
Sponte sua: ceditq; nova Latonia Phœbo.

Tu ergo, Lector gratus, libellum hunc in honorem Dei, in purissimæ Virginis & Matris ejusdem singu-

gu-

gulare praeconium, ac sedis Apostolicae, Iulii, inquam, Pastoris secundi, defensionem, contra veritatis inimicos studiosius examina, lege, sparge, publica, digna denuo pronepotum manibus tractari.

Brevis ἐπίκρισις.

Tragicum hoc profectò fuit scelus, quod Bernae 30. foliis Latinè conscriptum in archivis asservatur, *Stettlero* teste lib. 8. Hist. Nuit. ubi haud admodum prolixè pertexit Historiam; addita appendice de repetita rei gestae confessione, à Ietzero, cùm, Badae captus, per Prefectum Helvetiorum examinaretur, edita. Malui tamen hoc loco verbis uti eorum, quorum fidei apud adversarios Reformata religio non obstabit: quanquam plura longè ab ipso expectare potuissemus *Stettlero*, cui, praeter acta publica, ad manus, dubio procul, fuerunt scripta *Doctoris Thuringi Frick*, qui Interpres Ietzeri, adeoque αὐτόπτης καὶ αὐτήκοος, omnia diligenter notavit: *Stettl.* an. Ch. 1507. p. 413. & *Valerii Anshelmi*, Rotvilensis, Doctoris Medicinae, testis in cognoscenda hac ipsa causa asciti, *Id.* an. Chr. 1509. pag. 436.

Videamus nunc breviter, quàm rectè dixerimus, Tragediā hanc speculum esse & compendium quoddam infelicissimorum temporū, quibus sub Papę tyrannide vixerunt & ingemuerunt pii nostri Majores. Hinc enim, ut aliqua saltem delibemus, Sole meridiano clarius elucet.

I. *Quàm malè consultum fuerit judicio controversiarum Ecclesiasticarum, judice nullo vero, & legitimo officium faciente.* Quid, quaeras, hoc prodigii? Nonne

omni.

omnium Scholasticorum & Canonistarum suffragia Papam vel cum, vel sine Concilio, controversiarum constituerunt judicem? Scio, hanc fuisse aliquot seculorum infelicitatem, ut vel blanditiis, vel tyrannide Romanus Archimysta, supra, præter & contra Scripturam jus sibi potissimùm sumpserit, & axioma judicis controversiarum œcumenici. Sed quid si ne hanc quidem, Spartam, raptam potiùs, quàm jure concessam, Pontificem ita exornâsse dicamus, ut fidei suæ consectaneis satisfecerit? Observa, quæso, quàm in omnes se Romanus Prometheus finxerit partes. Vidit, nec Prædicatorum se carere posse opera, nec Minoritarum hypocrisi. Utrisque multum debere sedem Pontificiam, grato animo agnovit. Cumque animis, quod vel ex sola modò memorata Tragædia patet, utriq; adeò infensis certarent, ut per fas & nefas alii opprimere studerent alios, cui acceptum hoc feras quàm judicis negligentiæ, qui toties à partibus litigantibus solicitatus, nunquam controversiæ colophonem voluit imponere? Maluit is lucem appellare tenebras, & utramque (quæ, cùm contradictoriæ sint, quomodo una sede morabuntur?) tolerare sententiam, quàm in alterutrius incurrere ordinis offensam, aut gratiâ illorum excidere. Constat hoc ex decreto 1. *Sixti IV.* quod αὐτολεξεὶ inseruimus sup. sec. XV. p. 90. 2. *Alexandri VI.* & *Leonis X.* per Cardinales facto, de quibus supra p. 327. 3. *Concilii Tridentini*, id quod acta manifestè docent lib. 2. p. 198. Locum, quia valde illustris est, & totius controversiæ originem pandit, hic commodè proponemus totum.

Cùm

Cùm de peccato originali diu multumque dispu-taretur, Franciscani non probabant dici universè, peccatum Adami in totum genus humanum trans-ijsse: quod, nisi B. Virgo, Mater Domini excipere-tur nominatim, generali propositione esset com-prehendenda, eòque eam eximi instabant. At, in contrariam partem Dominicani asserebant, propo-sitionem eam adeò esse universalem, & exceptione vacuam, *esse Divi Pauli, omniúmque S.S. Do-ctorum*, ac proinde exceptione minimè immu-tandam. Ita gliscente contradicendi studio, in eam recedere, quam Legati sæpius effugere ajebant, quæstionem: his affirmantibus, utcunque Ecclesia opinionem eam de conceptione toleraverit, eum certè, qui rem penitus introspexerit, reperturum, Virginem nihilo plus aliis communi contagione exemptam: illis contrà opponentibus sic damnari Ecclesiam, quæ conceptionem eam celebrat, tan-quam im̃aculatam; & im̃anem esse ingratitudinem *derogare honori illius, qua mediante omnes Christi gratiæ ad nos derivantur*. Atque his disputationibus eò contentionis ventum est, ut Orator Cæsareus non inanem spem induisse vide-retur impetrandi, quòd animo destinârat, ut ea scil. materia sessione proxima non proponeretur. Ve-rùm, quandoquidem ea occasione multa fuere pro-posita, quibus factum, ut ad decretum statim sub-jiciendum veniretur, quoniam id sermonibus ho-minum dedit materiam, ad integram totius rei in-telligentiam, necessarium est, hujus controversiæ ori-

originem ab ipsis primordiis repetere. Ex quo Nestorii impietas divisit Christum, duos constituens filios, & eum, qui Virgine Maria genitus, Deum esse negans: Ecclesia, ut in animos fidelium veritatem Catholicam insereret, in Orientis juxta atque in Occidentis Ecclesiis bina hæc verba sæpius inculcanda existimavit, *Μαρία θεοτόκος*, Latinè sonant, *Maria Mater Dei. Id quidem in honorem Christi solummodo institutum, cum Matre sensim communicari cœpit, & tandem ad eam solam omnino relatum.* Eadem de causa, ubi cœperat esse frequens imaginum usus, solebant Christum infantem in ulnis Virginis Matris depingere, ad venerationem Christi, etiam ea ætate debitam attestandam: *Sed aliquantò pòst ventum ad veneratione᷉ Matris absq; Filio, illo, tanquam appendice picturæ, addito. Dein Scriptores & Concionatores, imprimis ijs, qui speculationi dediti, impotentia vulgi (quod in his tamen plurimum potest) quasi torrente abrepti, omissa Christi mentione, in novis Encomijs, Epithetis, & cultus religiosi generibus B.Virgini excogitandis certatim incubuerunt:* adeò ut, circa annum ML. officium quotidianum in VII. horas Canonicas distinctum, in ejus honorem instituerint, eâdem formâ, qua ab antiquissimis tempori bus

bus in honorem Divinæ Majestatis sueverat celebrari. *Tum C. annis proximè sequentibus in tantum veneratio excrevit, ut ad culmen pervenisse videretur, ijs, quæ de Divina sapientia in Scripturis prædicantur, ei attributis.* Inter privilegia noviter excogitata erat illud, de universali immunitate à peccato originali: quæ opinio in privatorum quorundam animis solummodo resederat: sed in Ecclesiæ ceremoniis, aut in doctorum hominum mentibus sedem non fixerat. Circa annum verò MCXXXVI. Canonici Lugdunenses ausi primum in officia Ecclesiastica eam introducere. D. Bernhardus, qui tum temporis floruit, pietate & doctrina ante omnes sui seculi Theologos illustris, & in laudibus B. Virginis eò usque profusus, ut eam vocet alicubi *collum Ecclesiæ, quasi per eam à capite omnis gratiæ influxus dimanet*; invehitur tamen acerbè contra Canonicos istos, qui, absque ratione, absque exemplo prisci temporis, novitatem periculosam invexissent: Fatetur, non deesse laudandæ B. V. materiam; sed ei placere non posse novitatem ambitiosam, temeritatis parentem, germanam superstitionis & levitatis filiam. Sequenti Seculo, Doctores Scholastici utriusque Ordinis tam Franciscani, quàm Dominicani scriptis suis opinionem hanc refutârunt ad annum usque MCCC. quo tempore *Iohannes Scotus* Franciscanus, re in quæstionem vocata, & rationibus diligenter excussis, *ad divinam tandem*

potentiam recursans, ajt, *Deum potuisse efficere, ut in peccato nunquam fuerit, aut momento solum temporis; aut etiam ad tempus peccato obnoxia fuerit. Deum solum scire, quod è tribus his ei acciderit, primum tamen Mariæ probabiliter tribui posse, nisi cum Ecclesiæ authoritate & Scripturæ pugnet.* Doctrinam hujus Theologi, suo seculi percelebris, sequuti plurimum Fratres Franciscani, sed in hoc articulo singulari de conceptione fores ab auctore suo patefactas audenter ingressi, absolutè simpliciterque verum pronunciârunt, *quod ille fieri posse dixerat*, & quasi probabile proposuerat, sub conditione dubia atque incerta, nisi Orthodoxæ fidei repugnaret. Dominicani constanter obluctantur, auspiciis D. Thomæ, celebris etiam ex eo Ordine Theologi, tum propter excellentem doctrinam, tum ob Iohannis Pontificis XXII. ejus nominis elogium. Ille enim ad deprimendum Ordinem Franciscanorum, qui maximam partem adhærebant Ludovico Bavaro Imperatori, à se Ecclesiæ communione ejecto, *Doctorem eum ad cælum extulit, & doctrinam ejus maximi fecit.* Fecit pietatis & religionis species, ut plerisque omnibus esset acceptior opinio Franciscanorum ab Academia Parisiensi, quæ præstantis doctrinæ opinione alias anteibat, mordicus arrepta; dein à Concilio Basileensi post multam ventilationem & disqui-

quisitionem approbatâ; vetitúmque, contrariam opinionem prædicare aut docere: quod quidem, in ijs nationibus, quæ Concilium illud probant, planè obtinuit. Papa denique Sixtus, ejus nominis IV. Franciscanus ipse, duo super ea re emisit diplomata, quorum priore anno MCCCCLXXVI. novum officium à Leonhardo Nogarolo Protonotario compositum confirmavit, indulgentiarum gratia, illud celebrantibus, & præsentia sua foventibus, concessa; altero falsitatis & erroris damnavit eorum assertionem, qui vel conceptionis propugnationem hæreticam dicerent, vel ejusdem celebrationem peccatum ducerent; tam Prædicatoribus, quàm aliis sacrorum usu interdictis, *qui vel eam opinionem, vel contrariam hæreseos insimularent, quod ab Ecclesia Romana, sedéque Apostolica ea controversia non dum esset determinata.* Neque tamen hic contentionum finis: Odiis inter duos hosce Fratrum Ordines magis magísque intumescentibus, & quot annis mense Decembri renovatis, adeò ut Leo X. Pontifex medicam manum huic malo admovere cupiens, litem determinandam censuerit, eáque gratia ad diversos scribendum curârit. *Sed religio in Germania innovata Leonis cogitationes ad alia graviora convertit: atque quod in civitate obsidione cincta solet usu venire, factiones uti desinant, & contra communem hostem vires & consilia in unum uti conferantur.*

idem in his Fratrum dimicationibus accidit: Dominicani in Scriptura sacra, doctrina Patrum, & Veterum Scholasticorum, opinionis suæ fundamenta ponebant: alteri, *cùm ne apicem quidem unum Scripturæ causæ suæ propugnandæ reperirent, ad miracula & consensum multitudinis confugiebant.* Contra quos *F. Iohannes de Vdine* Dominicanus hoc dilemmate pugnabat. D. Paulus, inquiebat, & Patres, aut crediderunt istam vestram B. Virginis à communi mortalium lege exemptionem, aut non crediderunt. Si crediderunt, neque tamen unquam nisi universè locuti sunt, nulla facta exceptionis hujus mentione, cur non nunc eorum exemplum imitamini? Si contra crediderunt, tunc vestra opinio novitatem redolet. At *F. Hieronymus Lombardellus* Franciscanus affirmabat, *non minorem esse Ecclesiæ hujusce temporis authoritatem, quàm fuerat primitivæ.* itaque si veteris Ecclesię consensu factum, ut Patres sine exceptione tum loquerentur, consensionem universalem, quæ hisce temporibus celebratione festivitatis illius sese prodit, ad eam à comuni sorte excipiendam, debere nos invitare. Legati Romani nunciant admirabilem omniũ contra doctrinã Lutheri concordiam & Synodi in ea damnanda determinationem, eò quoque mandatis anathematum institutorum exemplaribus, simul significata, quæ de conceptione Mariæ excitata fuerat contentione. Quibus Roma responsum, huic controversiæ ma-

num

num nullatenus admovendam, quæ inter Catholicos Schisma posset excitare, sed, ut Patres sibi invicem concilientur, & utrisq; satia fiat, adnitendum, inprimis verò diploma Sixti IV. uti valeat, vigeatque diligenter attendendum. Legati intellecta Pontificis voluntate, tam per se, quàm Præsulum quorumque prudentiorum interventu, *partibus persuadent deponere contentiones, & junctis viribus Lutheranis se opponere*. Illi verò non recusabant rem omnem silentio transire, dummodo opinioni suæ interim non præjudicetur. At Canonem sibi præjudicium afferre dicebant Franciscani, nisi Maria nominatim exciperetur, & Dominicani vicissim, si exciperetur, suam sententiam damnari. Itaque modus necessariò erat investigandus, quó Virgo neque Canone comprehendi, neque affirmatè excipi videretur, nempe, si in Decreto expressis verbis dicatur, neque Synodo fuisse animum eam inibi comprehendere, neque à communi lege segregare. Franciscanis tandem vehementer instantibus, Dominicani sunt assensi, ut hoc solum diceretur, non fuisse Concilii mentem, eam generali propositione complecti. Tum ut se in omnibus Pontifici morigeros exhiberent, illud additum, servandas Sixti IV. constitutiones. Hæc *author Act. Concilij Tridentini*. Insigne specimen Syncretismi Pontificii. *Adamus Kontzen*, protervus Sophista, libello de unione & Synodo Evangelicorum Syncretismum, nova planè significatione, ait, esse insidiosam quandam & fallacem pacificationem secta-

riorum, qui cùm nec se invicem ament, nec fidant sibi mutuô, tamen conciliationem simulant, metu hostis potentioris, & odia pro tempore cohibent, non autem deponunt, sicut nec insidias dolósve remittunt. Huic sensui, quem sine exemplo impostor voci affingit, color quæritur ex aliis proverbiis in Cretenses dictis: πρὸς κρητα κρητίζειν: ὁ κρὴς τὸν κρητα, κρὴς πρὸς Αἰγινήτην; quasi sicut τὸ κρητίζειν Græcis proverbialiter est *mentiri, fallere*; more & exemplo Cretensium: Συγκρητισμὸς mentiendi fallendique societatem designet. Quid sit Syncretismus, & quo sensu apud bonos authores sumatur, nostrum, hoc quidem loco, non est agere. Videatur Append. Theol. Elench. novæ Clariss. *Alting*. p. m. 339. Opportunè tamen monemus, nova hac officina Kontzeni opus fuisse, ut novo hominum fallaces Cretenses imitantium Collegio, novum cuderetur nomen. Quis enim dubitet, tales verè fuisse à multis seculis Dominicanos & Franciscanos, diversis institutis, regulis, moribus, dogmatibus, adeó fervide semper digladiantes, ut & hæresis sibi invicem probra adsperserint? *Modò* enim acerrimè disputatum de ordinis dignitate sanctimonia, & præstantia, qua alter alteri antecellere studuit. Vide *Sec.* 13. p. 370. ex *Matthæo Paris. Modò* de dogmatibus ipsis. Dominicani Christum proprietarium: Franciscani ἀκτήμονα fuisse magna contentione, non sine aculeata verborum acerbitate, scripturis & picturis proposuerunt. Tragœdiam ha-

habes gravissimi authoris verbis expressam *Sec.14.* p.739 Controversiam inter eosdem ordines 1463. de sanguine Christi, exortam, indicavimus *Sec.15.* pag.84.& deinc. Adeò tum, quod fatentur Pontificii Scriptores, infestis concurrerunt armis & animis, *ut alij alios tanquam hæreticos accusârint*, p.85 De Catharina Senensi, & conceptione B. Virginis θεοτόκου res clarior est, quàm ut operosè à nobis repeti debeat: certaminis fervor mox sequetur. Et tamen, animo licet tristi & ægrè sequaci, ubi communis hostis periculum imminet, iræ (ad breve tempus, neque enim, ut constat, hæc illorum halcyonia diu durârunt) deponuntur, simultates suspenduntur, odia & dissidia sopiuntur. Vt Lutherus & Lutherani συμφέρῃ ἀρετῇ à Monachis in ordinem redigantur, non modò silentium iis imperatur, sed & impetratur. De suo utriq; remittunt jure, ut petulantius innocentissimorum Christianorum reformatorum inequitent cervicibus, quod ipsum etiam *Ambros. Catharinus* Epist. dedic. ad Præf. Trid. Concil. observavit. Vide Legat. de Concept B. Virgin. Mar. *VVadding.* pag. 253.

Sed fortè, ita hæc Controversia intricata fuit, ut se Pontifex expedire non potuerit? R. Hoc nunquam dabit *Antonius Trejus*, qui, ut diuturnæ contentioni finem tandem imponeret, omnia moræ obstacula removit, tótque rationibus decisionem controversiæ commendavit, ut mirum sit, & illum omnem Romæ operam & oleum perdidisse. Scio, argumentorum suorum utramque partem phalanges ita di-

sposuisse,ut optionẽ pauló relinquant difficiliorem iis,, qui contemto Laicorum veniunt nomine, aut inferiora in Academiis occupant subsellia. Verba neutris desunt, quibus ad se imperitiorum inflectant pectora. *Trejus*, quid quæso reliquit intentatum, ut triumphet, & Pontificem in Dominicanos armet? Fusè probat 1. Sententiam uno tempore probabilem,alio reddi posse omnino improbabilem,l.cit p.201. 2. Franciscanorum sententiæ suffragari a.sacram Scripturam,pag.208. b.Ecclesiam, 211. c. Pontifices ipsos, 217. d. Doctores Ecclesiæ communiter,p.225. e.Vnanimem totius populi Christiani consensum. 3. Sententiam eandem esse definibilem, eamque (NB.solam) p.246, 268.etsi hactenus Pontifices illam non definierint. 4. Revelationes pro immaculata conceptione, & Scripturæ & antiquitati esse consonas; cæteras, Catharinæ Senensis &c.falsas & spurias,pag.342.358. 5. Tot ubique,ex hac controversia scandala,p.375. & quidem activa & data,p.381.esse orta. Præivit *Bernhardinus de Busti*, Tractatu prolixo de conceptione Mariæ,quam & ipse immaculatam defendere conatur,argumentis petitis a.ab authoritate Papæ P.1.Serm.3.p.3. b. à consensu Scholasticorum & aliorum Theologorum, P.1.Serm.4.& Serm.6. Hoc quidem schemate in scenam prodeunt Franciscani. Sed rident eos Dominicani. Negant vel unum sive Scripturæ,sive Patrum apicem reperiri, qui novæ Mendicantium opinioni patrocinetur. Ita *Dominicani*,in Concilio Tridentino; Ita diligentissimus ille Hispanus,*Melch.Can.*Loc. Comm.lib.7.

p.217.

p.217. Sit igitur hic aliqua in solvendo difficultas: quid vero ampullis illis & sesquipedalibus verbis, quibus Pontifici Romano Controversiarū judiciū defertur, opus est, si vera à falsis, φαινόμενα à solidis dijudicare non posit aut secernere? *Temerè dictum*(ita Legatus apud *VVadding* p.246. ad verba Cani: *Sed quia neutrum ex illis opinationibus poterant tanquam dogma Catholicum probare*) *& inconsultè, ne graviorem notam adjiciam. Quis enim Catholici nominis Vir, Catholicæ Ecclesiæ Magistro, & summo Rectori datam sibi potestatem dignoscendi inter lepram & lepram, veram à falsa doctrina discernendi, & sacræ Scripturæ sensum aperiendi, negare audebit? Rem certè gravem attigit Canus, magnum movit lapidem, & nimis liberè negavit, vel in dubium illud revocavit, quod necesse est, ut in confesso sit apud omnes.* Macte, Cadmæi fratres! Mutuis concidite vulneribus, sanctaque nobis otia intestinis vestris dissidiis facite! Discite verò hinc, judicem vestrum verè, in re licet seria, cereum esse nasum. Flectit & flectitur, quò vult: non causam cum causa, nec rationes confert cum rationibus, sed causam ex personarum pretio æstimat. Abeant Hispani, & quid post sumptuosam pro hac una causa Legationem, judici suo tot elogiis ad cœlum evecto, debeant, aliter exprimant, quàm à *VVaddingo* factum, aut de fi-

dei suæ articulis meliùs ipsi sentire discant, ne, quæ Pontifex uno loco collocat, illi δὶς διὰ πασῶν dissentire, ubique, magno cum Religionis suæ dispendio, spargant. Sed reservanda hęc sunt sequenti seculo.

Cur verò Pontifex non aliter in hujus quæstionis decisione se fatigavit? Non ad salutem facit, nec est de fundamentalibus fidei articulis. Est hoc ultimum Pontificiorum Doctorum κρησφύγετον. Ipse certè *Melchior Canus* lib. 7. p. 222. arundineum hoc sceptrum Pontifici suo porrigit. *Atque ea causa est*, inquit, *nisi toto cœlo animus meus errat, quamobrem nec Sixtus IV. nec Concilium Lateranense sub Leone X. nec Synodus Tridentina sub Paulo & Julio tertiis inchoata, eam quæstionem definierunt. Neutram enim ex illis opinationibus poterant tanquam dogma Catholicum approbare.* Sed cum Hispanis primò suis transigat, antequam judicium tale hac de re à nobis expectet. Aliud longè oratio ad Paulum V. habita, apud *VVaddingum* suadet. Fatetur enim Orator in Franciscanorum gratiam (p. 106.) animarum jacturam non immodicam; inter tot dissidia, dissensiones, tumultus populorum, & dissonantiam Doctorum extimescendam. Scandalum Christiani orbis non leve esse orthodoxorum Præceptorum & magnorum Prædicatorum dissidium, p. 107. Quid? quod orat. 9. p. 241. Cani sententia ex professo refellatur? Sectione

ne enim 7. invehitur in Canum, quód homo in Scholis versatus, in Disputationibus exercitatus, & florentissimæ totius orbis Academiæ Filius & Magister, ita contemptibiliter judicârit de hac controversia. S. 8 quærit. *Quomodo fidem non concernet Controversia, quæ non alijs fundamentis, quàm fidei principijs agitatur? Quomodo affirmantes suam urgent sententiam? Unde eam deducunt? Nonne ex illo fidei principio, omnes naturales filios Adam proprium traducere peccatum? Annon ex illo fidei articulo, Christum universalem esse omnium Redemptorem? Nonne ex illo fidei dogmate, omnes peccato mortuos, pro quibus vitæ restituendis Christus mortuus est. Nonne similiter negativæ assertores suam stabiliunt sententiam multis privilegiis, quæ de fide constat B. Virg. fuisse concessa?* Tandem etiam probat, S. 9. *ad morum reformationem, & magnum populorum in fide & devotione profectum hujus Controversiæ decisionem conducere.* Sic quidem Franciscani de hoc controversiæ momento & pondere. Nec aliter Dominicani, qui in explicanda & exaggeranda hac ipsa quæstione omnes sui exercuerunt & exeruerunt ingenii & eloquentiæ vires. Testis est *Bandellus*, apud *Rivet.* Apol. p. 40. Mittant igitur inanes has

has curas Papomanitæ, & περισσωπολη ψία ductos noluisse quenquam decisione sententiæ offendere Pontifices, tandem concedant.

II. *Non videre manticæ quod à tergo est adversarios nostros, qui, dum lites domesticas sæpe nobis exprobrant, non observent, huic se cœno ad ambas usque aures esse immersos.* Metuis, ne forte præcipitemus, quòd, aut ascititiis, quales Lamiis veteres tribuerunt, hæc intueamur oculis, aut livore saltem & odio religionis fascinatis. Abjice metum. Ipsi hanc in Ecclesia sua prodiderunt maculam Pontificii oculatiores. Referam hoc loco verba *Antonij Treij*, Episcopi Carthaginensis, & in hac ipsa causa ad Pontificem delegati. Ita sonant apud *Wadding.* p. 103. *Nonne & derisuros Hæreticos timendum est, dum viderint inter nosmet ipsos non constare, quid credendum aut tenendum sit, quibusdam, imò ferè omnibus, affirmantibus, pauculis admodum negantibus, post tot tantósque disceptionis annos, quibus utrinque plus satis congressum est, & sævitum? Qualiter nostras actiones & intestinas Hæretici interpretabuntur discordias? Qualiter nostras nobis obvertent contentiones? Si Ecclesiasticam illis prædicamus concordiam, nonne nostram nobis objicient discordiam? Si pacem, & unitatem commendamus, non-*

ne

ne lites nostras & dissensiones nobis opponent? Si cultum Virginis inculcamus, circa eum apud nostros dubitari nonne dicent? Si insanam illorum Britannicam exprobramus definitionem, qua Virginem & in peccato conceptam & natam pronunciârunt; respondebunt, ex nostris esse, qui idem, quod illi de conceptione affirment. Quod verò ad nativitatem attinet, non plures sibi pro illius sanctitate suppetere S. Scripturæ authoritates, quàm pro conceptione, nec validiora pro illo stare Patrum testimonia, quàm ex authoritate Ecclesiæ desumta, quam parvi pendere dicent hos nostros adversarios. Si noviores hæreticos incusamus, quòd Virginem Deo gratissimam, aliquando vel venialiter peccâsse asseruerint, replicabunt, ex Catholicis esse, qui gravius imputent scelus, aut nævum peccati originalis. Quòd si pro istis supplicamus, vel admittamus aliquos esse Patres, qui ita senserint; plures, & graviores esse dicent, qui actualiter peccâsse expressè tradiderint. Si dedecus & Matris & Filij hoc asseramus; Majorem & turpiorem hanc, utrius-

utriusque prædicabunt infamiam. Si jam tandem ultimum contorqueamus telum, sanctam natam, sanctè sine ullo peccato vixisse, & gloriosè anima & corpore ad cælos evolâsse, nos firmiter credere dicamus, solùm propter majorem Virginis excellentiam & magnam Ecclesiæ authoritatem; idem in nos retorquere non verebuntur jaculum, nihil horum tantum Virgini tribuere, quantum per peccati originalis maculam, quam eidem ingerimus, ab eadem auferimus; nec paucas adhibuisse Ecclesiam diligentias, aut parum suæ authoritatis in hoc uno stabiliendo consumsisse. Non dum satis capis bilem in hujus controversiæ examine licenter ubique effusam? Age propius paulò ad theatrum Tragœdorum accede. Prorumpet hîc furibundus Franciscanus, & ut Dominicanorum causam prodat & perdat; summæ impietatis eos reos agit, & infensissimos B.Virg.hostes ita παραδειγματίζει. *Isti* (Dominicani) *Genitricem Dei vituperantes, postposito omni respectu, proclamant in populis, tumentibus buccis, ipsam peccatricem fuisse. Ad sonitum campanæ convocantur omnes, ut audiant falsum testimonium scil. quòd innocen-*

centissima injusta fuerit. Isti ascendunt alta tribunalia, magnos pulpitos erigi faciunt, & numerositate librorum se circumdant, ut B.V. multorum voluminum ostentatione condemnent; quam justè & secundùm veritatem peccato obnoxiam fuisse probare non possint, cùm tamen in criminalibus probationes esse debeant luce meridiana clariores. Sed quod abominabilius est, cùm etiam contra sceleratissimos quosque non soleat ferri sententia sanguinis, nisi inferialibus diebus; contra ipsam tamen innocentissimam Virginem in majoribus festis ac solennitatibus à talibus condemnationis sententia profertur. Et, cùm ad malefactorum audiendam condemnationem solum generali campanarum signo populus invitetur, ad audiendam tamen injustissimam sanctissimæ virginis condemnationem ultra generalem sonitum tales crudeles judices per domos discurrentes, unumquemq; specialiter invitant, quòd B.V. coram pluribus diffametur, atque ad audiendum injustum judicium, sæpe etiam inviti pertrahuntur: & quanquam falsis allegationibus de-

decepti eorum falsam sententiam, contra B.V. prolatam, veram esse arbitrantur. Quibus ego dicere possum illud Danielis 13. Sic fatui filii Israëlis, non judicantes, neq; , quod verum est, cognoscentes, condemnâstis filiam Israël. Revertimini ad judicium: quod falsum testimonium locuti sunt adversus eam. *Isti diffamatores Virginis, ut dicebat quidam devotus Prædicator, in hoc faciunt eam videri pejoris conditionis, quàm Diabolus; qui nunquam aliquod originale vitium habuit, nec ab alio contraxit peccatum. Profectò tales sunt similes corvis, qui etiam in rebus mundis, & odoriferis immunditiam & putredinem quærunt.* Ita *Bernhard. de Bust.* P.I. serm. 111. de Concept. Mariæ. Hanc fabulam agit Franciscanus. Quam inultam diu personatus Dominicanus non relinquit; sed, nihil remissior aut tepidior, minarum & dicteriorum plaustra in adversarium conjicit. Audiatur vel unus *Bandellus*, sive *Vandellus*, Italus, de castro novo, qui duos de conceptione B.V. conscripsit libros, quorum primus dicatus Petro de Gambara, civi Brixiensi, editus fuit, suppresso nomine, an. Chr. 1475. secundus, in quo primum illum agnoscit suum, editus fuit cum authoris nomine, & Herculi Estensi, Ferrariæ Duci inscriptus, an. Ch. 1481. Epist. Dedicat. lib. 1. ad Ducem Ferrariæ, de Dominicanis scribit; *Quòd templa clamo-*

moribus compleverint, ineptissimas voces deprompserint, væsana mente desipuerint, ac veluti delirantes, divinam detestando veritatem, in sanctissimos duròsque viros sævierint, & quo seminandi erroris sui major se causa offerret, forum, eaq́ loca, in quibus animadvertebant ineruditam vulgi frequentiam, assiduè perlustrâsse, vulgi audientia contentos, peritus doctorum aures aspernatos. Vnde exclamat: *O deliramenta nequitiæ! Unde æterne genitor, funestum hoc virus eorum mentes obrepit, qui castissimæ matris Ecclesiæ laribus educati, à primis, ut ajunt, unguiculis, veritatem divinarum rerũ suxisse debuerant? Quid porrò hac peste perniciosius? Quid tanta tabe execrabilius exeogitari poterit? Nefandum sanè est, id alteri attribuisse, quod solum Christo in divinas laudes fidei immaculatæ donatum fuisse profitetur.* Pergit: *Cùm rationem nostrarum fundamenta suis tortuosis argumentationibus, vel saltem leviter fœdare non possent, eos illico tanta invasit rabies, quod in me fremere labiis, stridere dentibus, bestiarum more cœperunt, ita ut spumantes*

apros pestifero telo percussos, aut certè rapacissimis canibus undique coarctatos, hos facilè putares: nos enim, quia rationibus refutare facultas non erat, contumeliis, conviciisque affectos terrere nitebantur. Et Epist. dedicat. secundi libri ad Comitem Petrum de Gambara. *Sic,* inquit, *isti divinarum literarum ignari, dum virginem Dei Genitricem sub specie pietatis, falsis honoribus extollunt, Christi dignitati nefandissimè detrahunt, sanctas Scripturas perversè exponunt, sanctorum Patrum sententias spernunt, & tandem propter humanum favorem AC TERRENUM LUCRUM novos errores confingunt. Hi, secundùm Hieronymum, velut adulterini filij, à Patrum suorum vestigijs discedentes, veritatem vertunt, in mendacium, & superstitiosa temeritate armati, terminos transferre præsumunt, quos posuere patres eorum. Isti de domo Domini populos seducunt, & ut pertinaciter defendant errorem, DIVINAS SCRIPTURAS PERNICIOSE' DEPRAVANT, Doctores antiquos condemnant, & imperito vulgo prædicantes, audent alijs dicere, quod ipsi*

ipsi non intelligunt, nec fateri etiam verentur, se aliquid videre, quod sui non intellexerunt Magistri. O stupendum prodigium! Ut quidam (ut ita dicam) scalciati moderni, vento pleni, sapientia vacui, tam facilè intellexerint, quæ Doctores antiqui vita sanctissimi & c. ignoravere. Et paulò pòst: *Sanctorum veritates flocci pendentes ad fabulas se convertunt, & ad sensum errorémque suum perniciosum, incongrua adoptant testimonia, quasi grande sit, & non vitiosum dicendi genus, depravare sententias, & ad voluntatem suam sacram Scripturam trahere repugnantem.* Libro eodem, via 3. p. 2. rat. 13. ad finem. *Quidam*, inquit, *fabricatores mendacij sanam doctrinam non recipientes, ad fabulas se convertunt, & sententias sermonibus involvunt, dicentes, & obstinata fronte prædicantes, B. V. nunquam originali peccato infectā fuisse, & tamen ad Christi redemtionem & salvationem pertinere. Tales profectò, Scripturas perniciosè depravant, & errorem Pelagij, Cælestij, & Juliani suis expositionibus defendunt.* Item: *Ita enim errantes, ita delirantes, ita insa-*

nientes sunt, ut non advertant, in eo, quòd B. V. peccatum non contraxisse asserunt, quòd ipsam salvatam & redemtam fuisse abnegant. Hæc *Bandellus.* Habes breviter Seculi XV. μοναχομαχίαν, cujus frustra, propter tot Pontificum Decreta, sequenti XVI. seculo inducias expectas. Annon enim, si unquam, alias, ipso hoc seculo decimo sexto, bellum Monasticum ita iterum exarsit, ut non malè *Homeri* verbis scribere liceat:

Τῶ μὲν δὴ χεῖράς τε καὶ ἔγχεα ὀξυόεντα,
Ἀντίον ἀλλήλων ἐχέτην μεμαῶτε μάχεσθαι.

Dominicanos Franciscani probroso *Maculistarũ* nomine, & qui in sensum essent reprobum dati, notabant. Franciscanos illi tanquam numerum fruges consumere natum, & homines βλακὸς ἀχρηστοτέρους negligebant. Vtrique πὺξ καὶ λὰξ concordiam & pacem respuebant, usque adeò, ut flectere qui non potuerunt superos, Acheronta movere fuerint conati: cujus quidem perversę mentis vestigia in Bernensium historia elucent.

III. *Pontificis judiciariam potestatem verbis, quàm obsequio in medio Papatu fuisse majorem.* Quid Pontifici Canonistæ & Scholastici, in decidendis fidei Controversiis non tribuunt? Verùm, arbitraria omnia fuisse, & πρόσκαιρα, experientia, certissima rerum Magistra, abundè probavit. Quoties, ut ab hac ipsa, de conceptione B. V. lite faciamus initium, Pontifex decretis suis, Dominicanis & Franciscanis im-

impoſuit ſilentium? Hîc fulminum, anathematum, minarũ in contradicentes, nec finis, nec modus. Extant Bullæ *Sixti IV. Alexandri VI. Leonis X. Pii V. Pauli V. Gregorii XV.* judicium etiam Concilii Tridentini, ut in tactam hanc relinquerent quæſtionem: quæ in omnium ſunt manibus. Sed quæ vel annorum decuria, quâ, utrique ordines inter ſe comiſsi, non id ſtrenuè egerint, ut, inſuper habito Pontificis juſſu, ſententiæ quique ſuæ ſedem quærerent & altiores radices? *Franciſcani* (præterquam quòd tot plauſtris convitiorum, onerârunt adverſarios,) votis etiam ſe ad affirmativam obſtrinxerunt; Quorum exemplo multæ hinc inde Academiæ, Colonienſis, Valentina, Vrſanenſis, Cataloniæ & Arragoniæ Vniverſitates Moguntina; Senenſes, Reges, quos vocant, Catholici, Communitates, Religionésque integræ Fratrum & Monachorum, eorundem votorum rei, honoribus Academicis, aliisque publicis interdixerunt, qui ab illa vel hilum recederent. Vide Legat. *VVadding.* pag. 400. 401. 407. Qua verborum acerbitate contrariam ſint inſectati opinionem, noſtro etiam; poſt tot decreta, ſententiam, ſeculo jam ſupra ex *VVadd.* monuimus De Dominicanis meliora tibi pollicearis? Sed, tum ipſa hæc Bernenſium Dominicanorum reclamat tragœdia, quâ Pontificem ἀμφοτέρωθι conſtrictum, fraudibus & impoſturis ad ſuam mentem inflectere volebant; tum querelæ, quas ſcripti Editor de Dominicanorum inſolentia, pertinacia, & calumniis movet; tum etiam Bandelli ſeria in adverſarios ἐπίδειξις. Quid ergo? Clamat, tonat, ful-

minat Iupiter Capitolinus ; ut, tanquam Tityrus aliquis,invitum cogat pecus, & pacis studia dissentientibus commendet. Sed quo successu ? Rident omnes hæc ex pelvi fulgura. Illi etiam, quorum interest, sartam & illæsam servare Pontificis authoritatem,flammas,ignes,convitia spirant,judicem suum contemnunt,&,quasi mercede conducti essent,de se potissimùm, πολυθρύλλητον illud ; *Nitimur in vetitum semper,cupimusq́; negata,* dictum esse, palàm faciunt. Ex alio periculum faciamus certamine, quid judici suo deferant Pontificii,ubi ad mentem is non pronunciet,Dominicani,cùm vidissent,multum accedere famæ & existimationi ordinis Franciscanorum ex stigmatibus Patriarchæ suo Francisco cælitus inustis,ad dolos se convertunt, & ne ulterius contemtum hunc sustinerent, idem privilegium Catharinæ Senensi,Dominicani instituti Vestali, divinitus concessum jactare cæperunt. Res in controversiam venit. Prævalent initio Franciscani,qui,Pontificis authoritate suffulti,non modò obtinuerunt,ut pœnæ decernerentur illis,qui Catharinam Senensem cum stigmatibus pingerent, fingerent, aut proponerent in publicum (vide *secul* XV.pag 89) sed & odiis & persecutionibus Dominicanos impunè premerent. Postea veró, cùm Dominicani tanto in discrimine ubique versarentur, Pontifex sublatis anathematibus,à persecutione Minoritas cohibuit, *atque adeò,* ut Bzov. an Chr.1483. S.20 loquitur, *gravissimam controversiam componere conatus*

tus est. Conatus est, inquit. Quàm enim hæc Pontificis εἰρηνοποιΐα parùm fuerit diuturna, ex ipsa Dominicanorum Bernensium tragœdia elucet, in qua & *Catharinæ Senensi* partes suas relinquebant. Simultates hæ, longo temporum tractu, ita alta mente manebant repostæ, ut Minoritæ sub finem Seculi XVI. hanc denuo excitaverint controversiam, cui Clemens octavus, sequens decretum opposuit: *Cùm, sicut accepimus, nonnulli Fratres, ordinis Sancti Francisci prætendunt, imaginem S. Catharinæ de Senis non esse depingendam cum Stigmatibus, sed solius S. Francisci imaginem, ita depingi debere, ac super hoc cum Fratribus Ordinis Prædicatorum altercentur, & contendant. Nos hujusmodi altercationes & contentiones præcidere cupientes, negotium istud Venerabilibus Fratribus nostris, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, super sacris ritibus & ceremoniis deputatis, examinandum, cognoscendum, & decidendum ac terminandum commisimus; cum decreto tamen, quod interim nihil innovaretur. Ne autem, dum in dicta congregatione, prædictum negotium deciditur in aliqua orbis terrarum parte circa hoc aliquid innovari contingat,*

vobis, & cuilibet vestrum per præsentes committimus & mandamus, ut authoritate nostra curetis, & præcipiatis sub censuris, & poenis Ecclesiasticis, arbitrio vestro infligendis, ne in civitatibus & Diœcesibus vestris quisquam Fratrum prædictorum S. Francisci, aut alii quicunque (donec in dicta congregratione Cardinalium hujusmodi negotium stigmatum Sanctæ Catharinæ definitum & declaratum fuerit) circa illud aliquid innovare, aut ulterius altercare vel contendere præsumant. Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac præsertim felicis recordationis, Sixti Papæ IV. prædecessoris nostri, cæterísque in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunq., &c.

IV. *Quàm fuerint incerti Majores nostri in enumerandis suis sanctis.* Ab arbitrio & pretio hominum dependébat, quod meritò aliunde expectâsses. Savanarolam author Historiæ præsentis appellat *Hæreticum pessimum*: Alio longè animo in ipsum, Dominicani propè omnes, eum vitæ sanctimoniâ, & eruditione nulli secundum fuisse volunt. Vid sup. *Sec. XV.* p. 67. 75. Alexandrum de Ales, & Iohannem Scotum ad Purgatorii carcerem detrudunt Dominicani, quos cæteri super astra evehunt. Hic quid faciat rudis & imperita plebs ut pretiosum à vili

vili discernat? Sic Dominicanos Bernenses publicè alii Martyrum nomine insigniunt; reliqui turpissimæ iis Hæresis notam inurunt. De Pontificibus ipsis quid dicam? Prout quisq; vitæ censorem fuit nactus, ita vel ad cælites evectus fuit, vel abjectus ad tartara. Exemplum illustre habemus Seculo XI in Gregorio VII.ut suo loco fusè diximus.

V. *Quàm fertilis sit errorum & superstitionum ager, ita tamen, ut dormientibus nec animadvertentibus hominibus zizania incrementa sua accipiat.* Historiæ præsentis scriptor refert, sententiam de immaculata B.M. Virginis θεοτόκου conceptione, ita brevi indevisse, *ut torrentis instar, non modò Franciscani ordinis Fratres, sed totius Christianæ plebeculæ corda inundaret*: Vide sup p.350. Quibus verò initiis? Frænum citò satis Christiani laxabant tum aliis superstitionibus, tum ὑπερβολικῇ Μαριολατρείᾳ; id quod ipsis verbis authoris gravissimi, qui Acta Concilii Tridentini nobis dedit, supra jam monuimus. Vbi semel B.Mariæ cultus limites transiliit, perruptis omnibus Apostolicæ simplicitatis carceribus, ita se otiosorum & ad καινοτομίας, devotionis prætextu, pronorum hominum error paulatim diffudit, ut quò quis plura ad hanc structuram contulit subsidia, eò de Ecclesia melius meritum se esse crederet. Conjecturis, & incertissimis initiò semper certatum argumentationibus. Tum demum, ubi ad rem Romanam augendam, facere nova dogmata videbantur; decreta accedebant, & anathemata. *Alexandri de*

Ales (Ζύγχρονος fuit *Accursij, Eustachij*, qui & Bonaventura, *Vincentij*, circa an. Chr. 1240,) in quæstione, ad superstitiosæ plebeculæ placitum decidenda, *ad potentiam DEI confugit.* Potuisse Deum excipere B.V. à macula originali; an exceperit, soli Deo constare. Placuit statim plerisque subsumere; Imò placuisse Deo hoc privilegio B.V. ornare; si qui secus sentirent, esse Maculistas, hæreticos, & si quid tetrius iis atra bilis dictavit. Vides, quàm infirmis tibicinibus tantæ molis ædificium nitatur! Speculationibus vel ἀεργῶν, vel περιέργων Monachorum hæc debemus, ceu prolixè admodum docuimus P.II. ὁδηγῦ pag. 156. & deinc. Nec certiora aut firmiora fundamenta sunt, quibus invocationem reliquorum sanctorum superstruxerunt: vide l.c. pag. 212. Idem de Purgatorio, Indulgentiis, satisfactionibus humanis judicium esto. Facile; certè utile; esset probatu, his initiis & progressibus universum constare Papatum ἄγραφον καὶ ἀντίγραφον. Sed brevitatis nos studium aliò vocat.

VI. *Magnâ Pontificiorum, Monachorum potissimùm, versutiâ & maliiâ, imaginibus officium Doctorum publicorum esse delatum.* Imaginum enim subsidio impia sua dogmata plebi potissimum instillârunt. Mariæ cultum & honores penè divinos crevisse ex imaginibus, testis est *auth. Act. concil. Trid.* Dominicani ut contra Franciscanos probarent, Christum fuisse proprietarium, imagines insolitas, & etiam num Pontificiis suspectas (si in ren tam perspicua suspi-

suspicioni sit locus) in subsidium vocant: vide sec. 14. pag. 739. in subsidium vocant. Eodem compendio Catharinæ suæ Senensis stigmata commendare volebant. Seducendi genus intolerabile! Sed de hac periculosa Theologiæ Methodo secundum plerosque fidei articulos, consuli potest P. III. ὁδηγῶ pag. 41. & deinc. Periculum hujus mutæ & brutæ institutionis ipsi viderunt Monachi. Vnde tumultus Franciscanorum contra Dominicanos propter stigmatizatam Catharinæ picturam; quam abolitam ubique, ne errores doceret, volebant. Quid nî ergo Reformatis eadem lege cum imaginibus *More ScheKer*, Doctoribus mendaciorum, agere licuerit? Hanc verò sentinam alibi exantlavimus.

VII. *Visiones & apparitiones à multis retrò seculis ita fuisse incertas, ut mirandum sit, ita eas in Ecclesia Romana, hodierno etiam die, sive grassari, sive triumphare.* Non loquor de apertè falsis & fictis, quæ facile evanescunt, & ab omnibus pariter tanquam impiæ & Diabolicæ rejiciuntur: Tales sunt Bernensium, Aurelianensium, &c. Monachorum præstigiæ. Illæ etiam visiones, quæ nec à Pontifice damnantur, nec ab ipsis illarum scriptoribus, quos solenni Canonizatione in Sanctorum Catalogum Papa retulit, ἀθεΐας accusantur, nullam apud Pontificios fidem merentur. Cur ergo nobis talia subinde obtrudere satagunt? Aut cur nostram fidem nugis suis deberi volunt? Revelationem Catharinæ Senensi factam describit *Antoninus*, Florentinus Archiepiscopus: Hæc verò, quia opinioni immaculatæ conceptionis jugulum petit, una cum authore à Franciscanis & aliis

aliis rejicitur. Author, *Sanctus* licèt, opinione & decreto Pontificis, tanquam Rhapsodus & fabularum consarcinator à *Melchiore cano*, *Possevino* (vide *VVadding*. p. 363.) *Antonio Cordubensi*, *Petro Maturo* Gallo, contemnitur. Ipsam revelationem *veluti prætensam, nullo gravi authore vel firmo assertore dignam, nullo solido fundamento stabilitam, aut ratione commendatam penitus & liberè rejiciunt, ac falsò confictam, excogitatámq; dicunt ab aliquibus maculatæ conceptionis fautoribus* : *VVadding*. pag. 364. Ita, præter alios *Franciscus Suarez* Tom. 2. in 3. part. disput. 3. Sess. prima § *Tertiò augetur*. *Gabriel Vasquez* Tom. 2. in eandem partem, Disp. 117. c. 5. num. 80. *Iacobus Lusitanus*, *Iacobus Granado*, *Antonius Cordubensis*, alii. Et Ietzerus: *Ego*, inquit, *firmiter credo, quòd mulierem illam* (Catharinam Senensem) *alioquin credulam deceperunt in suis revelationibus & stigmatibus, sicut & mihi fecerunt. Præsens, inquam, negotium Index est præcedentium.* Acuta, profectò, hominis alioquin illiterati, & obscuri cerdonis argumentatio. De præteritis judicium fieri voluit ex præsentibus, quod cum illo observare nunquam pudebit illos, qui nostro tempore examen ejusmodi mercium supposititiarum instituunt. Eadem etiam ratio miraculorum est. Crepant ubique Pontificii *Ση-*

μεῖα

μεῖα καὶ τέρατα. Sint quædam verè talia, nonne Antichristum hac ultima mundi senecta χαρακτηρίζουσιν, atque adeò apertæ sunt à DEO & verbo ejus Apostasiæ? *Matth. c. 24.* Examinata tamen ad lydium veritatis lapidem nugæ plerunque sunt, & famosissimorum nebulonum fumi? Non quidem, occulta quadam; sed justissima Dei providentia, fraudes ejusmodi semper deteguntur: detectæ tamen nonnunquam, cur non, quid de cæteris contra expressum DEI mandatum venditatis miraculis censendum sit, nos moneant? τινῶν ἀνθρώπων, inquit Apostolus 1. *Tim.* 5. 24. αἱ ἁμαρτίαι πρόδηλοί εἰσι προάγουσαι εἰς κρίσιν. τισὶ δὲ καὶ ἐπακολουθοῦσιν; idem etiam de tot maleferiatorum hominum prestigiis judicandum. Detegit Deus quorundam impia molimina; quædã futuro examini reservat; utraq; providentię divinæ dispensatione fides, obedientia & progressus in Orthodoxia explorantur.

VIII. *Quàm corruptus & depravatus tum alibi, tum in ipsa Helvetia ante Reformationem fuerit status Monasticus Dominicanorum cumprimis & Franciscanorum: reliquorum* breviter meminimus P. II. *Anal.* p. 547. & sup. p. 311. Vt de Dominicanis Bernensibus plura addamus, nihil nos urget. Etsi enim quadriga actorum fabulæ in fumum pridem & cineres fuerit redacta, memoriam tamen ejus nulla delebit oblivio; à nobis verò propterea diligentius refricanda, ut de intolerabili Majorum jugo, ipsaq; adeò summa Reformationis necessitate plenius constet. Hi certè

tè probârunt, verissime scripsisse *Henric.Murer.* Lucern. Carthus. in Helve. Sancta p. 84: *Non est malitia supra malitiam claustralium perversorum, qui nullum facinus abhorrentes, audent quod livor suggesserit.* Quid enim perversius, quid atrocius hi Monachi designare potuissent, quàm quòd corporis & animæ pericula subire fuerint parati, modò φιλονεικίᾳ & vindictæ studio satisfacerent? Et tamen, qui pactis se Diabolo ad adversarios opprimendos, emancipârunt, persuaserunt mundo, suorum operum mantissà vitam æternam pro aliis redimi. ὦ μυστήριον τῆς ἀπάτης! Qui hominum mentibus sacræ Scripturæ authoritatem excusserunt, jam, in sensum dati reprobũ, ad eas præcipites ruerunt artes, quibus toti orbi se exibilandos propinârunt. Qui στῦλοι καὶ ἑδραιώματα totius Ecclesiæ Christianæ habebantur, propter quorum merita Deus perditissimo & corruptissimo pepercerit seculo, ea etiam sacra, quæ recepta tum erant & profanant, & suspecta reddunt. Secretum confessionis; quod huic hominum generi usitatius fuisse, quàm conveniret, supra jam verbis *Lystrii* monuimus; produnt & eliminant; causam bonam pessimis artibus defendunt; Panem suum Deificatum toxico inficiunt; colorem ascititium & Magicum potius quàm artificiosum pro divino venditant; tot præstigiis Indulgentias adhuc pollicentur, & ut Franciscanis ægre facerent, cœlum Deumque abnegant. Sed quis hoc nequitiæ Monasticæ

stabulum everrat? Ita nempe hujus conflugis impietas hoc ipso tempore in maturitatem erumpere debuit, ut futuræ mox Reformationi via commodior sterneretur. Nam postquam Clerus, in cujus pietate, apparitionibus, miraculis proram & puppim salutis suæ Laici ponebant, fronte toties perfricta, sacra omnia in ludibrium & contemtum mutâsset, fama de Reformatione ad hominum sub onere superstitionum gementium & fatiscentium allapsa, illabi facilius potuit. Tigurinos Dominicanos hilo meliores fuisse quis præstabit? Non certè Fratres Bernenses, qui, cùm aliis rationibus nihil proficerent, apparitionibus tandem Pontificem Romanum, ut de reformando utroque conventu Thuricensi & Argentinensi cogitaret, expugnare voluerunt. Cur toties Reformationem potissimùm urserint conventus Argentinensis & Thuricensis bestiæ deformes, hactenus indagare non licuit. Hoc tamẽ ex domesticis annalibus aliisque documentis αὐθεντικοῖς eruere possum I. *Arctissimo nexu & vinculo duo ista Dominicanorum Collegia sibi fuisse devincta.* Argentinensibus Tigurini debuerunt, quòd post seriam civium luctam, intra mœnia urbis fuerint admissi, cùm ante hac Tiguri non nisi unicum cœnobium fuerit, Abbatissanum an. Chr. 833. à Ludovico German. Bavar. & Ost-Franc. Rege, Ludovici P. filio fundatum, & Hildegardi filiæ commissum. Gratiam hoc nomine Argentinensibus Monachis ipse egit Pontifex, *Gregorius IX.* his verbis. *Gregorius &c. Scholastico*

Por-

Portenario Majoris Ecclesiæ, & Decano S. Thomæ Argentinens. Gaudemus in Domino & in laudibus dilectorum filiorum Prioris, Provincialis, & Fratrum ordinis Prædicatorum in Teutonia, quòd suum ministerium diligenter implentes, se operarios, inconfusibiles exhibent, dum non solùm vitiorum sentes de vinea Domini extirpare, verùm etiam vulpes parvulas laborant solicitè capere. Sanè audito, quòd ex oratorio cum domibus, quod in castro Thuricensi de novo construunt Fratres isti, universi Ecclesiarum Prælati & Clerici Thuricens. graviter sunt commoti, formidantes ne ad jura eorum Parochialia (nec abs re, quam enim difficulter Monachi hæc talia eripi sibi voluerint, vel ex eo patet, quòd, cùm a. Ch. 1509. civis Sangallensis in Cœnobii asylo diem obiret, eumque Pastor templi Laurentiani in suo cœmiterio sepeliendum contenderet, Abbas verò reluctaretur, ita lis illa exarsit, ut vix tandem post 6000. floren. impensas, authoritate Legati Pontificii componi potuerit: Stumpf.) *manus extendant, &c. ita providendum duximus, ut cives in Nativitate Domini, in Epiphania, in Cœna Domini, Resurrectione, Ascensione, Pentecoste, Nativitate Joh.*

Joh. Baptistæ, Assumtione Virginis, & Natalitijs Apostolorum per eos nullatenus ad divina admittantur, donec populares Missæ in Ecclesiis Prælatorum & Clericorum fuerint celebratæ. Nec recipiantur decimæ à fratribus prænominatis. Illorum corpora, qui apud eos elegerunt sepulturam, prius portentur ex more in Parochiam, ut ibi exequiæ celebrentur, & tunc ad eorũ deportentur Oratorium tumulanda. Quod autem ab hujusmodi decedentibus in ultima voluntate relinquitur, eorum usibus applicetur, salva illarum Ecclesiarum Canonica justitia, à quibus mortuorum corpora assumuntur. Ne igitur præfati Prælati, & Clerici Christi Ministros persequi videantur, quos tenentur pio favore fovere, eis per Apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus, ut jam dictos Fratres nullatenus molestare præsumant, contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datæ sunt literæ 2. Id. Maji 1233. aut 1235. Non igitur mirum est, eo etiam tempore inter Dominicanos Thuricenses & Argentinenses tam bene convenisse, qui ab initio ferè Ordinis tanta coaluerunt familiaritate & communi, pro quæ-

rendo & obtinendo nido, cura. II. *Dominicanos non minus quàm cæteros per Helvetiam ordines, ob luxatam ubique disciplinam & πολιτείαν, invisos fuisse & exosos.* Cui accessit intolerabilis, & ab ipsis Pontificibus damnatus mos, quo Dominicanos legimus hoc iterum seculo pueros ex ephebis nondum egressos, ad instituta sua, & induendum cucullum pellexisse, aut invitos in Monasteria detrusos minorennes recepisse. *Hosp.* de Orig. Monach pag. 229.a. Unde factum, ut, onere Monasticæ hypocrisis fatigati, multi resilierint &, ut loqui amant, ad seculum redierint. Exemplum domesticum habemus in *Iohanne Adelschwiler*, alias Köchlin Professo Prædicatorum, qui cùm compedibus Monasticis, quibus puer invitus constrictus erat, extricare se non potuisset, operam tandem & opem *Matthæi Sedunensis*, Legati Pontificii, imploravit, qui sequenti ipsum viatico instructum à se dimisit: *Matthæus, miseratione divina, sanctæ Potentianæ, S.S. Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, Sedunensis totius Germaniæ & Lombardiæ, ac ad quæcunque loca, ad quæ nos declinare contigerit, Sanct. D.N Papæ, & Apostolicæ sedis Legatus, dilecto nobis in Christo, Collegiatæ Ecclesiæ, oppidi Thuricensis, Constantiensis Dioeces. Præposito, salutem in Domino sempiternam. Dilectus nobis in Christo Joh. Adelschwviler ordinis S. Dominici Professus,*

fessus, proponi nobis fecit coram nobis, quòd olim ejus genitor, cupiens, quòd idem Johannes professionem emitteret regularem ipsum Johannem in undecimo suæ ætatis anno, vel circa, constitutum, ac Monasterium ingredi nolentem, & semper renitentem multis verberibus & minis, ac aliâs justo metu ab eo coactum, & ad continentiam ac alia substantialia ordinis prædicti vota se obligare nolentem, dictum Monasterium ingredi coëgit, in quo cùm aliquandiu permansisset, ac antequam professionem emisisset regularem, ipsum Monasterium exire cogitâsset, quosdam suos consanguineos seu affines interpellavit, ut apud ejus genitorem intercederent, quod eundem Johannem Monasterium præfatum exire pateretur, qui quidem genitor ad hoc consentire recusans, minas minis addendo ipsum Johannem in eodem Monasterio omnino remanere voluit, in quo tandem permansit, & in tertio decimo dictæ suæ ætatis anno professionem per Fratres dicti ordinis emitti solitam, quamvis invitus, emisit regularem, & per triennium ferè postea, metu ta-

men semper durante, in eodem permanendo, & sicut eadem propositio subjungebat, præfatus Johannes, statim percepta ejus genitoris morte, & sic metu hujusmodi cessante, super præmissis reclamavit, & Monasterium ipsum exivit. Quare, pro parte dicti Johannis, asserentis, se in professione hujusmodi nunquam liberè consensisse, nec illam postea gratam aut ratam habuisse, aut ullo unquam tempore in præfato Monasterio manere voluisse, nec velle, sed in seculo, ut secularem personam & matrimonium contrahere, & patrem effici liberorum desiderare, nobis fuit humiliter supplicatum, ne famæ suæ dispendium patiatur, quatenus ei in promissis opportunè prævidere de benignitate sedis Apostolicæ, cujus Legationis officio fungimur, dignaremur. Quocirca discretioni tuæ, auctoritate Apostolica, qua per literas dictæ sedis sufficienti facultate, muniti fungimur, in hac parte mandamus, quatenus si inquisita per te super hoc diligentius veritate, rem ipsam inveneris ita esse, prout superiùs enarratur, dictum Johannem præmissorum occasione religioni præfatæ minimè

mè astrictum fore, neque ad continentiam seu aliud substantiale votum servandum, teneri, ipsumq́; in seculo, ut secularem personam remanere, & alio canonico sibi non obstante matrimonium contrahere liberè & licitè posse, pro ut juxta casus hujusmodi successum fuerit de jure faciendum authoritate Apostolica præfata denuncies & declares. Datum Vigl. nostræ Novarrenæ Dioec. anno incarnat. Domini 1612. die 16. Decembr. Præpositus Ecclesiæ Tigurinæ erat *Ioh. Mantz.* I.V.D. qui (ut habet mandati executio) *post harum literarum præsentationem & receptionem, per Joh Adelschvviler principalem debita cum instantia fuit requisitus, ut ad earundem literarum executionem procedere, & sibi citationem legitimam una cum inhibitione inserta, contra & adversus honorabiles & religiosos in Christo Dominos, Priorem & Conventum Monasterij Fratrum Prædicatorum in Turego, pro eorum interesse, si quod habere prætendant, omnésque alios & singulos sua communiter vel divisim interesse putantes, in forma solita & consueta decernere & concedere dignaretur.*

Fuit cognoscendæ causæ dies dictus, ubi Iohannes, postquam jurâsset, *se in professionem à se factam nunquam liberè consensisse, nec illam postea gratam aut ratam habuisse, aut ullo unquam tempore in Monasterio illo Fratrum Prædicatorum in Thurego remanere voluisse, nec velle; Judices, Christi nomine invocato, pro tribunali sedentes, solum Deum pro oculis habentes Johannem* Adelschwyler/*occasione per eum narratorum, religioni Fratrum Prædicatorum minimè astrictum fore, neque ad continentiam aut aliud substantiale votum servandum teneri, ipsum quoque in seculo ut secularem personam remanere, & alio sibi Canonico non obstante, matrimonium contrahere liberè & licitè posse*, pronunciârunt die Mercurii 19. Ian. 1513. præsentibus Dominis, Iohanne Murer, & Casparo Mantz Capellanis. Fusè hæc postea declaratio consignata fuit à P. Numagen Trevirensi, quam, quia prolixa nimis est hac vice omittimus. Id cumprimis observandum, quod præsentibus ordinis primariis, Friore Iacobo Ravenspül/ Lectore Burckhardo, & Procuratore Iohanne Schaffhuser, testibus probatum & evictum fuerit, *Johannem* Adelschwyler *professionem diu*

ante

ante legitimam ætatem (nonne hi periculosi erant laquei?) *fecerit, & quòd vim passus, scilicet verberibus & minus paternis Monasterium intrare, in eodem manere & profiteri coactus fuerit.* Dimissionis hujus promulgationem *Doctor Mantz* omnibus Abbatibus, Prioribus, &c. divulgari voluit, hac cum appendice, *ut si quis eam quocunque modo arrodere tentâsset, excommunicationis fulmine peteretur.* Rimam hic elabendi, qui invitus in Dominicanorum fœdera venerat, reperit; aliis tamen tam felicibus esse non contigit. Apostasię maculam virginibus etiam, quæ deserto cœnobio, ad quod blanditiis pertractæ nonnunquam erant, inusserunt. Memorabile occurrit exemplum in quadam Magdalena Jägerin/ cujus fatum & statum ex sequenti N. Epistola, ad Nuncium Apostolicum scripta perspicere licet: *Reverende Pater, exponitur devotioni vestræ, pro parte devotæ illius oratricis, Magdalena* Jägerin/ *professæ tertij ordinis, Beati Dominici, domus dictæ in* Clusa/ *Curiensis Diœces. quòd, cùm ipsa oratrix circiter undecimum ætatis suæ annum blanditijs & promissionibus quibusdam puerilibus, à certis, dictæ domus, sororibus illecta, domum ipsorum intrando, habitum præfati ordinis assumsisset, ac elapso inde anno probationis*

professionem continentem, certas observationes, ad quas hujusmodi sorrores teneri dicuntur, ipsa Oratrix, præ verecundia & ætate nesciens, quid faceret, in manus ejusdem Fratris de ordine Fratrum Prædicatorum coram populi multitudine, prout edocta fuerat, fecisset ac emisisset, atque usque ad pubertatis annos in magna miseria & paupertate permansisset domo in eadem, deinde importunitate cohabitantium, ac egestate nimia suppressa domum ipsam exire & in seculum redire coacta, apud suos consanguineos honestos, & in habitu ordinis, commorando, postremo etiam amissa spe redeundi ad præfatam suæ religionis domum, habitum ipsum ordinis deposuit, secularibus se vestibus induendo, & sic in seculo permansit, prout etiam de præsenti manet, & permanere intendit, à nonnullis excommunicationis sententiam, ac alias censuras & pœnas Ecclesiasticas, nec non Apostasiæ maculam seu notam incurrisse culpatur. Cùm autem, Pater Reverende, piarum mentium ibi sit formidare culpam, ubi interdum culpa minimè subsistit, pro serenitate conscientiæ

suæ oratrix ad cautelam; quatenus sententiam excommunicationis aut alias censuras & pœnas Ecclesiasticas, seu etiam Apostasiæ maculam ex hujusmodi factis incurrerit seu contraxerit, ac in futurum sibi à quibusvis personis improperiosè aut injuriosè hoc objici possit; Supplicat igitur devot. vest. oratrix ipsa, quatenus eidem more pij patris compatiens eam à quibusvis excommunicationis ac alijs sententijs, censuris & pœnis Ecclesiasticis per eam occasione præmissorum forsan incursis, misericorditer absolvere, omnémque apostasiæ maculam sive notam penitus & omnino aboleri, si quam propterea incurrerit, ac ut in seculo manere, & matrimonium contrahere liberè & licitè possit & valeat, quatenus opus est, dispensare, & indulgere de benignitate sedis Apostolicæ, cujus Legationis officio fungitur, & gratia speciali dignetur, constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac dicti ordinis statutis, consuetudinibus & privilegiis, cæterísque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque, cum clausulis necessariis & opportunis. Vides, quæ pietatis ex-

ercitia Monialibus curæ fuerint! Importunitate in sorores & socias ita sævierunt, ut vitam tolerare difficilè sepe fuerit. Reformatione multi putabant malum tolli posse; sed manum morbo desperato nemo facile admovit. Alii quisque hanc provinciam, quàm sibi imponi maluit. Cùm an. Chr. 1509. Reformatio, cura, & ἐπισκοπὴ Monasterii Vallis sanctæ Mariæ (quæ Abbati Capellano antea commissa fuit) VVettingensium Abbati commendaretur, non illi, quibus oneri huic cervicem suam subtraheret deerant rationes. Restaurationem prætendit Monasterii, biennio ante in favillas redacti, inspectionem insuper quatuor aliorum Monasteriorum, & tandem ipsarum etiam virginum vitam dissolutam. *Abhorreo* (sunt ipsius Abbatis verba) *fateor, illas Moniales, pro eo, quòd diversi Prælati (majoris, quàm ego sum, auctoritatis, censuræ & habilitatis, quibus successivè commissæ fuerant) se ab earum cura alter post alterum subducere, & penitus exonerare enixè & studiosissimè curârunt. Quid inde mihi boni suspicandum sit, pro mea imbecillitate, non video. Quæ de illis audivi & etiammet vidi, prætereo: utinam tamen essent pudica! utinam regularia! utinam honesta! Timeo, non bono zelo, eas rogâsse me simplicianum eis deputari in Rectorem.*

Ne-

Neque enim ex illa rogatione earum V. Pat. sumendum fuit argumentum de religiositate, zelo animarum, virtutibus meis, sed potius de contrario. In id enim qualitas earum divulgata, &, si fortè vestræ Paternitati ignota, se porrigit. Quamvis etenim, ut vereor, religiositatis & animarum zeli, virtutúmque qualemcunque in me sentiam affectum, effectum tamen, fateor, utpote tam indispositus, quàm impeditus, non sum prosecutus. Ego namque, qui meum Monasterium regere deberem, à Laicis regor, & postquã ad regimen mei Monasterij sum ascitus, varia pericula subij, tam in falsis Fratribus, quàm in corruptis potentatibus. Ego nomen gero Abbatis, Fratres mei per impressionem corruptæ & secularis potentiæ, dominantur & regunt, & ego per quindecim annos non administravi unius floreni valorem: A Secularibus enim, contra quos calcitrare mortale est, dependet officierum ordinatio, quorum metu etiam Pater Abbas se mihi subtrahit, & sic omni sum destitutus solatio, cùm tamen & foris & intus undique non solùm immineant, sed & grassentur insidiæ.

Hæc

Hæc etiam causa est, quòd me juxta debitum, imò conceptum, in meæ promotionis exordio, desiderium, ad capitula generalia præsentare nequiverim. Quid igitur boni potero efficere in alio Monasterio, qui nec in proprio sum meus? Grande aliquid & supra vires meas, licèt salubre & ad salutem requisitum, paternitas vestra mihi imposuit, ut curam geram, quatenus illæ Moniales vivant secundùm optimam formam vivendi, & prout in Monasteriis bene reformatis agitur, quacunque contraria consuetudine, aut potius damnabili corruptela non obstante: Reverendissime Pater, id Patres; ut dixi; me præstantiores non potuerunt, & ego, quomodo potero? Moniales illæ, ut dicitur, fræna religionis eò usque laxârunt, ut quaquaversum impudenter discurrant, & desperatum opus videatur eas retrahere, ad debitam formam vivendi conari. Quis enim eas à suis corruptelis cohibebit, quæ in sua dissolutione & libidine à Secularibus eas passim non solùm accedentibus, sed & quorsumlibet educentibus; & quousquelibet detinentibus, etiam carceres

Mo-

Monasterij effringendo, impunè confoventur & defenduntur. Hac de causa Patres illi, ne majores, ne rudium & crudorum secularium metuenda & periculosa odia, & persecutiones contraherent, se illarum curæ subduxerunt. Mihi igitur quid agendum, illorum & aliorum Laicorum potentia dudum oppresso? Quomodo reformabo illas tanto præsidio fultas, ego ipse non reformatus, & oppidò tam cupiens, quàm indigens reformari? Unde etiam occasione accepta, rogo vestram paternitatem reverendissimam, per viscera misericordiæ Jesu Christi ut commisereamini statui Monasterij mei multò damnosius in spiritualibus, quàm corporalibus collapsi, & ei providere dignemini de opportuna Reformatione, quàm ardentissimè & urgentissimè, in me ipso primùm, deinde in subditis meis efflagito: sine illa etenim timeo, quòd, heu! de salute non solùm Monasterij mei, sed & animarum illius actum sit, &c. Sed satis de *Dominicanis.*

Si *Franciscanorum* secreta prodere placet, quanta, bone Deus! eorum, qui hypocrisi, Majorum nostrorum, oculos diu satis perstrinxerant, impietatis prodigiosæ sentina! Testis est *Editor* hujus historiæ,

historiæ, qui latere mundum noluit, eò proterviæ hunc ordinem prorupisse, *ut Dominicani* (hostes licèt, experientia tamen & multorum suffragiis suffulti) *urbi Bernensi πανολεθρίαν fuerint minati, nisi irreligiosum Religiosorum gregem expellerent*. Sed nolumus hanc jam de luxuria vel horum, vel aliorum Monachorum, Camarinam movere. Notum est judicium Maximiliani I. Imperatoris, *de Carthusianorum lautitijs, Benedictinorum magnis & generosis equis, Nudipedum Cœmiterijs, Monialium castitate*; Doctoris item Keiserspergij, *de Carthusianorum cellulis, Benedictorum baculis, Nudipedum deambulationibus, Joannitarum mensis, Bernhardinorum poculis, Teutonicorum vestibus, Dominicanorum precibus*, quorū illa sumę felicitatis compendium faciebant, hęc in proverbium jam abierunt θρυλλούμενον. Alia Monasticę devotionis specimina quærimus, nempe ut probemus A. Non *Dominicanos tantùm bis larvis pugnâsse; Franciscanos etiam cum reliquo clero infrunito iisdem excelluisse artibus*. A Franciscanis fiat initium, ut videas quàm lubenter uterq; ordo, κρωβύλου ζεῦγος, in eadem sit navi. Vxor prætoris Aureliani (celebris urbs Galliæ) a. Ch. 1534. mortua, testamento caverat, ut sine pompa sepeliretur & strepitu. Cùm enim è vita quis excessit in Gal-

Galliis, præcones funebres, ad hoc conducti, per urbis loca frequentiora circumeunt, & cymbalis excitato sono multitudinem convocant: deinde nomen ejus qui decessit, atque titulos, edunt, & hortati populum, ut pro mortuo Deum precentur, quando sit & ubi sepeliendus, pronunciant. Cùm autem funus defertur, adhiberi solent plerunque Monachi mendicantes & multa præferuntur luminaria Certatim ista fiunt, & æmulatione quadam, & quò magnificentior est apparatus, eò major est populi concursus & admiratio: sed ea, quam dixi, fœmina, nihil earum rerum sibi fieri voluit. Maritus ergo, qui conjugis memoriam diligeret, morem ei gessit, & Franciscanis, quorum in templo sepulta fuit juxta patrem & avũ, muneris loco dabat sex tantùm aureos, cùm illi multó sperâssent majorem prædam. Et cùm deinde sylvam cæderet, atque divenderet, petentibus illis ligna sibi dari gratis, denegabat. Tulerunt hoc valde graviter, & cùm antea minus illum probarent, ulciscendi rationem hanc excogitabant, ut dicerent, ipsius uxorem in sempiternum esse damnatam. Architecti erant hujus tragœdiæ Colimanus & Stephanus Atrebatensis, ambo Theologi Doctores, & ille quidem erat exorcista, totumque suum apparatum in ejusmodi rebus adhiberi solitum, habebat in promtu. Rem verò sic administrant. Novitium quendam adolescentem supra testudinem templi collocant: is, intempesta nocte, cùm ad demurmurandas preces illi more consueto venirent, magnum excitat strepitum, adhibentur adjurationes & exorcismi: sed

ſed nihil ille proloquitur: juſſus edere ſignum, quo declaret, num ſit mutus ſpiritus, denuo tumultuatur & perſtrepit; id erat loco ſigni. Eo jacto fundamento, cives aliquot & celebres quidem ac ipſorum ſtudioſos adeunt: narrant ſibi triſte quiddam accidiſſe domi, neque tamen quid rei ſit exponunt, ſed rogant, ne graventur adeſſe nocturnis precibus. Cùm hi veniſſent, & precationum factum eſſet initium, ille de ſuperiori loco turbam excitat: Rogatus quid vellet, & quis eſſet, ſignificat, non ſibi licere loqui. Iubetur ergo per ſigna reſpondere ad interrogata: foramen autem erat factum, per quod, admotis auribus Exorciſtæ vocem haurire poterat & intelligere: deinde tabulam habebat ad manum, quam interrogatus feriebat, ſic ut infra poſſet exaudiri. Primum itaque rogatur, num ſit ex eorum numero, qui ſint ibi ſepulti? Poſtea multis recitatis nominatim, quorum erant ibi corpora condita: venitur tandem ad uxorem Prætoris: ibi, dato ſigno, ſe ſpiritum ejus eſſe demonſtrat. An ſit damnatus, & quo nam ſuo merito, ſeu delicto? Num propter avaritiam, aut libidinem, aut ſuperbiam, aut non præſtitam charitatem, an verò propter nuper natam hæreſin & Lutheraniſmum? Deinde, quid ſibi velit illo ſtrepitu & inquietudine? Num ut corpus loco ſacro ſepultum effodiatur, alióque transportetur? Ad hæc omnia ſicut juſſus fuerat, per ſigna reſpondet, quibus aliquid vel affirmabat vel negabat, prout bis aut ter tabulam feriret. Cùm autem & ſuę damnationis cauſam eſſe Lutheranam hæreſin, & effodiendum eſſe corpus ſignificaret,

Mo-

Monachi petunt à civibus, quos adhibuerant, ut iis, quæ coram vidissent, dent testimonium, & actis, quæ jam erant confecta superioribus diebus, subscribant. Hi, re deliberata, ne Prætorem offenderent, aut molestiam sibi crearent, id facere recusant: illi nihilominus, panem azymum, quem vocant hostiam & corpus Domini, cum reliquiis omnibus Divorum aliò transferunt, & Missas ibi suas peragunt: Quod lege Pontificia fieri solet, cùm locus aliquis propter infamiam & prophanationem est expiandus: Nam certa quædam ejus rei capita sunt ipsorum comprehensa libris. Episcopi autem vicarius judex, Officialem vocant, ea re cognita, ut propius omnia cognosceret, eò venit, comitatus honestis aliquot viris, & exorcismos fieri se præsente jubet, ac deligi nonnullos petit, qui supra testudinem ascendant, & videant, num spectrum aliquod appareat. Ibi Stephanus Atrebatensis admodum repugnat, & valde dehortatus ne fieret, ajebat, non esse turbandum spiritum. Et quanquam is, quem dixi, Vicarius, multum instabat, ut adjurationes fierent, tamen impetrare nihil potuit. Interea Prætor, ubi reliquos judices urbanos quid fieri vellet, docuisset, ad Regem profectus, rem omnem commemorat. Et quia suis privilegiis ac immunitatibus freti, judicium Monachi declinabant, Rex è Senatu Parisino deligit, qui de causa cognoscant, iisque plenam potestatem attribuit: facit idem Cancellarius, Antonius Pratensis, Cardinalis & Legatus per Galliam Pontificius. Itaque cùm nullam haberent exceptionem rei, traducti Lutetiam coacti sunt re-

spondere: sed nulla potuit ab eis exprimi confessio. Positæ singulis erant custodiæ separatim, & novicius quidam tenebatur in ædibus Fumæi Senatoris, ac sæpe solicitatus nihil voluit fateri, metuens, ne post interficeretur ab illis, ob inustam ordini maculam & factam ignominiam; sed cùm judices & impunitatem ei promitterent, & fore dicerent, ut in ipsorum potestatem minimè rediret, totam actionem ordine recenset, & adductus ad illos, idem affirmat. Illi, quanquam erant convicti, & in ipso propè maleficio deprehensi, recusabant tamen judices, ac privilegia sua jactabant: Verùm, id frustra fuit, & de communi consilio lata sententia damnati sunt, ut Aureliam reducti, & in carcerem conditi, publicè deinde producerentur ad primarium templum, & ad eum urbis locum, ubi supplicia sumuntur de maleficis, atque ibi suum scelus ipsi profiterentur. Sed his ipsis ferè diebus incidit in Lutheranos persecutio: quæ res in causa fuit, quo minus ea sententia, licèt admodum lenis pro tanto flagitio, veniret in executionem. Nam quia Lutheranorum nomen erat odiosissimum, metus erat, ne si quid gravius fieret, non tam illis debita persoluta pœna, quàm ordini facta putaretur injuria, & quicquid eis accideret, Lutheranis id jucundissimum fore spectaculum plerique judicabant. Franciscanorum autem ordo magnam habebat ad vulgus opinionem sanctimoniæ: & quum illi jam damnati Lutetia deportarentur Aureliam, fœminæ quædam, impulsæ misericordia, multis cum lachrymis atque suspiriis ad portam eos usque sequebantur.

Vbi

Vbi venissent Aureliam, in singulos carceres abducti, rursus immunitatem ac privilegia sua jactabant, & tandem post diuturnam custodiam, nulla graviori pœna multati, ac soluti vinculis evaserunt. Dum essent captivi, nihil eis deerat, & tam ad victum, quàm ad comparandum patrocinium atque gratiam abundè subministratum eis fuit, à fœminis præsertim. Nisi persecutiones illæ, quas jam attigimus, & incendia rem impedivissent, constituerat Rex, ut quidem ferebatur, ædificium illorum omne diruere ac æquare solo. *Sleid.* Comm. lib. 9. pag. 99. *Scult.* Annal. P. 11. p. 463. Expellendi nempe erant Lutherani ex Gallia iisdẽ planè artibus, quibus ex Comitatu Clavennensi, apparitionibus videlicet, & fictis miraculis. Anno Christi 1530 (refero hæc ex Historia Rhetica, ut, quid de reliquo Clero hac in re expectandum fuerit, constet,) rumor passim emanavit, Clavennæ miraculum evenisse, B. nempe apparuisse puellæ cuidam virgini, eique nunciâsse dirissima, quæ illud oppidum manerent, nisi Lutherani, quos appellant, ex illo oppido maturè ejicerentur. In ejus rei testimonium, locum illum, ubi apparitio facta fuerit, odorem quendam supra humanum exhalare, & latè à se diffundere: Vnde Clavennenses exciti pulverem ejus loci abripuerint, & supplicationem trium dierum feriis, jejuniis, & processionibus celebrandum instituerint. Quum Papistæ hac de re passim, præsertim in Ingadina, triumphos agerent, & Evangelicos subsannarent, ecce concinnatum scelus erupit: quod hoc modo fuit gestum. Erat Clavennæ quidam Missificus,

insignis Evangelicæ doctrinæ hostis, utpote qui Paulo Maserantio, Capitaneo Malacridæ, Signifero N. & aliis Evangelicis hominibus immania minabatur. Amabat is quandam virginem, quam cùm aliquoties frustra de stupro compellâsset, tandem homo nefarius splendido cærulei coloris velamine, aureis stellis insigni, tectus, vultum subtili sudariolo velatus, crura & brachia nuda sanguinis guttis conspersus, dextra scopas tenens, summo diluculo se puellæ ad armentum patris eunti obviam dat, eique se B Virginem esse persuadet. Quæ fucata Maria postquam illa de Lutheranis exterminandis, instituendis feriis, & alia deblaterâsset, subjunxit, sibi satis constare, quid officii sancta quædam persona ab ipsa ibidem loci sæpius petierit, quod ipsa hactenus ex nimia simplicitate illi denegârit; quod amplius facere non debeat; sed illi in sui gratiam morem gerere: se enim, quicquid officii devotis his hominibus præstitum fuerit, ita interpretari, ac si ipsi impensum foret. Ita tamen, ut hoc postremum silentio supprimat. Ad hæc locum illum prius odoribus balsami & myrrhæ infecerat. Fatua & infelix puella, postquam superiora evulgasset, promtissimè se nefandi nebulonis libidini subjicit, brevi post gravida facta, cùm ab hominibus objurgaretur, quod sibi passa esset vitium inferri, negabat se peccâsse; se enim gravidam esse ex sancta quadam persona, parocho videlicet, cui sui corporis copiam fecerit, ex jussu B. V. Mariæ: sic scelus palàm factum, & ad Commissarium D. Iohannem Capolium delatum fuit: à quo nebulo in vincula conjectus,

tor-

torturæ subjectus, capite plexus, & combustus fuit.

B. *odio & simultatibus Seraphicos* (quid nî, qui tot sceleribus ardet ordo, hoc nomen ab Hebræorum verbo *Saraph* combussit, mereatur?) *illos patres ita flagrasse, ut sedem multi mutare, Pontificis authoritatem implorare, ipsosq; adeò ordinis primores tyrannidis accusare fuerint coacti.* Diximus aliquid jam supra. Sed aliis exemplis agendum est, ne, quod omnium in ore versatur, rumoris aut calumniæ prætextu reijci posit. Lucem tractationi nostræ afferet *Paulus de Pfedersheim*, qui cùm Fratrum injuriis acerrimè & acerbissimè fuisset exagitatus, Romam concessit, & ab ipso Pontifice Iulio II. sequentes literas ad Præpositos Argentinensem & Thuricensem obtinuit. *Dilecti filij, salutem & Apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Paulus de* Pfedersheim/ *Ordinis Fratrum Minorum de familia nuncupatorum Professorum, quòd licet dudum per fel. record. Eugenium Papam IV. & nonnullos alios Romanos Pontifices, prædecessores nostros primò, & deinde tempore generalissimi capituli Fratrum dicti Ordinis Minorum in alma Urbe celebrati, authoritate nostra, statutum & ordinatum fuerit, ut propter vitæ sanctimoniam, & religiositatis observantiam Fratres Ordinis & familiæ*

prædictorum certis gratiis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus & indultis muniti essent; nihilominus superiores ipsorum Fratrum familiæ ultramontanæ, & maximè provinciæ Argentinensis, præmissis maximè attentis & observatis, sed plura pro suo arbitrio agentes, Fratres probatissimos & jam emeritos variis quæsitis coloribus molestare, perturbare, ac inquietare non verentur, quod non sine gravi animi moestitia & cordis dolore ipse Paulus nobis exposuit, qui licèt laudabiliter & irreprehensibiliter per annos circiter 24. in Ordine & familia prædictis vixerit, inibique Lectoratus, prædicationis verbi Dei ad populum, Guardianatus, ac aliis ordinis officiis cum amplissimo honore functus fuerit, Provinciam quoque & Fratres apud clarissimum in Christo filium nostrum, Maximilianum Romanorum Regem illustrem, & plures Alemanniæ tam Ecclesiasticos, quam seculares Principes promoverit. & patrocinio eorundem à multis anxietatibus & periculis liberârit; nonnulli tamen Fratres domus Binncken/ *ordinis & familiæ prædictorum Spiren-*

Spirensis Dioecesis, cujus ipse Paulus Guardianus tunc extitit, cervicem erigentes, ac contra ipsum conspiratione facta, varijs criminibus, licèt falsis, eum accusare apud superiores Pralatos, ac etiam quosdam Fratres ultramontanos non erubuerunt. Et licèt ipse Paulus crebrò se Justitiæ stare velle obtulerit, seq́ audiri à Vicario seu commissarijs datis, ad audiendam querelam, postulaverit; nihilominus commissarij ipsi, allegationibus ipsius Pauli non auditis, sed solùm conspiratorum Fratrum accusatione recepta, accusationem præmissam & inquisitionem desuper habitam, ad Vicarium Generalem familiæ, Ultramontanum, cum gravissimo ipsius Pauli præjudicio, remiserunt, à quo ipse Paulus plus sentiens se propterea indebitè gravari & lædi indubitanter formidavit, prout formidat de præsenti: Unde dictus Paulus, sentiens, propterea indebitè se gravari, ad sedem Apostolicam appellavit, ac nobis humiliter supplicari fecit, ut eum ab excommunicationis sententia ac alijs censuris & pœnis Ecclesiasticis, si quibus præmissorum occasione immodatus exi-

stit, simpliciter, vel ad cautelam, ac etiam ab obedientia vicariorum Generalis, & Provincialium dictæ familiæ absolvere ac aliis calamitatibus suis in præmissis opportunè prævidere, de benignitate Apostolica dignaremur. Quos igitur præfatum Paulum, à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententijs, censuris & poenis, à Jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus, quomodo libet, innodatus existit ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestræ per præsentes mandamus, quatenus vos vel duo, aut unus vestrum, per se vel alium seu alios eundem Paulum, (recepta prius ab eo cautione idonea super eo) quòd si vobis constiterit, Excommunicationis sententiam & alias censuras & poenas prædictas in eum forsan, præmissorum occasione, latas, fore justè latas vestris & Ecclesiæ mandatis parebit, ab Excommunicationis sententia aliisque sententijs, censuris & pœnis Ecclesiasticis, si qui-

quibus, præmissorũ occasione innodatus existit simpliciter, vel ad cautelam hac vice duntaxat, prout de jure fuerit faciendum, ac etiam ab obedientia vicariorum, Generalis & Provincialium ministrorum, cum observatione regulæ, dummodò aliâs reformatè, & secundùm p.m. Martini Papæ V. etiam prædecessoris nostri, aut aliâs dicti ordinis constitutiones regulariter vivat, transire & vivere possit, licentiam & facultatem eadem authoritate nostra audiatis, & quod justum fuerit, concedatis, causamq; appellationis hujusmodi eadem authoritate nostra audiatis, & quod justum fuerit, appellatione remota, decernatis, facientes, quod decreveritis, per censuram Ecclesiasticam firmiter observari, & nihilominus conscito vobis aut alicui vestrum, seu subdelegandis à vobis, vel aliquo vestrum, de innocentia & probitate dicti Pauli, eundem Paulum à molestatione & inquietatione dictorum Fratrum absolvatis, eisq; perpetuum silentium imponatis, ac etiam eidem Paulo in præmissis, efficacis defensionis præsidio assistentes. non permittatis eum

quamdiu sub obedientia Generalis & Provincialium ministrorum vixerit, ut præfertur, à dictis Fratribus seu aliquo eorum directè vel indirectè quovis quæsito colore, molestari seu inquietari, contradictores quoslibet & rebelles censuris & pœnis Ecclesiasticis, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis, &c. Romæ die 27. Novemb. 1508. Noluit quidem Præpositus Tigurinus, *Ioh. Mantz* I. V. D. suo deesse officio, sed Pontificii mandati executionem præsentibus aliquot judicibus, decernit, eandémque publicis literis Abbatibus Prioribus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, Scholasticis, Cantoribus, Custodibus, Thesaurariis, Sacristis tam Cathedralium, quàm Collegiatarum Ecclesiarum, Parochialiumque Ecclesiarum Rectoribus, seu loca tenentibus, eorundem Plebanis, Viceplebanis, Capellanis, Curatis, & non Curatis, Vicariis perpetuis, Altaristis, cæterisque Presbyteris, Clericis, Notariis & tabellionibus publicis per Diœceses Constantiensem, Basiliensem & Argentinensem; commendavit: quo verò cum successu, & in Pontificem ipsum obsequio illud præstitum sit, & an mutatio loci, quam à Papa impetravit, ipsum etiam Monachorum in Paulum mutârit animum, ejusdem Præpositi Epistola subsequenti post annos, qui decimus fuit superioris seculi,

culi,ad Bartholomæum VVyerũ,ordinis Minorum de observantia in Provincia Argentinensi Vicarium scripta, perspicuè docet. *Ita habet.* Sincera recomendatione cum plurima salute præmissa, Venerande, Religioseque *Pater: Venit ad nos nuper inopinatè Frater Paulus de Pfedersheim, exponens nobis, sese concordiam cum certis Patribus Provinciæ ad hoc congregatis, ad votum ipsorum, acceptâsse, ibique denuo contra suos adversarios locum se defendendi petivisse, in forma ordinis & familiæ consueta, offerendo se, ultrò velle cedere ad plenum literis impetratis, & ad strictam stare justitiam, sed id sibi crebrò postulanti extitisse denegatum, ex eo, ut sibi dicebatur, quod adversarij sui nollent stare juri, quod satis esset absonum, cùm utique & judicium reddatur in invitum, & religiosorum velle & nolle non ex suo, sed superiorum pendere debeat arbitrio, omnia etiam munimenta & arma, quibus calumnias sibi motus convincere & repellere potuisset, in manus vestras liberaliter tradidisse, obedientiam & subjectionem vobis ac vestris successoribus in omnibus & per omnia benevolè*

volè obtulisse, culpam suam coram congregatione ad jussum vestrum cognovisse, ac ulterius coram Provinciali capitulo hanc se dicturum, si juberetis, spopondisse, quódque in futurum nihil contra Patres familiæ agere velit promisisse, ac alia ad Patrum petita in congregatione Ulmensi egisse, prout in literis concordiæ desuper confectis per vos, & eum subscriptis, & sigillatis asseruit plenius contineri, dehinc obedientiali litera accepta, locum Fremersperg petivisse, & suis præsidentibus in omnibus obtemperando sine querela illius loci huc usque vixisse, pro se autem obtinuisse, quòd absque pœna & confusione recipiatur ad omnia habilis, & quòd sub certa pœna nullus eum, nec ipse aliquem, præterita improperando, vel aliter, molestet aut perturbet, ratione cujus, cedulæ missæ sunt ad singulos Conventus, & quòd Patres concordiæ apud Generalem Vicarium pro confirmatione prædictorum & assecuratione ipsius exponentis instanter conari velint, quam si impetrare nequiverint, vel aliâs dicta concordia per Patres ipsius, aut alios infracta fuerit, ipse exponens ad sua ju-

jura, & nos suum judicem recurrere valeat. Et quamvis, ut asseritur, dictam concordiam grato & tranquillo animo servare disposuerit, de factóque servaverit, nihilominus tamen Fratres, Johannes Reyer, Guardianus; Henricus Keufler Vice-Guardianus, Simon Heidenrich, VVernherus Struß, Jacobus Retz, & quidam alij eum verbis affecerunt, contra seriem concordiæ, injuriosis: se porrò gravius injuriatum conqueritur, & vicibus iteratis intolerabiliter læsum à Præsidente Brunicense, & Guardiano Heilbrunnensi, nec non certis alijs concordiæ Patribus molestatum adeò, ut exinde elicere habeat, quod tot & tanti sibi infesti, & Generalem Vicariũ sint se contra exasperaturi, prout aliâs (NB.) alijs sæpe asserit cõtigisse. Occurrit etiam sibi, 19. Guardianos Provinciæ, quorum duo fuerint diffinitores capituli, dictæ concordiæ non interfuisse, nec in eam postmodum consensisse: unde veretur, plures sibi restare apud Vicarium accusatores, quàm intercessores: Et quia intellexit, vos certis Guardianis commisisse, ut occurrant Generali Vicario, introducturi e- un-

undem in Provinciam, sentit illum quidem esse præ foribus, se verò minimè assecuratum. Timet igitur, ne, instigantibus æmulis ille secum durius agat, cùm maximè vos illi manum, ut scribitis, præcludere, quo minus dictam concordiam infirmare possit, non valeatis. Terret etiam non parùm ipsum exponentem, quòd cùm ipse vobis, tanquam suo Patri & Prælato, calamitatem suam fidelideliter exposuisset, de solis concordiæ Patribus, molestationibus eorundem, à quibus tamen consolationem sperabat, querelam faciendo, vos scripto respondistis, quod non possitis ora talium claudere, sed patientiam sibi esse necessariam, & quòd illo pacto posset, quia rogaverat, vos accedere, si suus Guardianus consentiat, & ipse nullam querelam vobis afferat: quæ verba sibi videntur multum à concordiæ notula & cedula, per conventus missa, dissonare, ipsamq; concordiam multum infirmare, & sibi de infirmitate illius justum metum præstare: quanquam nullam aliâs contra vestram personam querelam faciat, quin potiùs vos promissi tenacem commendat, & pro indubitato habet,

vos

vos pro fidei vestræ pro eo nobis interpositæ observantia cum indignatione aliquorum viriliter dimicâsse; alioquin timet, se collocatum fuisse in obscuris, sicut mortui seculi. Præmissis itaque attentis, reputans se delusum, & certis potiùs, quâm dubijs periculis expositum, irreparabiliáque prorsus gravamina subsequi reformidans, anxiato ad nos, tanquam judicem sibi deputatum, confugit, spiritu, petens humiliter, ut vobis & Patribus vestris piè supplicare dignaremur, quatenus attento, inter tot & tantos irreluibiliter in eum indignabundos & implacabiles, non esse versari securum, neque Dei (qui est author pacis & amator, cujus factus est in pace locus) servitio aptum, sed nec conveniens, quæ non irritatur, charitati, dignemini sibi pro vestra & sua pace dare liberam & irrestrictam licentiam, ut extra vel intra Provinciam vivere possit & morari, sub observantia tamen aliqua alia, extra vestram obedientiam, regulari, quâ possit salvare animam suam. Qua habita licentia nullam vobis excitare molestiam vel inquietudinem; sed omnes injurias & molestias

stias hactenus sibi illatas remittere, sopitas quoque & extinctas habere, firmiter pollicetur. Nos itaque, quia naturali jure debemus ad nos confugientibus pietatem, tantò autem propensius aures dicto exponenti accommodavimus, quantò etiam avidius vestræ religioni ad bonum inclinati, pro scandalorum & turbationum suppressione, firmam & stabilem inter vos & ipsum pacem ex intimis desiderijs exoptamus, cùm & aliâs judicis sit se interponere ad componendum partes, & ideo hæc ad vos pro eo scripta dirigimus, qui rogamus, ut bono quo à nobis depromuntur animo, acceptare velitis, et benevolè nobis ad ea respondere: Nam, quantum ex eo intelligimus, nisi dictam licentiam annueritis, ipse non solum ad ulteriores defensiones apud sedem Apostolicam, sed etiam ad promotiones & favores apud quaslibet personas illustres quærendum & accumulandum se animat & accingit, quarum judicio & justitiæ rigoroso libramini se palàm & intrepidè offert. Quid inde turbationis & scandali emergere possit, per vos sinimus judicari: Nobis autem cordi est,

quan-

quantum fas sinit & facultas, obviare scandalis. & paci atque tranquillitati cunctorum consulere, maximè tamen in hac causa. Tantò namque molestior nobis est ista vestra cum exponente brigosa differentia, quantò importunius nos ex ea pulsamur & inquietamur. Sperabamus utique, & quasi pro certo tenebamus, hanc tempestatem sedatam, & ecce denuo concitata est, quam optamus sedare denuo dignetur, qui imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna, &c. Ex Thurego, anno 1510. Καταστροφὴν fabulæ non habeo. Patet saltẽ ἄσπονδα claustralium esse odia; quæ si vel maximè obducta videantur, mox tamen recrudescunt, & perniciosius erumpunt. Miser hic, Ἐμπεδοκλέους ἔχθρᾳ pressus, nec Pontificis muniri potuit authoritate, nec pactis utrinque concessis. Latebant in cinere scintillæ, quæ quamlibet erumpendi & nocendi occasionem quærebant. Et tamen, quo sunt Pharisaico typho, non præcepta tantùm, sed & consilia Christiana se solos audire atque implere impudenter jactabant.

[g] Hinc nullum facile reperias Monasticum ordinem, quem vel Pontifex, vel Cardinales, & Episcopi &c, inhonoratum dimiserint. Ipsi Dominicani, etsi infandis sceleribus infames, nunquam tamen tesseram ita confregerunt, ut senten-

tiam illorum Pontifex damnaret. Minimorũ ordini novum Leo X. pronunciat patronum, solenni ἀποθεώσει Canonizatum, ipsum ordinis authorem Franciscum à Paula. Historiam prolixè describit Bzov.a.Ch.1507.S.13. *Thaumaturgum* eum vocat, *propter inauditam multis retro seculis miraculorum frequentiam.* Ita est: Sunt verè inaudita, adde & incredibilia, quę de Sanctis suis spargunt Institores Idololatrici, ut, *quòd ipsas hominum cogitationes explorent & perspectas habeant*: Vide Bzov.a.Ch.1530. S.130. Augustinianis quis litem facilè moverit, cùm ne VVimphelingio senio & herniâ tardo pepercerint, sed Romæ diem dixerint, propterea quod scripsisset, Augustinum non fuisse Monachum, vel certè non talem, quales jam habentur. *Paral.Vrsp.* p.474. Vt Fratribus Hospitalis S.Mariæ Teutonicorum Hierosolymitanorum idem semper animus, instituti tenax, servaretur, Argentinensis Episcopus, VVilhelmua a.Ch.1511. non modò Bullam Papæ Iohannis confirmavit; sed etiam ut seriò observetur, aliis commendavit. Nihil dicam de exemtione Abbatis Sangallensis ab Episcopatu Constantiensi, quæ novis seculo hoc confirmata fuit decretis & exemplis, &c.

[h] Neq; enim; contra edicta Lateranensis Concilii anno 1215. sub Innocentio III. & Lugdunensis, a.Ch.1273. sub Gregorio X. celebratorum, novos ordines parturire cessârunt illi, qui superstitioni

ni suam addixerunt operam; quos etiam, obstetricantibus Ecclesiæ Romanæ præsulibus, eniti facilè potuerunt. Incidunt autem in hunc primum articulum 1. *Ordo Peregrinorum pauperum*, de quibus *Bzov.* ex *Tritbem.* a. Ch. 1501. S. 21. *Hoc anno venerunt ex Italia in Germaniam, viri induti tunicis griseis, capite non velato, nudis pedibus incedentes, Crucem de ligno parvulam portabant in manibus; neque saccum habebant, neque peram, neque pecuniam recipiebant in manibus, neque baculis utebantur. Vinum & cervisiam non bibebant, & semel tantùm, præter Dominicam, se reficiebant in die, olera & radices cum sale, & aqua, sine pinguedine aliqua, sumentes. In Ecclesia prostrati in terram, in modum crucis, orabant, nihil præter crucem & tunicam portantes. Circumierunt per civitates & villas, & ultra 24. horas in uno loco non morabantur, nisi fuissent infirmi. Plures inter eos fuerunt ex ordine Clericorum & omnes pœnitere volentes (exceptis mulieribus) in suum consortium admittebant. Quinquennio elapso, eorum pœnitentia cessavit.* Et F. *Nicol. Basel.* addit in Naucl. *An. Chr. 1501. viri quidam ex Italia in Germaniam*

venere, tunicis nonnulli lineis, alij grise laneis induti, nudis pedibus, & capitibus di scoopertis incedentes, atque ligneam in ma nibus crucem singuli portantes, neque sac culum, neque peram habebant, neque bacu lum, neque pecuniam, juxta Salvatoris no stri exemplum, & Evangelicam doctri nam, vinum & cerevisiam non bibebant, at que omnibus diebus, præter Dominicam, je junabant, holera, brassicam, & mentam herbarúmq; radices cum sale insperso man ducantes absque cujusvis pinguedinis ap positione, carnes, pisces, ova, butyrum, ca seum, aut lac nunquam in cibum admitte bant. In sacris quoque templis ad modum crucis, brachia protendentes, humo se jacta bant, prolixius orantes, non amplius 24. ho ris in uno loco vel hospitio manentes, ni quem corporis valetudo mala detinuisset. Nam per civitates & oppida, & villas bin simul aut terni circumeuntes, cibum ostia tim, ubi esuries compulisset, mendicaban Denique his ex Clericorum ordine plurim Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi conjun gebantur, nihil præter tunicam, zonam, li

gnea

gneam crucem, & orationale secum deferentes. Coloniam Agrippinam & Aquisgranum omnes visitabant. Erat illis voluntaria hæc assumta pœnitentia, quam quisque pro voto suo peragebat, alius quidem tribus, alius quinque, septem alius annis, juxta voti qualitatem, quo se sua sponte obligabat, finito autem termino, quisque in sua reversus, ab ea, dum voluit, institutione cessare poterat. Verum hoc per septennium ferme totum duravit peregrinationis institutum, exclusis tantùm Monachis & mulieribus.

2. *Ordo B. Mariæ semper Virginis*, qui vulgò *Annuntiatarum Virginum* dicitur, à B. Iohanna, filia Ludovici XI. sorore Caroli VIII. eademque conjuge Ludovici XIII. Regum Galliæ, institutus, quem Alexander VI. procurante Gilberto Nicolao, ordinis Franciscani Professore, comprobavit. *Myr.* in Chronic. *Bzov.* an. Ch. 1503. S. 3. Idem institutum & Iulius II. an. Ch. 1506 approbavit. Nupserat, ut idem scribit *Bzov* l. cit. S. 8. illa primùm Ludovico Duci Aurelianensi. Hic Carolo VIII Rege absque liberis defuncto, in regno Galliæ suffectus, suasu aulicorum procerum & suo ambitu, ne Britanniæ Aremoricæ Ducatus abalienaretur, Annam, ejus provinciæ hæredem & Caroli viduam, ut duceret, Iohannam dimiserat, Alexandro VI. Pontifice ita indulgente seu dispensante. Causa divortii metus

præferebatur, & quod non sponte, eam duxisset, sed compellente patre virginis Ludovico XI. quódque illius adeò corpus nunquam attigisset. Neque Iohanna se opposuit, sed libens ad alterius æternique Regis cultum se convertit. Etsi non deessent cùm sacri, tum profani ordinis proceres, qui Regis factum liberè damnarent. Fuit inter alios Iohannes Standoncus, patria Mechliniensis, Doctor Theologus Parisiensis, qui qua erat libertate & constantia, Regem acriter corripuit. Quapropter exilio multatus in Belgium rediit, & Standonicum Lovanii collegium, alterumque Mechliniæ in patria instituit. Fuit & Thomas VVarnetus, Standonci discipulus, idemque Ecclesiastes egregius, qui pariter in exilium pulsus, Valentianis in Hannonia gymnasium erudiendæ juventuti excitavit. Fuere & alii Lutetiæ Theologi, qui Iohannæ causam fortiter tuerentur. Virginum autem annunciatarum Regula nonnisi decem capitibus constat, quæ decem primarias Deiparæ virtutes in Evangeliis expressas, ob oculos ipsis proponunt imitandas, nimirum castitatem, prudentiam, humilitatem, veritatem, pietatem seu devotionem, obedientiam, paupertatem, patientiam, charitatem, & compassionem seu dolorem &c. Itaque non ex Basilii, Augustini, Benedicti, Francisci, aut alterius sancti Patris præscripto, sed ex ipsis, ut dixi, Evangelicis verbis, hujus ordinis Regula est concinnata. Quod contra vulgi errorem monuisse suffecerit. Præsunt tamen passim Monialibus Annunciatis Sodales Franciscani. Sic enim B.Iohanna fundatrix voluit, sive

sive jussit, monitu, ut scribunt, divino; & Pontifices exinde Romani id ratum esse voluerunt. Hæc *Bzov.* qui & habitum ordinis ibidem describit.

3. *Indorum*, seu *Indianorum ordo* an. Ch. 1506. sub Iulio II. Pontifice & Maximiliano I. Imperatore institutus; est extra atricolor, interius albatus, utpote Carmelitarum propago. *Hosp. de Orig. Monach.* pag. 292, a.

VII. Etsi verò Pontifex Romanus, cum reliquis Ecclesiæ suæ & curiæ Præsulibus, haud obscurè animadvertere potuerit, Monachorum malitia, ignorantia, dolis & fraudibus, authoritati suæ & ementito Catholicismo multum decessisse; memor tamen magni antehac pro sede & superstitione Romana impensi per Monasticos ordines laboris; operam dedit, ut non modò illecebris variis veteres Monachos in claustris retineret; sed & novos [a] ordines, novas [b] societates seu Fraternitates; discordiarum uberima [c] seminaria; sustinendo atque fulciendo, magno jam multis in locis ruina oppresso Papatui, aliorum quidem judicio [d] aptos, aliorum verò perniciosos magis, excita-

ret, confirmaret, & foveret. Unde plures *secundo* & *tertio*, quàm *primo intervallo* novæ pullulârunt familiæ Monasticæ: Pristinis interim de corrupto & penè intolerabili Monachorum statu [e] querelis, parùm aut nihil, remittentibus.

[a] Qualis est 1. *Ordo sodalitatis divini amoris* seu Theatinorum, de quo *Hosp.* de Orig. Monach. pag. 292.b. Clemente VII. Pontifice quidam superstitiosi viri, in separatum quendam, & à vulgi consuetudine sub hortulorum colle secretum locum, una convenire frequenter solebant, ut precationibus, Sacramentorúmque frequentationi, aliisque pietatis officiis (ut ipsi arbitrabantur) sedulò vacarent. Quę ideo Divini amoris Sodalitas dicebatur. Quorum exemplo Iohannes (familiam ejus describit *Bzov.* a.Ch.1524.S.37.) Petrus Carrafa, cui postea in Pontificatu maximo Paulo IV. nomen fuit excitatus, eorum se numero aggregavit, apud quos assiduè intentus literis, religiosissimè aliquot exegit annos, tanta propositi constantia, ut à Carolo V. Cæsare per ea fortè tempora Brundusinum Episcopatum delatum, non solùm recusaret, sed & Theatinum, quem jamdudum à Iulio II. Pontifice acceperat, ultro deponeret. Cùm verò se aliquandiu in illorum operibus exercuisset, ex illis quatuor viri, Iohannes Petrus scilicet Carrafa, Cajetanus nobilis Vicentinus Protonotarius Apostolicus, Boni-

nifacius nobilis Pedemontanus domo Alexandria, & Paulus quidam Romanus commoti, quod Clericorum ordo à primæva sinceritate (confer *Bzov.* a. Chr. 1528. S. 49.) & puritate tam turpiter degenerâsset, ac magno Ecclesiæ cum detrimento obsolesceret, rationem inierunt, qua illius antiquum splendorem aliqua ex parte revocare ac conservare possent. Igitur omnium bonis in communem usum sepositis, ut pro cujusque necessitate in singulos dispertirentur, rerumque omnium (ut sibi persuaserant) curis abjectis, se totos divinis laudibus concinendis, rerumque cœlestium meditationi tradiderunt, illamque in rebus omnibus rationem sunt ingressi, quam antiquæ puritati simillimam esse judicârunt. Quare Presbyteri Regulares appellati sunt. At quoniam Iohannes Petrus Carrafa relicto tunc Episcopatu Theatino, hanc vivendi rationem cum magna omnium admiratione, suscepisset, vulgo Theatini omnes dicti sunt. Is tamen inter eos, sicut Episcopali dignitate, ita authoritate plurimum semper excelluit, estque vitæ istud institutum operâ ejus auctum & amplificatum. Quorum vivendi genus, ut est Societate Iesu antiquius, ita in vivendi ratione valde ab eo differt. Illi enim sacrarum (si credere fas est) æternarumque rerum meditationi atque Psalmodiæ potissimum vacant: hi verò docent, plebem & sacramenta administrant: Illi Italiæ finibus nondũ excesserunt: hi verò ultimas orbis oras lustrârunt. Sic Diegho Payva Iesuita, lib. 1. Orthodox. explicat. *Bal.* p. 683. *Geneb.* p. 745. Vtuntur hujus Sodalitii fratres pileolo rotundo, &

pallio Episcopali. Confirmationem ordinis à Clemente VII.an.Ch.1524.factam recitat *Bzov*.an.cit. S.36. Fugam verò ejus, urbe per Carolum expugnata, Venetias a.Ch.1528.S.49.

2. *Ordo Paulinorum* sive *Gastalianorum* a.Ch.1537. institutus à Comitissa, Gastalia appellata, Mantuæ, de consilio F.Baptistæ Cremonensis, Prædicatorii ordinis. Hujus Sectæ Fratres & Sorores carnem suam hoc modo solent domare, propriis suis viribus, ut loquuntur; In uno lecto concumbunt tam juvenis, quàm puella, & inter utrumque crux ponitur, ne coire una possint. Tali concubitu tam diu utuntur, quò ad nullas amplius carnis titillationes sentiunt, ut refert author *Alvearii* fol.27. Sed quia interdum crux hæc parum obstitit, quo minus optatis frui potuerint amoribus hypocritæ isti, idcirco brevi ex omnibus Italiæ urbibus ob impudicam & flagitiosam vitam ejecti sunt. *Hosp*.de Orig. Monach.p 293.

3. *Iesuitarum*, de quibus tum alii, tum Hospinianus noster in Historia Iesuitica prolixè. Compendium hîc dabimus ex libro ejus de *Orig. Monach*.p. 294.b. Circa annos reparatæ salutis humanæ 1540. Ignatius Lojola, Cantaber, Societatis Iesu Fratribus initium dedit. Fuit is in arce Pompejopolitana munitissima eo tempore, quo eam Galli obsederunt, vehementissimeque oppugnârunt. In qua obsidione tam strenuè se gessit Ignatius, ut illi uni Hispani omnes primas facile deferrent. Qui tamen honos tanti illi constitit, ut altero crure bombardæ majoris ictu comminuto, in altero verò circa inguina gra-

gravissimo vulere accepto, à Gallis captus fuerit: quorum tamen humanitate & lenitate usus, liber paulò pôst domum rediit. Gravissimis autem illis doloribus, diuturnaque ægritudine vehementer excruciatus, mundi vanitatem, cui huc usque plus satis addictus fuerat, agnoscere & divinis rebus, quas hactenus non magnopere curaverat, animum adjicere cæpit: adeoque vitæ suæ genus, ob vulnerum suorum dolores incredibiles mutare, & aliud instituere proposuit: ut verissimè dixerit ille: Desperatio facit Monachum. Contigit interim, ut annum integrum & amplius ex eo morbo decumbenti in manus venirent Legendæ mendaciorum plenissimæ, quas vitas Sanctorum vulgò nominant. Has tamen pro more superstitiosorum hominum avidissimè legit, & legentem mira incessit religio. Corpore igitur aliquantulum firmiore, nondum tamen omnino confirmato, anno ætatis suæ 26 domo, patria ac propriis laribus relictis, ita se comparat, tanquam ad Ducem Nagera profecturus esset, re autem vera ad templum Deiparæ Virgini dedicatum, quod Montem serratum vocant, concessit, ibique vestibus pretiosioribus exutus, laceras & viles induit, in quibus rigidissimam aliquandiu vitam egit. Delituit etiam aliquandiu solitarius in specu quodam ad littus fluvii per campum Manresanum decurrentis. Cumque in hac palæstra sese ad tempus exercuisset, inde in pauperis peregrini habitu Hierosolymam se contulit, Christi sepulchri adorandi, & cætera loca, in quibus adhuc Christi expressa vestigia extare nugantur, visendi gra-

gratia. Iis verò locis usque adeò delectatus fuit, ut nihil optârit magis, quàm omnem ætatem illic degere. Verumtamen in Hispanias rediens, quòd ad id usque tempus literarum rudis fuisset, intellexisset autem, ad eam vitæ rationem, quam inierat, literarum cognitionem plurimum valere, Complutum primò, post Salamanticam se confert, ibique literis dat operam. Cumque in vili suo habitu coopertus sacco, publicè homines ad pœnitentiam hortaretur, nulla accepta ab Episcopis concionandi licentia, nec eruditione sufficienti præditus, bis in carcerem conjectus, & ab Inquisitoribus, tanquam de doctrina suspectus, examinatus est, sed Pontificiæ doctrinæ addictissimus cognitus, extra omnem noxam à custodia dimissus fuit. Inde Parisiorum Lutetiam se contulit, ubi decem annos literarum studiis corpore debilis, & rerum propè omnium inops, nisi quantum aliorum liberalitate & propria mendicitate sustentabatur, impendit, tantumque labore & diligentia consecutus est, ut brevi artium Magister creatus fuerit. Nec interim cessabat homines provocare ad pœnitentiam, idq; tanto studio, ut amore ejus incensi aliquot docti viri, illi se socios & imitatores adjunxerint. Posthæc, anno Domini 1536. in Hispaniam revertitur, adscitis decem novæ suæ religionis sociis: ij erant P. Faber, F. Xavier, Iacobus Laines, Claudius Gajus, Iohannes Coduri, Alphonsus Salmeronius, Simon Rodericus Lusitanus, & Nicolaus Bovadilla. Sequenti anno, qui fuit 1537. Romam se contulerunt, ut à Pontifice Romano in terram sanctam abeundi

di licentiam impetrarent. Antè verò quàm Romam venissent, Venetiis in pauperum hospitiis, quæ Xenodochia & Nosodochia appellant, ita versati sunt, eamque diligentiam & solicitudinem in ægrorum ibi morbis curandis, vulneribus obligandis, molesta, gravi ac putida sanie abstergenda impenderunt, ut omnes in sui admirationem pertraxerint. Datâ verò Romæ licentiâ à Papa proficiscendi in Syriam, Venetias redeunt: ibi cognoscunt, ob pacem inter Turcas & Venetos per idem tempus ruptam, nulli tutò Hierosolymam navigare licere. Mutata igitur sententia, septem ex illis sacris initiari, & ad sacerdotium promoveri voluerunt. Cùm verò Ecclesiastica lege & Pauli III. institutione caveatur, ne quis sacris initietur, qui aut hæreditariis aut Ecclesiasticis bonis, unde honestè vivere posset, caruerit, hi novi Apostoli amplissimam sibi hæreditatem esse Deum ipsum, lautissimumque patrimonium, nudos nudum Christum sequi affirmârunt, pro quo egere, extremamque penuriam pati, maximas opes ducerent. Quod copiosissimum esse, & Sacerdote Christiano dignissimum patrimonium, cùm judicaret Verallus, Archiepiscopus Rosanensis, qui per id temporis Venetiis Apostolicæ sedis Legatus fuit, postea Cardinalis factus, perpetuam, spontaneamque paupertatem Deo ante ejus pedes promiserunt: illoque patrimonio constituto, ex illis septem sunt sacerdotio inaugurati: facultas quoque illis data est, ut secretas atque occultas peccatorum confessiones liberè ubique audire possint. Ab eo tempore cœperunt

per

per urbes Venetæ ditionis in Italia prædicare: postea simul omnes se Romam versus contulerunt a. Ch. 1538. ibique diu gravissimis molestiis à Clero Romano sunt exagitati. Cùm verò aliqui eorum exemplo incitati, se illis socios adjungerent, ne vitæ institutum una cum ipsis interiret, à Paulo III. Pontifice, Cardinale Contareno internuncio, petierunt, ut ratum illud ac firmum haberet, quo Apostolica authoritate munitum, atque firmatum, conservari perpetuò posset. Pontifex libentissimè assensit, & institutum eorum confirmavit, anno reparatæ salutis 1540. Ne verò in re nova inconsideratius egisse videretur, principio cavit, ne plures quàm sexaginta viri in eam societatem adscriberentur. Cernens autem idem Pontifex, quantos illi indies fructus facerent in agro Pontificio, rursus anno à nato in carne Filio 1543. illud eorum institutum firmavit, neque jam ut antea, ullis ipsum terminis, aut virorum numero circumscriptum esse voluit, quod augeri atque multiplicari id summopere jam optabat. Quam ob causam postea etiam hunc ordinem authoritate Apostolica communierunt Iulius III. Paulus IV. Pius IV. & Trident. Conc. Sess. IX. c. 19. Hæc *Hospin.* ex *Laur. Sur.* Com. Hist. & *Diegh. PayVa* lib. 1. Orthodox. Expl. Cætera, quæ de progressu, studiis, votis, ritibus, institutis, doctrina, facinoribus Iesuitarum dici possent, multorum postea eruditorum lucubrationibus in apricum sunt producta. Magnum cumprimis diligentiæ & πολυπονίας suæ specimen reliquit *Rod. Hospinianus*, Ecclesiæ Tigurinæ Minister, cujus Histo-

ſtoria Ieſuitica notior eſt, quàm quæ commendari à nobis debeat. Neque verò Reformati tantùm, ſed & Pontificii Theologi ἄσπονδον Ieſuitis indixerunt bellum noſtro cumprimis tempore in Germania, Gallia, Hiſpania. Libri Anti-Ieſuitici noviſſimi ſunt I. *Tractatus quidam Apologetici* Facultatis Pariſienſis contra Ieſuitas, Pariſiis a. Ch. 1643. editi, quorum tituli ſunt ſequentes. a. Obſervations ſur la Requeſte preſentee au Conſeil du Roy par les Ieſuites le cinquiéme Mars, mil ſix cens quarante trois. b. Viſite faite par le Recteur de l'Univerſite, aſsiſtè d'un Commiſſaire du Chaſtelet, le huictiesme Auril. 1643. c. Apologie pour l'Univerſitè, contre le Diſcours d'un Ieſuite. d. Les Veritez Academiques, ou refutation de prejugez populaires, dont ſe ſervent les Ieſuites, contre l'Univerſitè de Paris. e. Examen de quatres Actes publiez de la part de Ieſuites, es annees 1610. 1611. 1626. II. *Libellus monitorius*, ejusdem Facultatis contra Ieſuitarum pernicioſam doctrinam circa vitam hominum, Regum maximè, & cæterorum, ἐν ὑπεροχῇ ὄντων. Titulus verbotim talis eſt. Avertiſſement contre une doctrine, prejudiciable à la vie de tous les hommes, & particulierement des Rois & Princes ſouverains, enſeignee à Paris au College de Clairemont, occupe par les Ieſuites 1643. III. *Libelli ſupplices* Facultatis ejusdem, ſupremæ Curiæ oblati, cujusmodi ſunt, a. Requeſte preſentee a Noſſeigneurs de la Cour de Parlement par l'Univerſite de Paris, ſuivant la concluſion faite en ſon Aſ-

ſem-

semblee ordinaire au College des Cholets, le cinquiéme de Decembre 1643. Touchant une doctrine pernicieuse, enseignee au College de Clairmont a Paris 1644. b. Seconde Requeste presentee a Nosseigneurs de la Cour de Parlement par l' Vniversité de Paris, pour joindre à celle du 5. Mars 1645. c.III. Requeste de l' Vniversite de Paris presentee a la Cour de Parlement. Le 7 de Decembre 1644. contre les libelles, que les Iesuites ont publiez sous les tiltres, D' APOLOGIE par le P. Caussin, & de MANIFESTE APOLOGETIQVE par le P. LE MOINE, & autres semblables. Avec les Repliques, qu' icelle Vniversitè employe pour luy servir tant au jugemēt de celle Requeste, que de deux precedentes. Imprimees par l' ordre de l' Vniversite, a Paris 1644. Separatim (ut de occasione hujus responsi melius & plenius constet) ante prodierat Theologia Iesuitarum Moralis, edita Parisiis, hoc titulo: *Theologie Morale des Jesuites extraicte fidellement de leurs Liures contre la Morale Christienne en general.* Hanc maculam ut ordini abstergerent, arrepto calamo Iesuitæ nonnulli, eorumque fautores Apologias adornârunt aliquot, quales sunt, a. Response au libelle intitule, La Theologie Morale des Iesuites. Dedie a Nosseigneurs les Eminentissimes Cardinaux, & Illustrissimes & Reverendissimes Archevesques & Evesques de France; Par le Pere Nicolas Caussin de la Compagnie de IESVS. A Paris 1644. b. Manifeste Apologetique pour la doctrine des Re-

Religieux de la Compagnie de Iesus. Contre une pretendue Theologie Morale & d'autre libelle diffamatoire, publiez par leurs ennemis. Par le P. Pierre Le Moine de la mesme Compagnie. A Paris 1644. c. Les Impostures & les Ignorances du libelle intitulè, la Theologie Morale des Iesuites; Par l'Abbè de Boisic, 1644. d. Apologie pour les Religieux de la Compagnie de Iesus. A la Reyne Regente. Par le P. Nicolas Causin de la mesme Compagnie. 1644 Atque his scriptis Facultas Antapologiam suam opposuit, quæ tertio libello supplici modò memorato comprehenditur. Pergimus igitur jam ad reliqua scripta Anti-Iesuitica, cujusmodi sunt, IV. Acte fait à la diligence de Mr. Le Recteur de l'Vniversite de Paris, pour descouvrir & faire condamner une doctrine prejudiciable à la vie d'un chacun, & particulierement de Rois & des Princes souverains, enseignes au College de Iesuistes à Paris 1633. V. Seconde Apologie pour l'Vniversitè de Paris: Imprimée par le mandement de Monsieur le Recteur, donné en Sorbonne le Sixiesme Octobre 1643. avec Approbation de Messieurs les Recteur, Doyens, Procureurs, & Deputez de toute l'Vniversite, en l'Assemblee ordinaire tenüe au College de Cholets, le Samedy cinquiesme Decembre de la meme année, contre le livre fait par les Iesuites pour responce à la premiere Apologie, publie par eux dedans & dehors le Royaume, & vendu chez Sonnius à la Rue Sainct. Iacques, au Compas d'Or. A Paris 1643. VI. *Al-*

phonsi de Vargas Toletani Relatio ad Reges & Principes Christianos, de strategematis & sophismatis Politicis Societatis Jesu ad Monarchiam orbis terrarum sibi conficiendam. In qua Iesuitarum erga Reges ac Populos optimè de ipsis meritos infidelitas, ergáque ipsum Pontificem perfidia, contumelia, & in fidei rebus novandi libido, illustribus documentis comprobatur 1642. VII. Scripsit etiam tractatũ contra Iesuitas *Joh. Baptista Van Helmont*, qui tamen lucem hactenus publicam non vidit. VIII. *Arcana Societatis Jesu, bono publico vulgata cum appendicibus utilissimis, an. Ch. 1635.* Continetur his arcanis a. Instructio secreta Societatis Iesu. Hanc, author (sive is fuerit *Casparus Schioppius*; qui & *Relationem ad Reges*, supra num. 6. exhibitam, concinnâsse fertur, sive quisquis alius) scribit, *& Paderbornæ, & Pragæ in Jesuitarum Collegio, in Rectoris scrinio repertam fuisse.* Eandem etiam anno demum 1654. Michael Ruckert, *manu religiosi cujusdam neque mali neque illiterati fideliter descriptam, sibiq; & paucis quibusdam aliis communicatam*, in lucem protraxit. b. *Fortunij Galindi* Cantabri, de causis publici erga Iesuitas odij disputatio. c. *Augustini Ardinghelli* paradoxa Iesuitica h.e. Impiæ, nefariæ, & pestiferæ Iesuitarum Ger-

Germanicorum sententiæ adversus omnes Religiosos ordines. Quarum omnium necessaria, solida, & modesta refutatio continetur in congeminata voce Turturis, *Dominici Gravinæ* Theologi Dominicani, Neapoli, nuper edita 1633. d. *Bernardini Giraldi* Patavini, pro Senatu Veneto Apologia, sive de justitia Decreti, quo Senatus Venetus adolescentes ditioni suæ subditos ad Iesuitarum Scholas accedere interdixit: deque conditionibus, quibus Iesuitæ reditum ad Venetos videntur impetrare posse. e. Illustrissimi & Reverendissimi Principis Domini Cardinalis & Archiepiscopi Pragensis, Legati nati, &c. judicium & Censura Bullæ à Patribus Societatis Cæsari, oblatæ, Cæsarea ac Regali auctoritate firmandæ, pro erectione Carolo-Ferdinandæ Academiæ. f. *Iohannis Marianæ*, Societatis Iesu Theologi libri de regimine Societatis Cap. VI. de studiis. g. *Danielis Hospitalij* ad Reges, Principésque Catholicos consultatio, de causis & modis conservandæ & amplificandæ Societatis Iesu, ut perpetuò durare, déque Ecclesia DEI & Regnis ac Rebuspub. Christianis præclarè semper mereri possit. h. Deliciarum Iesuiticarum specimina. i. Testimonia de Societatis Antiquitate, Ignatii Loyolæ Sanctitate, Patrum Societatis Oeconomia. IX. *Aula Ecclesiastica* de beneficiis Ecclesiasticis præsertim Regularibus, eorúmque extinctione, devolutione, collatione, & spe juridica, illa, sicubi destituta fuerint reparandi. Et *Hortus Crusianus*, Ioh. Crusii è Societate Iesu Bremensis Eclipsi sive deliquio astri in extincti, speculi loco oppositus

Auctore R.P.F.Romano Hay, ordinis S.Benedicti, Imperialis Monasterii Ochsenhusani in Suevia Presbytero Theologo. Francofurti 1648. Publica authoritate liber, ut audio, Coloniæ etiam impressus, prohiberi debuit, ne tot nobis Papistica sacra innotescerent. Scripto huic anno demum 1653: Coloniæ opposita fuit *Aulæ Ecclesiasticæ & Horti Crusiani subversio*, sive R. P. F.Romani Hay, aliorúmque commentorum discussio, authore R.P.Ioanne Crusio, Soc.Iesu, cui & alia inscriptio adjungitur, quæ ita habet: Commenta Hayana aulæ Ecclesiasticæ, & Horti Crusiani, ad oppugnatæ legitimæ potestatis, voluntatis, & invasi nominis propugnationem, inter varias de Collegiis, titulis, beneficiis, Iuribus, privilegiis, dominio, possessione, jurisdictione, fundationibus, ultimis voluntatibus, earúmque commutationibus, concordatis, Germaniæ annatis &c. Itidem de anno natali Christi ac diversis in causa Monasteriorum, Pontificis, Cæsaris, Principum indultis, rescriptis, decisionibus, tum de diversorum Monachorum ac clericorum regularium maximè Societatis Iesu institutis, differentiis, doctrinis, moribus &c. practicas resolutiones, discussa à R.P.Ioanne Crusio Soc. Iesu. Occasionem huic concertationi præbuit *Astrum Inextinctum*, sive jus agendi antiquorum Religiosorum Ordinum, pro recipiendis suis Monasteriis (quæ nonulli perperam EXTINCTA fuisse dicunt) & bonis Ecclesiasticis, per S.C.M. edictum generale vel jus belli restituendis; è sacris

cris Canonibus, eorumque Interpretibus clarè demonstratum A.R.P.F. Romano Hay &c. Sed & *causa Iansenitica* fervente, quot à doctissimis causæ bonæ patronis, Iesuitis διὰ στόματος καὶ διὰ μελανος sunt exprobrata? Habentur, ut vel aliqua commemoremus a. Defense de disciples de S. Augustin contre un Sermon du Pere Bernage Iesuite, preschè dans la chappelle de S. Louis le Dimanche 28. Aoust 1650. b. Decret de l'Inquisition de Rome sur deux Catechismes de la Grace, selon que Iesuite, l'ont fait imprimer par Mathieu Colembel, en le falsifiant dans le titre, & dans la traduction. Apertè falsarios esse Molinistas, i.e. Iesuitas & eorum asseclas, author in vera decreti explicatione monet. c. Considerations sur la lettre composée par M. l'Evesque de Vabres pour estre envoyée au Pape en son nom, & de quelques autres Prelats dont il sollicite la signature. Multa in Iesuitas dicta, illud cumprimis, quòd Augustini authoritatem in causa de gratia DEI magno fastu elevent. Vide S. 14. 15. d. Lettre d'un Cappucin de Flandres, qui monstre combien est faux le Decret, q'on attribue à son ordre, touchant la doctrine, de Saint Augustin, & combien est ridicule le trophee, que les Disciples de Molina ont voulu fonder sur ce pretendu decret. e. Defense de la censure, que Monseigneur l'Archevesque de Paris à faite du liure du Pere Brisacier Iesuite pour la justification du Monastere de Port Royal; Contre une lettre imprimeé & publie sous ce titre, LETTRE D'IMPORTANCE sur

le Livre du Iansenisme confondu, composé par le R.P Brisacier. Avec un EXTRAICT des Principales injures, Impostures, & calomnies, dont ce Liure est remply. f. Remonstrance aux Peres Iesuites, touchant un Libelle, qu'ils ont fait courir dans Paris, sous ce faux titre. LE MANIFESTE, de la veritable doctrine de Iansenistes, telle, qu'on la doit exposer au peuple, composé par l'Assemblée du P.R. Paris. 1651. g. Defense des Hibernois, Disciples de S. Augustin, ou, Recit de tout ce, qui s'est passé touchant une Declaration que les Molinistes ont fait souscrire par surprise à quelques Hibernois, la pluspart estudians en Theologie ou en Philosophie, Par le Sieur de CLONSINNIL, Prestre Hibernois, & Docteur en Theologie. Par. 1651. Et tamen studiosorum illorum subscriptionem tanti Iesuitę fecerunt, ut Triumphum Catholicæ veritatis appellârint; quod Doctorem Hibernum malè habet. Luculentum specimen, quibus artibus Molinæ novitates, ut scriptum habet, obtruserint, & suffragia emendicarint. h. Les Scandales du Recteur des Iesuites d'Alencon, A Messieurs du Friche & Basire, Grands vicaires du Diocese de Seez le Siege Episcopal vacant. Præfixa est Epistola planè querula de turbato Ecclesiæ statu per eos, qui ad gubernacula ejus sedere deberent. i. Le Masque leve au Recteur des Iesuites d'Alencon, ou, Responsе à son libelle diffamatoire, qui porte pour tiltre, Remerciment du Consistoire de N. aux Theologiens d'Alencon, disciples de Saint Augustin. k. Lettre d'un Ecclesiastique de Reims,

Amy,

Amy,des Iesuites, au R.P.Dom Pierre de S.Ioseph Fueillan, sur le Sujet de quelquet vers ridicules, qu'il luy envoye, qui ont esté prononcez cette anneé, en l'action publique des affiches de leur College de Reims, à dessein de des-honorer la doctrine de S.Augustin touchant la divine Grace, qui est celle de l'Eglise,& d'exposer aux boufonneries des Libertins la penitence Chrestiene. 1652. l. Censure de la Facultè de Theologie de Reims faite contre un Livre Anonime, qui est intitulè, La nouvelle defense de Gothescalc, détruite par les sentimens des Anciens Peres, en l'année 1652. le 24. Iour du Mois de Iuillet, envoye au R.P. Dom Pierre de S.Ioseph Fueillant. Scriptum οὐ κακίστου κόμματος, quo & Godescalcus, ejusque de Prædestinatione doctrina defenditur, & odium Iesuitarum in Augustinum, cui è quadriga celebrium Ecclesiæ Doctorum expuncto Nicolaum substituerunt, detegitur. Cumque anno superiori causæ Augustinianæ Patroni Româ in Galliam ab Innocentio innocentissimè damnati redijssent, non satis fuit in tam arduo negotio repulsam eos tulisse; μαισωνικὰ Iesuitarum σκώμματα accedebant, & monstrosæ picturę in Calendariorum vestibulis positæ, quibus Iansenium & Iansenitas Patres ita lacessiverunt, ut continere se Iansenitæ non potuerint, quin Talionis lege μέτρον πεπιεσμένον redderent. Unde non modò le Manche de l'Etrille de l'asne Moliniste, addito schemate quo Calendarium Anti Iesuiticum in theatrum proferendum censerent; Ve-

rùm etiam consilium, an & quatenus liceat jocis & salibus illatas injurias abstergere, ab illis prodijt, qui ægrè viderunt, viros præclaros tam indignè tractari. Titulus scripti est: Response à la lettre d' une persone de condition: Touchant les regles de la conduitte de Saints Peres dans la composition de leurs ouurages, pour la deffense de Veritez combattües, ou de l' innocence calomnieé. Atque hæc suis hoc loco inserere volui nominibus novissima scripta Anti-Iesuitica, tum quôd rariùs pleraque reperiantur, tum quòd publica ferè authoritate munita prodierint, tum denique, ne usum illorum ostensuri, opus semper habeamus totius tituli ex-scriptione. Extant quidem nostratium etiam in continuatione Historiæ Iesuiticæ lucubrationes non contemnendæ; *Speculum* præsertim *Iesuiticum*, an. Ch. 1644. editum, *& la Tyrannomanie Jesuitique* an. Chr. 1648. juxta annorum etiam seriem conscripta; quin & Iesuitarum discipuli publicis scriptis ordinis secreta prodiderunt, quale est; Les Iesuistes mis sur l' Eschafaut, pour plusieurs crimes capitaux par eux commis dans la Province de Guienne par le Sieur Pierre Iarrige, cydevant Iesuiste profes du quatriesme voeu & Prædicateur 1649. Qui certè homo, ut obiter hoc moneam, aut mendacissimus fuit & audaciæ planè projectæ, qui tot, ne circumstantiis quidem personarum, locorum &c. omissis, ordinis scelera & flagitia in apricum ausus fuit proferre; aut desperatus Epicuræus, qui Κεκαυτηριασμένη ζυνειδήσιν ad vomitum redijt. Quòd si tamen prolubium cuiquam fuerit,

fuerit, Iesuitarum arcana penetrandi, ab ipsis fidei illorum sociis tantò illud expectabit tutius & certius, quantò difficilius in hanc illi arenam discendunt, qui collatis mallent viribus nos opprimere.

4. *Capucinorum*, qui, eodem ferè tempore, quo Iesuitarum ordo, caput extulit. Auctorem quem habuerit, non satis inter scriptores convenit, *Alij* Bernhardinum Ochinum ponunt; *Bzov.* an. Ch. 1525. S. 76. *Alij Goffridum* Varaglium Buscanum, Pedemontanum, qui etiam in Ordinis Generalem est electus. Etsi verò à juventute sua in densissimis errorum ac superstitionum tenebris hæsisset, in iisque novum hoc Monachorum genus instituisset, lux tamen cælestis Verbi Dei ita affulgere tandem illi cœpit, ut in agnitionem errorum mediocriter perveniret: sequutus igitur Cardinalem Carrafam Papæ Legatum in Gallias euntem Lugdunum usque, relicto Cardinale, Genevam ipse se contulit, ut melius & plenius isthic in agnita veritate instituereretur. Hoc cum ex limpidissimis fontibus Verbi DEI à Ministris ejus urbis Ecclesiæ bona fide fieret, ingenti animi lætitia Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ acquievit, simúlque vetus suum institutum ac vitæ genus abjecit totóque corde est detestatus, & aliud ab hoc prorsus diversum ingressus est. Tandem Buscum in Patriam rediit, inde Angeroniam profectus, quo paulò antè vocatus fuerat, ut Verbi divini Minister illic esset, in itinere in Bargesio oppido captus, & inde Taurinum, tunc temporis à Galliarum Rege possessum, ductus, posteaquam ibi constantissimè veritatem &

professus esset & defendisset, combustus est ante arcis portam, penult. Decemb. an. Ch. 1557. uti testantur *Martyrum* liber, & *Hist. Eccles. Reformat.* in Galliæ regno, lib. 1. fol. 158. Gallicæ Edit. Pertinent ad ordinem Franciscanorum seu Minoritarum, & à longis *Caputiis* seu Cucullis, *Capucini* dicuntur. *Hosp.* de Orig. Monach. pag. 297. *Alij* denique *Matthæum Bascium* umbrum, qui divinitus (si quæ otiosi somniant Monachi, fidem statim mereantur) excitatus Francisci institutum, cucullum, & laceram revocavit, cæterisque adeò Minoritis sua ζυλησαγωγία molestus fuit Qua de re prolixè *Bzov*.a. Ch. 1525. S. 75.

5. *Ordo societatis Mariæ Virginis*, *Hosp.* l. cit. Nuper etiam novus, & huc usque incognitus Mundo ab inferis emersit ordo, societatis Mariæ Virginis, ad imitationem credo Fratrum de societate Iesu: de quo tamen nihil mihi compertum est. Sed puto hunc ipsum esse ordinem, cujus supra ex *Bzovio* meminimus.

6. *Ordo Militum S. Stephani*: Hunc ordinem, Cosmo Florentiæ Duce auctore, instituit & confirmavit Pius IV. a. D. 1561. Differt in eo ab Iohannitis, quòd pro candida rubram crucem gestant auro circumscriptam. Deinde, quòd milites ipsi semel esse mariti possunt, quod Iohannitis permissum non est. Ilua Ligustici maris Insula est eorum propria sedes. Verùm dum in ea Cosmopolis urbs nova condebatur, Pisis habitârunt. Ordinis Magister idem est, qui & author. Nomen illud non à Stephano Proto-martyre habent, sed à Stephano Florentino

tino civitatis Pontifice patrono, in divorum numerum relato. *Pantal.* lib. 11. de ordine Iohannitarum. *Panvinius* autem, in appendice ad Plat. affirmat, eos nomen hoc à Stephano Papa habere.

7. *Ordo Equitum S. Spiritus*, à Pervigilio cæptus a. Ch. 1579 Decemb. 1. instituitur ab Henrico Franciæ Rege. *Geneb.* invito Pontifice; *Chyt. Calvis.*

[d] Cujusmodi est 1. *Fraternitas* in honorem S. Ittæ an. Chr. 1580. die 30. Martii instituta. Leges ejus apud *Hospin.* de Orig. Monach. p. 171. hoc ordine recensentur: Omnes ac singuli hujus confraternitatis sacerdotes, in jejuniis quatuor temporum, pro vivis ac mortuis Fratribus & Sororibus Missam celebrare debent. At si Missam celebrare non licet, vigiliam aut vesperas pro salute animarum habeant. Laici verò hujus Fraternitatis, iisdem temporibus Rosarias preces devotè peragant. Omnes Clerici & Laici postquam in hanc Fraternitatem adoptati sunt, ad felicem introitum Missæ sacrificium & devotas preces, intra mensis spatium, præstent & absolvant. Si fratrem vel sororem fraternitatis obiisse constat, Clerici pro salute defuncti, & omnium fidelium animarum, Missam celebrare tenentur, aut illius loco vigiliam aut vespertinas preces habere. Laici orent pro anima defuncti orationem Dominicam, & salutationem Angelicam quinquies, Symbolum Apostolorum semel.

Sin verò Sacerdos naturæ debitum solverit, reliqui exequias Ecclesiæ usitatas pro defuncto habeant. Laici verò pro defuncti Clerici salute orent, Orationem Dominicam decies quinquies, & Ave Ma-

Maria decies quinquies, & Credo terties. Quo majori devotione cultus divinus in hac Fraternitate celebretur & propagetur, constitutum est, ut omnes & singuli Fratres & Sorores quotannis proxima post omnium Sanctorum die, sin verò in feriam sextam inciderit, feria secunda conveniant in cœnobio Vischingen, & illic in DEI omnipotentis & matris ejus, Divæ Mariæ virginis & beatæ Ittæ, & omnium Sanctorum cœlitum gloriam, honorem & laudem, ad ædificationem viventium, & consolationem defunctorum, omnes utriusque sexus, in summo templo Missam, Exequias, Vigilias, Anniversaria celebrent, oblationes & sacrificia peragant, pias ac devotas preces fundant, & quæcunque ad cultum Dei pertinent, faciant. Publicè etiam ex sacro ambone omnium defunctorum & viventium Fratrum & Sororum nomina & cognomina proclamentur. Sacris officiis singulis interesse, & debitas oblationes conferre debent, quorum usus fructus ad dictum cœnobium redit, quod pia recompensatione suis sumtibus cereos dabit. Hanc solennitatem nulli ex necessitate frequentare coguntur, inprimis quibus longum iter insumendum, aut quos ætas, infirmitas corporis aut aëris intemperies impedit. Nihilominus sive adsint, sive absint, Clerici Missam celebrare, Laici verò constitutas Rosarias preces absolvere tenentur. Si ex hoc tempore vir aut mulier in hanc fraternitatem adoptabitur, fraternitati solvat florenum. Prælatus seu Abbas dicti cœnobii in Vischingen, & ex Laicis Fratribus unus, quæstores sint Fraternitatis,

omnes

omnes donationes & legationes fideliter administrent & annuatim rationem accepti & expensi reddant. Si sacræ virgines in hanc Fraternitatem receptæ fuerint, præter Laicis præscriptas leges, addant insuper septem Psalmos pœnitentiales, qui Laicis aliâs non sunt dicendi. Si quatuor Fratres, nimirum Clerici duo & Laici duo congregati fuerint, & unus aliquis aut plures in dictam Fraternitatem cooptari cupiant, illos recipiendi potestatem habeant, ea tamen conditione, ut florenum præsentem ipsis aut ad constitutum solennem diem solvant; Et illorum nomina consignentur. Prædictos hos articulos, constitutiones, statuta confirmavit Reverendissimus & Illustrissimus Princeps & Clementissimus Dominus Marcus Sytticus S.R.E. Cardinalis & Episcopus Constantiensis ex Apostolica authoritate. Et quo gratia hujus Societatis plenior & uberior sit, concedit, ex DEI omnipotentis misericordia, & ejus Genitricis Mariæ, & omnium Sanctorum meritis, omnibus ac singulis Fratribus & Sororibus hujus Fraternitatis & reliquis omnibus Christianis hominibus, qui peccata sua confessi fuerint, & pœnitentiam verè egerint: si dicto die apud Fraternitatem comparuerint, aut exequiis defunctorum devotè interfuerint, 40. dierum omnium actualium & venialium peccatorum remissionem, quoties nimirum id fit, Apostolica nimirum authoritate & potestate, postquam injunctam pœnitentiam absolverint, præsenti & futuro tempore, & in perpetuum Amen.

2. An. Ch. 1572. Martii vigesimo, Lutetiæ apud Au-

Augustinianos Pœnitentium sodalitium ab Henrico Rege introducitur, Nuntio Apostolico sacra operante, & candidas φερετόρων vestes consecrante. Quo exemplo mensibus deinde Iulii, Augusti, Septembris in Lotharingia, Campania, Picardia & nonnullis aliis provinciis, supplicationes populosè promiscuæ multitudinis per decem, viginti, plurésve leucas actæ sunt, Clero corpus Christi sacrásque reliquias afferente, Laicis cujusque ætatis & sexus cum puris linteisque vestibus, & crucibus ligneis litanias, aliásque pias precatiunculas flebili cantu per tot terrarum spatia modulantibus. *Geneb.*

[c] Certum enim est 1. *Theologiam Pontificiorum, satis aliàs corruptam & Quodlibetica disputandi psora infectam, Fraternitatum occasione novis perplexitatibus & controversiis fuisse vexatam*, hac potissimum de causâ, quòd clerici, qui à Fratribus auctorati erant, & in societatis Collegium recepti, aliis jam suam in obeundis sacris operam debebant, ita ut ob solennitatum concursum unâ fideliâ sexcentos necesse habuerint dealbare parietes, & unius Missæ recitationem tanquam Panaceam multis applicare morbis. Habeo hac de re Msc. *Henrici Nidhart*, Decretorum Doctoris, & Canonici Tigurini, *de duabus confraternitatibus unitis cum capitulo Ecclesiæ Constantiensis*, ex quo haud obscurè colligimus, ipsis etiam Theologis hæc Fraternitatum fundamenta & mutua officia, fuisse μῆλα ἔριδος, cùm tot ubique & à VValdensibus (quorum expressè meminit *Nidhartus*) & à Monachis

chis Franciscanis vel contra suffragia ipsa, vel suffragiorum executores, videamus objecta. Observamus & hoc, Clericorum ferè negligentiâ factum, cur sibi quisque de superstitum fraternitatis vinculo junctorum suffragiis prospicere, quàm animæ suæ à Purgatorii doloribus liberationem Cleri oscitantiæ committere maluerit. *Ex his patet,* inquit Nidhartus, *quantum se onerant Clerici, qui se ad hujusmodi suffragia implenda obligant, & tamen ea facere negligunt, aut nimium tardant, aut ea indevotè & cursoriè & aliâs taliter peragunt, quod modicum, & forsan nullum fructum animabus afferunt. Unde mortui, quantum ad effectum eleemosynarum & aliorum suffragiorum dilatorum culpâ illorum, maximum patiuntur in sustinendo pœna Purgatorij, quum possent solvi per solutiones suffragiorum, & animæ de pœnis liberari. Ac etiam in dilatione gloriæ, quod est maximum damnum.* Sed operæ pretium fuerit tum occasionem quæstionis, tum quæstionem etiam ipsam *Nidharti* verbis, quæ in limine tractatus occurrunt, proposuisse. *Existentibus,* inquit, *in Ecclesia Constantiensi duabus confraternitatibus, quarum una confraternitas* Antiqua *vocabatur, & habuit octo*

octo duntaxat Presbyteros, qui se obligaverunt ad peragendum quadraginta unum anniversaria cum Vigiliis, Placebo, *& una Missas pro defunctis cantata; & peragendum centum & septem anniversaria, quæ* Quilibet *nuncupantur, sicq; per quemlibet Confratrem legatur, in suo Altari infra octo dies, Missa pro defunctis; qui quidem octo Presbyteri dictam Fraternitatem facientes sua anniversaria in Capella sanctæ Margarithæ Ecclesiæ Constantiensis peregerunt. Alia verò vocabatur Fraternitas* Nova, *quæ Confratres decem tantùm Presbyteros habebat, quæ ad alia anniversaria, cum & sine Missis, peragenda, se obligabat in alia dictæ Ecclesiæ Capella. Quibus quidem Confraternitatibus sic destinatis de consensu Episcopi, Capitulum dictæ Ecclesiæ, habens etiam peragere plura anniversaria, cum Missa defunctorum cantata, &* Placebo *duntaxat, se cum dictis duabus Confraternitatibus, ac etiam ipsæ Fraternitates se mutuò, unà cum dicto Capitulo unientibus conjunxerunt, sic & taliter, quòd deinceps tam Domini de Capitulo, quàm Confratres di-*

dictarum duarum Confraternitatum, & quàm plures alij, Capellani & Presbyteri unam deinceps facere volebant & constituere, prout constituerunt, Confraternitatem, habentem nunc circa sexaginta personas, quarum ad minus quadraginta octo sunt communiter; dum peraguntur anniversaria, prædictæ Fraternitatis, præsentes: Qui quidem Confratres, dictæ nunc unitæ Confraternitatis, omnes pro se & suis successoribus sibi mutuo inter cætera condixerunt, &, ex statuto Episcopi, obligantur, quòd omnia anniversaria, ad quæ tam dicti Domini de Capitulo, quàm etiam Fratres dictarum duarum Confraternitatum peragenda tenebantur, peragere vellent & deberent, una cum his, ad quæ peragenda tota nunc unita Confraternitas se ex post obligavit. Cùm autem prædicti Confratres, potissimùm Capellani, ad plures Missas defunctorum, ratione dotationum, pro fundatoribus beneficiorum suorum teneantur, occurrántque multa festa Sanctorum, in quibus, de con-

suetudine antiqua, nedum Ecclesiæ Constantiensis, sed etiam dictarum Confraternitatum, Missæ defunctorum, vigiliæ, & alia animarum suffragia, in forma Ecclesiæ cantari, & fieri consueverunt, sicque, quòd si tota ista jam unita Confraternitas, & omnes ejus personæ obligarentur, ad specialiter & specificè peragenda omnia anniversaria cum sua communitate, ad quorum solutiones Antiqua, *quæ octo, ac* Nova, *quæ decem duntaxat habebat personas, se obligârunt, nimis esset dicta Confraternitas, & ejus supposita gravata: & quòd de anniversarÿs, ad quæ tota Fraternitas nunc unita se obligavit, non est difficultas, quod eadem jam unita & tota Fraternitas peragere vult & intendit:* Quæritur jam: *An dicti Confratres istius unitæ Confraternitatis possint duo, tria, aut quatuor de illis anniversarÿs, quæ per octo personas* Antiquæ, *aut decem* Novæ *Confraternitatum sunt promissa, simul jungere, & una semel peragere, ut dicantur obligationibus prioribus satisfacere, cùm jam quadraginta octo personæ ad minus, anniversaria qualibet peragant, & exol-*

olvant? Hanc quæstionem author post longam de suffragiis in ipsos etiam Franciscanos institutam, disputationem ita concludit; *Quòd Fratres dictæ Confraternitatis possunt duo aut tria anniversaria illorum, de quibus quæritur, unire, & per Confraternitatem totam nunc unitam, quo ad vigilias &* Placebo *indubiè uno semel peragere: Et idem de Missis, quæ* Quilibet *vocantur, de quibus quærit dubium. Patet hoc, quòd obligatione facta illis, qui procuraverunt sibi anniversaria, vigilias & Missas, quæ* Quilibet *vocantur, promissio non est ampliata; sed stat in suis terminis: In quibus octo duntaxat Presbyteri ea, & eas peragere & celebrare promiserunt. Si itaque remansisset antiqua Fraternitas, de qua in casus positione, non plures ad peragenda & celebranda dicta anniversaria; &* Quilibet, *obligati fuissent quàm octo & quolibet anniversario; quod non plures ea peragere & celebrare promiserunt. Nunc verò in Confraternitate congregata personæ Vigiliis & Placebo peragentes sunt 48. Personæ verò Missas, quæ* Quilibet *vocantur, sunt 32. aut circa istum*

numerum: solutioni autem, quæ debetur, cessat omnis obligatio.

2. *Fraternitates istas livorem & partium studium, inter Monachos potissimum, ita auxisse*, ut aliæ alias opprimere per fas & nefas tentârint: ut suæ quisque satisfaceret factioni, si non calumniis; apertis saltem odiis certatum fuit. Exemplum illustre habuerunt Fratres Bernenses: sup.p.370. Hinc in ipso Papatu à Majoribus nostris hæc sublata legimus Collegia. *Scissum est*, inquit Rodolph Hospinian. de Orig. Monach. p.171.b. *vulgus his Fraternitatibus sæpe in factiones multas & varias; ex quibus simultates graves, imò cædes & seditiones ortæ sunt, ob câmque causam eos à prudentissimo senatu Tigurino in ipso Papatu abrogatæ fuerunt in urbe sua.* Quo anno factum illud sit, non additur. Reperio tamen, Monachorum instinctu & instituto, ejusmodi Confraternitates inter Augustinianos præsertim, diu satis, per tolerantiam saltem, Tiguri fuisse in usu. An. Chr. 1499. Augustiniani urbici φρατρίας suæ confirmationem à decem Cardinalibus petierunt & obtinuerunt, multis Indulgentiis munitam. *Cupientes* (verba sunt *Bullæ*) *ut Capella B.M.V. sita in Ecclesia Monasterij S. Augustini in Thurego, Constantiensis Diœcesis (in qua, sicut accepimus, quædam laudabilis Confraternitas*

tas utriusque sexus Christi fidelium, in honore passionis D. N. J. Chr. cum Missarum, Vigiliarum, & aliorum divinorum officiorum celebratione, devotè instituta, existit, & ad quam, sicut accepimus, universi Confratres dictæ Confraternitatis singularem gerunt devotionem) congruis frequentetur honoribus, & à Christi fidelibus jugiter veneretur, ac in suis structuris & ædificijs debitè reparetur, conservetur, & manu teneatur, nec non libris, calicibus, luminaribus, ornamentis Ecclesiasticis & rebus alijs pro divino cultu inibi necessarijs decenter muniatur: Utque Christi fideles ipsi eò libentius devotionis causa confluant ad Capellam eandem, & ad reparationem, conservationem, manutentionem & munitionem hujusmodi manus promtius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cælestis gratiæ uberius conspexerint se refectos. Nos Cardinales præfati, videlicet quilibet nostrum, de omnipotentis Dei Misericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus & singulis Christi fidelibus utriusque sexus verè pœni-

tentibus & confessis, qui dictam Capellam in singulis videlicet quatuor diebus Sabbathis quatuor angariarum seu temporum, in quibus dicta Confraternitas cum Vigiliarum, Missarum, & aliorum divinorum officiorum celebratione devotè peragitur, ac octava die Paschæ, in qua cantatur in Ecclesia Dei quasi modo geniti, in quarum altera ipsius Capellæ dedicatio celebratur à primis vesperis usque ad secundas vesperas inclusivè, devotè visitaverint annuatim, & ad præmissa manus porrexerint adjutrices; pro singulis diebus, & octava, prædictis, quibus id fecerint, centum dies de injunctis eis pœnitentijs misericorditer in Domino relaxamus. Sed & sequenti seculo XVI. alia inter Canonicos quosdam Tigurinos & Clericos præbendarios, sub invocatione B.M. Virginis & beatorum Sebastiani & Rochi, instituta Societas, cujus διατύπωσιν Nuncio, nisi fallor, Apostolico tum apud Helvetios agenti, oblatam, tantò hic lubentius adjungo, quantò nobis domesticam superioris seculi calamitatem publica ejusmodi, & penè ἀνέκδοτα monumenta, distinctius ob oculos ponunt. Ita autem illa habet. Reverendissime Pater: *Exponitur D.V. pro parte devotorum Johannis*

nis Hagnawer/ *& Antonij VValder, & Rodolphi Stapfer Canonicorum, ac quorundam aliorum Clericorum Præbendariorum Ecclesiarum Præpositturæ, Abbatiæ, & sancti Petri, quod ipsi aliâs ad laudem Dei, & pro animarum suarum salute quandam laudabilem Confraternitatem sub invocatione Virginis gloriosæ, ac Beatorum Sebastiani & Rochi inter se instituerunt, & inter alia voluerunt & ordinaverunt, quòd nonnulla divina officia pro salute animarum ipsarum singulis annis semel, congruo tempore & loco, ac quoties unum vel plures ex eis decedere contingeret, ejusdem vel eorundem exequiæ, die competenti, & inde per triginta dies continuos seu interpellatos à quoquam Missæ, & alia divina pro defuncti seu defunctorum liberatione celebrarent, quibusque ipsi ordines eorúmq; sequaces pro tempore existentes, quascunque alias Ecclesiasticas seu seculares utriusque sexus personas honestas, in dictam Confraternitatem recipi desiderantes; modò tales personæ ad præfata onera facienda, qui Presbyteri sunt, seu procuranda in eandem Confraternita-*

tem recipere & describere, ipsaque recipi & describi possint, ac etiam nonnulla statuta & ordinationes, utilitatem supra dictæ Confraternitatis concernentes, sacris Canonibus non contraria ediderint, atque fecerint, prout in quodam publico instrumento desuper confecto plenius continetur. Cùm autem, Pater Reverendissime, dicti ordines cupiant institutionem, ordinationem, & statuta hujusmodi pro eorum subsistentia firmiori per sedem Apostolicam confirmari & approbari; supplicant igitur humiliter D.V. dicti ordines, quatenus eos specialibus favoribus & gratijs prosequentes, institutionem, ordinationem ac statuta prædicta à quacunque inde secuta authoritate Apostolica approbare ac confirmare, perpetuóq; firmitatis robur adjicere, ipsisq; ordinibus & eorum sequacibus in dicta Fraternitate pro tempore existentibus, ut quæcunque statuta & ordinationes licita & honesta utilitatem, ut præfertur, dictæ Confraternitatis, ac divini cultus augmentum concernentia, concedendi ac faciendi licentiam & facultatem concedere ꝯ. Præterea, ut dicti ordines

nes & eorum sequaces, cæteríque Christi fideles ad præfata officia divina in loco, ubi peragantur, libentius confluant, suásque orationes pro animarum salute devotius effundant, quo ex hoc ibidem spiritualibus muneribus ulterius se refectos conspexerint omnibus & singulis utriusque sexus Christi fidelibus, etiam dictæ Confraternitatis, actu tunc existentis, qui in die anniversali, seu depositione alicujus Confratris, quoties hoc annuatim contigerit, eisdem divinis officijs interfuerint, ac pro felici statu dictorum Confratrum, tam vivorum, quàm mortuorum intercesserint, quoties id fecerint, septem annos & totidem quadragesimalia de injuncta eis pœnitentia misericorditer in Domino relaxare, & nihilominus dictis ordinibus & successoribus eorundem ac cuilibet eorum, ut Confessorem idoneum secularem, aut cujusvis ordinis regularem eligere possint, & quisque eorum possit, qui eis etiam in casibus sedi Apostolicæ reservatis absolutionis beneficium semel in vita, & in mortis articulo plenariè: in non reservatis verò toties quoties, impendere, & salutarem pœni-

tentiam injungere, nec non vota quæcunque per eos emissa (liminum Apostolorum Petri & Pauli, Sancti Jacobi in Compostella, & ultra marino, ac ingressus Religionis & perpetuæ continentiæ votis duntaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare possit & valeat, concedere & indulgere dignemini de gratia speciali, constitutionibus ac ordinationibus Apostolicis, cæterísque contrarijs non obstantibus quibuscunque. Hæc proximè ante Reformationem, quam Fraternitatis hujus authores magnam partem vivendo assecuti, ambabus ulnis amplectebantur. Quibus verò rationibus inducti hi & alii, vincula ejusmodi Fraternitatum Reformationis exorto jubare ruperint, ex Epistola sequenti, quam Monachi quidam nostri montis Thuricensis Augustiniani post Reformationem ad Sorores Intzikofenses scripta manifestum est. Eam, etsi paulò prolixiorem, Germanicè ex autographo *Schlegelj*, Fraternitatis Socii, hoc loco insero, quòd non tantùm hujus sed & aliorum per religionis καταστροφήν sublatorum errorum non planè vel pœnitendam, vel contemnendam rationem reddat. Ita autem habet:

Den Wyrdigen/Geistlichen/vnd Andächtigen Frawen/ Propstinen vnd gemeinem Convent Geistlicher Chorfrawen St.Augustini/ zu Intzickhoffen bey Spin=

Symmeringen/frid/ gnad/ vnd barmherzigkeit / vnd ein vnschuldigs leben von Gott dem Vatter durch Jesum Christum vnseren Herren im heiligen Geist / Amen.

Würdige/geistliche andächtig: Frawen/vnd in Gott geliebte Schwösteren: Euch ist ohn zweifel wol zuwüssen vnd (als wir hoffend) vnvergessen/ wie vnsere vorfahren / die würdigen vnd geistlichen Herren der Prior vnd gemeiner Convent auff dem Zürichberg mit Euch von 80. oder mehr jahren / ein verpflichte vnd sonderbarliche / auch verschribne Bruderschafft hand/also daß wir in allem vnserem gebätt für Euch Gott insonderheit bitten soltend ; vnd zu allen Fronfasten für Euch todt vnd lebendig besondere gedechtnuß haben / in allen vnserem Gottsdienst : deßgleichen Jhr für vns. Auch so soltend wir Euch vnsere abgestorbnen Herren vnd Brůder Euch verkünden vmb bsondere fürbitt vnd nachthun willen : herwiderumb auch jhr vns verkünden Euwere abgestorbnen Frawen vnd Schwösteren/daß wir die für die selben sollend Mäß halten / vnd anders

nache

nache thun nach vnserem brauch. Nun aber soliches jetz ein zeit lang nit weder von vns/noch von Euch beschehen ist / vnd wegen der grossen verenderung / so zu diser letsten Zeit durch das heilig Gottswort begegnet ist; möchtind Jhr gedencken/daß wir auß verachtung solche Bruderschafft gegen vns/abgeschlagen oder sonst in vergessenheit gestelt hettind. Hierumb; würdige/ geistliche vnd in Gott dem Herren geliebte Schwöstern; ist vnser meinung/solche alte Bruderschafft mit Euch wider auff zrichten/ zvernewern vnd zverbesseren nach Christenlicher Religion vnser leben lang (dann nach vnserem absterben von diser zeit/wird vns keiner mehr nachfolgen auff dem Zürichberg) also daß wir Ewer liebe in allen vnseren gebätt/daß der Allmächtig Gott durch vns würcke/ wöllind in gedächtnus halten: Gott trewlich für Euch bitten / daß er Euch durch seinen heiligen Geist eynführen wölle in alle wahrheit/vnd wahre erkañtnuß seines geliebten Sohns/ vnsers Herren Jesu Christi: weliche erkañtnuß ist das ewig leben. Daß er auch Euch auß dem anaußschöpfflichen Schatz seiner güte/Gnad vnd barmhertzigkeit leiten vnd halten wölle: daß jhr mögind vor jhm in aller wahrheit in einem vnschuldigen Christenlichen wandel euwer leben vollführen: daß jhr nach disem ellenden leben durch den einigen verdienst

Jesu

Jesu Christi/ vnsers lieben Herren (der allein Gott dem himmelischen Vatter wolgefellig vnd angnem ist) dört das ewig leben ererbind. Herwiderumb ist auch vnser demütig begehren an Euch/daß auch jhr vns empfohlen lassind seyn in Euwerem andächtigem gebätte: vnd Gott den himmelischen Vatter trewlich für vns bitten durch Jesum Christum vnseren einigen Heyland/Mittler/Fürsprech/ Versühner vñ Gnugthůer: daß er vns durch seinen heiligen Geist auß gnaden stercke/daß wir in angenoñner erkañtnuß seiner Göttlichen wahrheit durch das heilig Evangelium mit gedult biß an das end verharrind. Doch so wöllend wir Euweren andacht nit bekümberen/noch beschwären mit vnserem leiblichen absterben von diser zeit/ daß jhr vns etwas nachthun söllind mit bätten/oder anderen dingen: dann wir durch die heiligen wort Gottes vnsers lieben Herrn Jesu Christi wol bericht sind/ daß aller todten dienst nit nur allein vergebens: sonder auch ein wahre lästerung vnd schmehlung des Leydens Christi/ so er spricht: Warlich/warlich sag Ich Euch: Wer mein wort hört/ vnd glaubt dem der mich gesendt hat/ der hat das ewig leben/vnd kompt nit in das gricht/sonder er ist vom tod zum leben hindurch getrungen. Warlich/ warlich sag ich euch/ wer in mich glaubt/der hat das ewig leben. Dises hat er am Creutz für vns hangende versiglet/da er gesprochen

chen hat: Es ist vollbracht. Ohne zweifel alles das zu des menschen heil notwendig vnd dienstlich was. Paulus vermanet vns auch/daß wir nüth sollind trauren für die abgestorbnen/spricht also: Wir wollend Euch aber liebe Brůder nichts verhalten von denen die da schlaffend (das ist gestorben sind) auff das jhr nit traurig seigind/wie die anderen/die kein hoffnung habend. Dann so wir glaubend / daß Jesus gestorben vnd aufferstanden ist: so wird Gott auch die da entschlaffen sind durch Jesum mit Jhm hin führen. Dise heilige wort Gottes durch Paulum beschriben / erklärt der heilige Martyrer vnd Bischof Cyprianus/spricht also: Die traurend/im absterben der Jhren/die kein ghorsame nit hand. Wir aber die in der hofnung lebend / vnd in Gott glaubend/ vnd Christum für vns gelitten vnd aufferstanden seige vertrawend: beleibende in Christo / vnd durch Jhn / vnd in jhm aufferstande: Wie wollend dann wir nit von diser welt weichen / oder warumb / beweinend vnd betraurend wir vmb die vnseren/die von vns durch den tod weichend/als werind sie verdorben? So doch vnser Herr Christus selbs warnet vnd spricht: Jch bin die aufferständtnuß vnd das leben: wer in mich glaubt/ob er gleich stirbt/wird er leben: vnd ein jetlicher der lebt vnd in mich glaubt wird in die ewigkeit nit sterben. Glaubend wir nun in Christum: sollend wir vertrawen

auch

auch ſeinen worten vnd verheiſſungen: ſo wer-
dend wir nit ſterben ewiglich / ſonder werdend
mit frölicher Sicherheit zu Chriſto kommen vnd
mit Jhm leben vnd regieren allweg. Daß wir
aber hie zwiſchend ſterbend / durchgöhnd wir
durch den tod zu der vnſterblichkeit: dann das
ewig leben mag nit folgen/wir gängind dann hie
dannhin auß. So iſt diſes nit ein außgang: ſonder
ein vbergang oder fürgang: vnd ſo diſer zeitlich
weg verfloſſen/iſt der tod ein eyngang zu den ewi-
gen dingen. Wer wil nun nit zu beſſeren dingen
eylen? Wer will nit verenderet vñ widergeſtaltet
werden zu der geſtalt Chriſti: vnd wünſcht nit
bald zukommen zu der himmeliſchen gnad-wür-
digkeit? So vil Cyprianus. Diß halt auch der
letſt articul vnſers heiligen wahren Chriſtenli-
chen glaubens: vnd iſt der einig zweck/auff den
alle Chriſten hebend/namlich/vnd nach diſem le-
ben das ewig. Die H.Schrifft iſt voll/daß das
Fegfewr nach diſer zeit nüt dann ein erdachte fa-
bel iſt: vnd alſo der todtnen dienſt ein vergebne
eytelkeit auß dem geitz der Pfaffen vnd Mün-
chen erdacht: Darumb wir euch billich ſollend
rüwig laſſen/ſo wir abgeſtorben ſind.

Weiter geliebte in Gott dem Herren andäch-
tige Frawen/dieweil Chriſtus ſpricht: Wehe den
menſchen/die ergernuß gebend: Es were jhnen
weger/daß jhnen ein mülliſtein an jhren halß ge-
henckt wurde/vnd ertrenckt im meer/iſt es vns
nit

nit zweifel/ ihr seigind ab vnserem aberwandel vnd verenderung treffenlich verergeret worden: Ist vnser demütig bitt/ihr wöllind Euch nit ab dem guten ergeren: dann wir vns auß der allerheiligisten Lehr des H. Evangelij Jesu Christi/ vnd hilff der gnaden Gottes geenderet habend: vnd alles das hingelegt/daß vnsere gwüßne wider Christenliche freyheit verstrickt vnd gefangen hat durch der Menschen-satzung/ vnd lehr/ durch die man Gott vergebens dienet vnd verehret. Dieweil nun vns Jesus Christus im Evangelio/nach St. Augustin/ in seiner Regel an keine sondere kleider/der gestalt vñ farben halb/bindet/ hand wir des ordens kleider als ein gleichßnerey hingelegt: vnd tragend ehrbare züchtige kleider die frommen Christen-männern vnd vnserem stand wol zimmend vnd anstöhnd. Wir habend auch verenderet das müheselig tempelgesang/vnd lesend in vil besseren werck vnd übungen/dann dieselben zuvorhin warend: dann wir jetz mit dem gmeinen Christenvolck in dem gmeinen Tempel Gott den Herren anrüffend vnd bättend im geist vnd in der wahrheit: dann Gott der Vatter sucht solche wahre anbätter: die nit mit vile zahl/oder zil/wie die Heiden vermeinend/ Gott müß sie erhören vmb lohns willen/ bättend. Darzu so sitzend wir mit der H. Magdalena mit anderen Christen täglich zu des Herren Jesu füssen/vnd hörend mit gutem lust vnd

wah-

wahrer gläubiger andacht (die sibenzit singen vnd lesen/gschicht der mehrtheil mit vnwillen vñ vnlust; sonderlich von denen/ die die Latinische spraach nit verstönd/vnd von länge der zahl der Psalmen mehr zum end eylend/dañ sie mit hertz vnd mund psallierend) dann sein heiligs Wort/ welchen besseren theil wir jetz mit Magdalena außerwehlt habend / der nimmermehr von vns genommen wird: Dennocht stönd wir auch nit müssig mit der sorgfeltigen Martha: wir dienend auch mit jhro dem Herren Jesu Christo: so vnser etlich sorg trägend für die haußarmen leuth/deren anliggen vnd noth wir für die verordneten Allmußner tragend/das jhnen geholffen wurde. Wir helffend auch das täglich Allmusen den armen außtheilen/daß man reichlich auß den Clösteren vnd den abgestorbnen Pfaffen-pfründ-gütern gibt im Augustiner Closter/ daß gantz zu einem allmusen hauß geordnet ist. Die aber vnder vns von Gott die gaab habend/ daß sie gelehrt vnd geschickt sind zu dem H. Amt/ vnd grosser arbeit/ zelehren/ trösten vnd vermannen / die sind Pfarrherren vnd Prædicanten worden/darzu dann auch anfänglich die Clöster gestifft seind worden/daß sie schülen werind/vnd zuchthäuser. Von der Meß aber; O jhr andächtige vnd in vnserem Herren Jesu geliebte frawen / vnd schwöstern; wöllind jhr Euch von Vns nit ergeren / daß wir darvon gestanden

sind/vnd sie nit mehr täglich haltend wie bißhär/ vnd sie im brauch ist gsein von 500. oder 600. Jahren här: Dann so wir mit grossem fleiß eigentlich betrachtet habend den einsatz des allerheiligisten Sacraments des leibs vnd bluts vnsers Herren Jesu Christi: auch die vrsachen vnd warumb ers auffgesetzt hat/namlich zu einer ewigen widergedechtnuß/dancksagung vnd verpflichtung Christenlicher Liebe vnd trew gegen einanderen/auch zu einer zeugnuß vnsers glaubens: so findend Wir/daß die Mess mit jhren mißbräuchen weit weit von dem rechten wahren brauch ist / darumb Jesus Christus sein heilig Abendmahl eingesetzet hat / vnd seine heiligen zwölff Botten/vnd die ersten Christen ein lange zeit braucht habend / welichen rechten brauch wir jetz jährlich drey mal mit wahrem glauben/zucht/ ehr vnd andacht brauchend / Gott dem Vatter vmb den tod vnd blut vergiessens / vmb vnsers Heils willen/dancksagend. So erfindet es sich auch/daß alles: das ausserthalb dem einsatz Christi in der Mess gebraucht erfunden wird / daß der ehr Gottes nachtheilig/vnd glauben vnd liebe widrig ist; ein grewel vor Gott ist vnd kein dienst. Dises sind aber die mißbräuch wider den eynsatz Christi/daß der Priester die Sacrament allein empfacht / vnd denen ers mittheilen solt/ vber die achßlen auffhebt vnd zeiget/ Christenliche freyheit durch vile der Ceremonien zerbrochen

chen wird/vnd daß die ergerlichen Pfaffen alle tag empfahend/vnd aber den Leyen abschlahend/ so in ergernuß lebend/sagend die Mess sey heilsam/wie böß joch der Pfaff seig. So ist der pracht vnd kosten der seidenen vnd guldenen kleideren/ wider Christenliche liebe/ die den nackenden bekleidet. Es wird auch das wort Gottes mit vile der Ceremonien vnd Lateinischer spraach verhinderet/vnd den Christgläubigen veruntrewet. Ja / vnd daß Jesus Christus zu einer gedächtnuß vnd dancksagung seinen gläubigen allgemein zebrauchen eyngesetzt hat/ wollend sie das glück vnd vnglück vnd alle fähl in der welt mit meisteren/ vnd gebend für/sie opfferind in der Mess für die sünd der lebendigen vnd der todtnen/dem Vatter seinen Sohn Jesum Christum auff/der es aber jhnen nit empfohlen hat: weliches auch der schrifft widrig ist: dem allerheiligisten Opffer leyden vnd sterben Christi ein lästerung/vnd vmb der erzehlten vnd anderen mißbräuchen willen ein grewel vor Gott. Dan Christus hat das werck der erlösung am H. Creutz vollkommenlich außgerichtet ohn alle mithilffen. Darumb als er jetzt verscheiden wolt/sprach er: Consummatum est: es ist vollbracht. Welicher nun laugnet/daß Christus vns erlößt habe / oder vermeint/daß Er vns nit auff ein mal erlößt habe/oder daß Er vns nit auff alle wyß erlößt habe / wie wir erlößt soltend werden : der machet

Chriſtum zu einem vnvollkomnen prieſter vnd Erlöſer / vnd verlaugnet alſo Seinen. Daß thůnd aber alle die / ſo mit jhrem Meſsopffer/ Meſsprieſter/Mitthelffer/ Mitterlöſer ſeyn wöllend / doch nit ohne groſſe beſoldung zeitlicher gůteren.

Wir aber / O andächtige Frawen / habend auch durch den wahren glauben in vnſeren Herren Jeſum Chriſtum erlehrnet/daß vnſere guten werck (denen wir groſſe verdienſt zůgeſchriben) nit allein nit verdienſtlich ſeind geweſen/ſonder auch in dem angſicht Gottes wie ein vnſauber tůch einer krancknen Frawen/vnd daß kein lebendiger menſch vor Gott/ auß jhm ſelbs/from gemachet wird; ſonder auß gnaden vnd barmherzigkeit/durch den einigen verdienſt Jeſu Chriſti werdend alle außerwehlten from/ heilig vnd ſelig/vnd nit auß vnſeren wercken/ weliche allein früchte des glaubens ſind; ſo ſie auß glauben gōhnd / vnd Gott wolgefellig; wo nit / ſind ſie auch ſünd / vnd machend vns eintweders zu gleichßneren/oder führend vns in verzweiflung. Dieweil dann nur ein jetlicher für ſich ſelbs muß haußhalten / habend wir ergernuß vnd ſünd zu vermeiden/den allerheiligiſten vnd ſtrengſten orden/den kein menſch/ſonder Gott ſelbs im Paradeiß auffgeſetzt hat/angenommen vnd in denſelben getretten/ das iſt/in den heiligen ehelichen Stand; vnd in dem wir mit Gott vnd ehren et-

liche

liche kinder hand. Dann Gott sprach: Es ist nit gut noch komlich/daß der mensch allein seig: Ich will jhm einen gehilffen machen/der jhm zenächst beystande/vnd Gott der Herr bawet ein weib auß dem ripp Adams/vnd bracht sie zu jhm. Vnd Adam sprach/ diß ist ein hilff/bein von deinem bein/ vnd fleisch von deinem fleisch/ man wird sie männin heissen/darumb daß sie vom mañ genommen ist. Darumb wird ein mañ seinen vatter vnd seine mutter verlassen / vnd seinem weib anhangen / vnd werdend seyn zwey ein fleisch. Was nun Gott zusammen gefügt hat/ daß soll der mensch nit scheiden. Daß aber der Papst/ Pfaffen/ Mönchen vnd Closterfrawen nit allein abscheidt/sonder auch jhnen gar die Ehe verbeut/vnd mit dem schädlichen/thorächten gelübd zu vnmögenlichem vnnatürlichen dingen zwingt vnd tringt/thut er wider Gottes eynsatz/ vnd H. Geschrifft Christenliche freyheit. Dann Christus laßt den ehelichen Stand nach der ersten eynsatzung allen menschen frey. Also hand auch die H. Apostel jhre Eheweiber nit verlassen/ darzu auß dem heiligen Geist gelehrt: Es ist weger zu der Ehe greiffen / dann brünstig seyn. Item/vmb der hurey willen/ die zemeiden/habe ein jeglicher sein eigen weib/vnd ein jegliche habe jhren eignen mañ/der mañ leiste dem weib pflichtige gutwilligkeit: desselben gleichen das weib dem mañ. Item/ die Ehe ist ehelich bey jeder-

man / vnd das beth der Eheleuthen vnbefleckt. Die hurer aber vnd ehebrächer wird Gott richten. Der H. Bischoff Paphnutius zeigt im Nicenischen Concilio an/daß man wider Gott den genañt Geistlichen die Ehe wolt verbeuten/daß der Ehelichstand/vnd schlaffen bey seinem weib/ die recht wahr reinigkeit vnd keuschheit were. O was grossen grewlichen lasteren sind dem teufelischen glübd der vnreinen reinigkeit nachgefolget! Als hurey / ehebruch/ schwechung der Jungfrawen/ Sünd wider die natur. Darumb der H. Geist durch den H. Paulum die Ehe-verbieter fein beschreibt/vnd spricht. Der Geist aber sagt offentlich/daß in den letsten zeiten werdind etliche vom glauben abtretten/vnd anhangen den irrigen geisteren / vnd lehren der teuflen / durch die so in gleichßnerey lugenen redend / vnd brandmahler in jhren gwüßnen habend / vnd verbietend Ehelich zuwerden/vnd zumeyden die speiß die Gott geschaffen hat / zunieſſen mit dancksagung den gläubigen/vnd denen die die wahrheit erkeñt habend. Dann alle Creatur Gottes ist gut / vnd nicht zu verwerffen / das mit dancksagung empfangen wird: dann es wird geheiliget durch das wort Gottes vnd gebätt. Hierumb ; o jhr würdigen / geistlichen vnd andächtige Frawen/ vnd in Jesu Christo vnserem lieben Herren geliebten schwösteren: Wir bittend Euch demütiglich / Jhr wöllind dise ernewerung vnser alten

Bru-

Bruderschafft gutwillig von vns annemmen/ vnd vns in ewerem embsigen andächtigem gebätt empfohlen lassind seyn: daß wöllend auch wir getrewlich herwiderumb auch thun. Jhr wöllind auch mit Christenlichen gmüteren vnsers glaubens vnd lebens rechenschafft hiemit in disem brief auff das kürtzest begrieffen verstahn/ dann wir sie Euch auß gantzer Christenlicher Liebe zugeschrieben habend/daß jhr Euch an vns nit ergerind/ sonder Gott den Herren mit vns lobind/daß er vns auß lauterer gnad auß der finsternuß der menschlichen satzungen in sein liecht vnd Christenliche freyheit gesetzt hat. Der behüt Euch seel/ ehr/ leib vnd gut/ Amen. Datum 18. Ianuarij 1543. Subscripserunt; *Georgius Malerus*, Meinmingensis, *Philippus MarcKsteinius*, Elgoviensis, *Severus Falb*, Minister Verbi, Zurzachensis, *Iohannes Schlegel*, Pastor Elgoviensis; *Iacobus Pfifferus*, Tigurinus, &c.

[d] Ita, exempli causa, de Iesuitis non inter ipsos modò Pontificios, sed ejusdem Collegii Doctores diversa hæc habemus judicia. *Gilbertus Genebrardus* Parisiensis Theologus, magno Ecclesiæ bono, eo tempore, Lojolam cum sociis caput extulisse scribit, quo Lutherus Papatui repudium miserit. *Nempe*, ut verba ejus an. Ch. 1521. sonant, *quo tempore Satanas ad diruendum aliquos erigit, Deus alios ad ædificandum excitat.* Tota contra Facultas Parisiensis non semel orationibus & scri-

ptis στηλευτικίος toti orbi aliud innotescere voluit: qua de re suo loco.

[e] In genere enim *Georg VVicel.* de Sanctis Eccles. Dei pag. 317. exclamat: *Optamus quotquot Christum ac ejus apparitionem diligimus, ut hanc Sanctimonialem* (VValtpurgam Virginem Anglicam intelligit) *nostræ imitarentur. O casta sanctáque Monasteria, tam à mundo semota, quàm cœlo vicina! Sed eheu, quæ & qualia hodie fert terra!* *Georg. Cassand.* Consult 25. pag 236. Edit. Colon. *Quàm autem longè Monachatus hodie à prima sua origine degeneraverit, & quantis abusibus contaminatus & deformatus sit, satis per se est manifestum. Nam paulatim religio vera & solida in superstitionem & inanem speciem religionis conversa est, & accrescentibus opibus, decrevit pietas & in ejus locum larvæ ceremoniarum, successerunt, in quibus, veræ pietatis operibus penè neglectis, summa totius religionis constituta est, quarum ceremoniarum inanis observatio usque adeò veram apud plerosq; Monachos religionem imminuit & obscuravit, ut nusquam ferè licentior & profanior vita, quàm in nonnullis Monasteriis reperiatur,*

tur, ita ut mirum non sit, si (cujusmodi nunc ferè est Monastica vita) multorum odio & reprehensioni exponatur. In *specie* verò 1. De *Mendicantibus* Spiræ in Conventu scriptum à civitatibus Imperii fuit oblatum, quo in queruntur, homines egenos passim nimium gravari Monachis, qui vulgò Mendici vocantur: quod enim illis ad tolerandam vitam præsidio esse debebat, hoc ab istis captari & interverti; nec id modò, sed hæreditates etiam & amplissima legata sæpe ad ipsos deferri, magno sanè cum detrimento plurimorum, &c. *Sleid.* l. 6. p. 62.

2. *Ordini Teutonico* dicam impegit Poloniæ Rex, quòd bello civili magis delectentur, quàm hostium expugnatione. *Sed ita res habet* (inquit Stanislaus Lascus Regis Orator apud *Sleid.* l. 20. p. 251.) *in hoc ordine semper est desideratus ordo. Quapropter etiam non è Prussia tantùm, sed è Bohemia quoque centum ab hinc annis, & penè quinquaginta fuerunt ejecti: Præter paucos aliquot, & hos quidem primos, vix ulli ejus ordinis Magistri suum fecerunt officium.* Albertus, Marchio Brandeburgensis, ordinis Magister, electus fuit anno salutis 1511. gravèque per biennium bellum gessit cum Poloniæ Rege Sigismundo, & anno salutis 1521. pactæ fuerunt in annos 4. induciæ. Interea subinde solicitat Cæsarem Albertus & ordines Imperii de auxiliis, & ad Comitia Norimbergæ ipse

venit, & ut Imperii Princeps locum suum habuit in consessu: Nam belli causa erat, quod in Poloni verba jurare nollet Cùm autem & Cæsar esset bello Gallico impeditus, & Turca in Vngariam impetum faceret, & seditione rusticorum distineretur Germania, sic, ut auxilium inde nullum expectari posset, & jam exirent Induciæ, pacem cum Polono facit eique fidem dat, ut præcipuo suo Magistratui, & Evangelii doctrinam suscipit, & mutato ordine Prussiam sibi vendicat, & qui fuit ante Magister jam de voluntate Regis Dux Prussiæ salutatur; *Sleid*.l.5.pag.60. 4. De Eremitis, sub invocatione S.Hieronymi Confessoris in Dalmatia a.Ch.1524. institutis, & postea an. Chr.1529. moderationem Ϛκληραγωγίας petentibus, legatur *Bzov*. an.Ch. 1529.S.61.

VIII. Restat *Ecclesia*, cujus anatomia gemina est, altera *Capitis*, *corporis* altera.

IX. *Capitis* (quo nomine, pro ætatis illius consuetudine & vitio, Pontificem Romanum intelligimus) morbi, toto adhuc decimo sexto seculo [a] varij observantur, hoc tamen discrimine, quòd, quò [b] posteriores & pertinaciores, eò etiam periculosiores censendi sint. Et quanquam de reformando aliquoties capite deliberatum fuerit, obtineri [c] tamen nihil potuit, Pontifi-

cis

cis tyrannide [d] ubique prævalente, & aula Pontificia facem ad [d] nequitiam & impietatem præferente.

[a] Quòd si enim ordine vitas Pontificum hujus seculi percurramus, ne ipsi certè Pontificii scriptores, tales nobis exhibent, quales Episcopos (non oecumenicos: ignorat enim hoc monstrum antiquitas Apostolica; sed τοπικὰς) ex Christi instituto esse deceret. In aliis mores, in aliis literas, in plerisque utrumque, in omnibus veram curam pastoralem meritò desideramus. *Alexander VI.* qui, per ministri incuriam epoto veneno, quod furtim jusserat dari Adriano Cardinali, suo familiari, cujus in hortis cœnabat, obiit 18. Augusti 1503. Venenum epotum Pontifici interitum attulisse, vix negare audet, ex constanti fama, *Bzovius*, a cit. S. 3. negat tamen; contra *Guiciardinum*, *Sanazarium*, *Iovinianum Pontanum*, & alios; errore pocillatoris id factum: Nempe, cùm Alexander, filio suo, Cæsari Borgiæ; qui per munificas Indulgentias pecuniam à patre corrasam, alea dilapidabat, *Germanorum peccata* esse dictitans; è cædibus & rapinis regnum pararet, ideoq; convivium splendidum instrueret, ut quosdam viros præcipuos invitatos venenato pulvisculo in vinum insperso tolleret, eorùmque exuviis filium ditaret; factum esse divinitus, ut ministro lagenas errore quodam commutante, Alexander & filius venenum haurirent: alii purum vinum. Verùm, non tanti sunt rationes *Bzovii*, ut *Guicciardini*, cæterorumque in hac causa ei ὁμοψήφων fidem su-

suspectam aut sublestam reddere posint. Præsertim, cùm constet, ipso teste *Bembo*, quo innocentiam Pontificis asserere conatur *Bzovius*, Alexandrum Iohannem Michaëlem, Civem Venetum, Cardinalem Romæ veneno necâsse, addita causa interficiendi, auro & argento, quod is habere existimabatur quarum omnino rerum inexplebilis Alexandri animum cupiditas ad omnem iniquitatem incendebat, ut filio pecuniam exercitibus alendis suppeditaret, quo is Italorum Principum regna occupare celerius posset, se jam sene. Vnde forte illud *Marianæ*, etsi nimis moderatum: *Multa de Alexandri vita, tum fama, quæ nulli parcit, tum de scripto prodita sunt, vero, ex invidia, haud facile dixerim: omnia conficta fuisse temerè, non arbitror.* Certè, qui optimum fuisse volunt Pontificem, qualis est *Hubertus Velleius*, append. ad *Guagin.* *prole tamen notandum* ingenuè fatentur. Aliter de eo *Onuph.* vide Sec. 15. pag. 702. Secutus est an. Ch. 153. Pius III. de quo *Onuph.* pag 390 *quòd 36. Cardinalium suffragiis, non sine Simoniæ labe Pontifex Romanus renunciatus sit.* Cui eodem anno succesit *Iulius II. Simoniacus*, *Bal.* Cent. 8. p. 642. perjurus, Sodomita, *Ib.* Cum Alexandro VI ante & post ejus Pontificatum simultates gravisimas exercuit, quamobrem toto tempore Pontificatus sui procul ab urbe vixit. *Onuph.* pag. 363. Marti, vel ipso

ipso *Vuicelio* teste, quàm Christo magis deditus. Bellator enim fuit profanus, Helvetiorumque opera turpiter abusus. *Gilbertus Ducherius* de illo:

In Gallum, ut fama est, bellum gesturus acerbum,
Armatam educit Julius urbe manum:
Accinctus gladio, claves in Tibridis amnem
Projicit & saevus, talia verba facit:
Quum Petri nihil efficiant ad praelia claves,
Auxilio Pauli forsitan ensis erit.

Idem profanae militiae specimen carmine tractant *Vlricus Huttenus*, *Philippus Melanchthon*, *Casparus Bruschius*; prosaicè *Bal. Arnaldus Ferronus Gallus*, Burdegalensis quondam Parlamenti Senator, *Hottom.* in Bruto ful. pag. 84. & plures alij. Babylonis nomen perditurum se, nummis docuit Ludovicus XI. cum bello hunc Pontificem tentaturus fuisset. Vide *Method. legendi Hist. Helvet.* pag. 491. *Imo, fuit hic Papa* (verba sunt *Hottomanni* pag. 83.) *ingenio tam truculento, atque ita diro, immani, turbulento, ut ne sui quidem latrocinij socils, Episcopis & Cardinalibus Romanis ferendus, Regibus vero & Principibus plane intolerandus videretur. Itaque summo omnium consensu Concilium in urbem Italiae, Pisas* (vide *Onuph.* pag. 370. *Thuan.*) l. 1. pag. 31.) *indictum fuit, ut communi consilio impendentibus*

bus ab ipso Ecclesiæ Christianæ malis obviam iretur. Quàm prudenter autem & legitimè, ac solenniter Concilium illud convocatum fuerit, patet ex Philippi Decij, Jurisconsulti, per ea tempora, celeberrimi, consilio CLI. quod Mediolani adversus illum Papam & scripsit, & edidit. Eum conventum furibundus Papa confestim bello & armis deturbavit. Quapropter Regis nostri auctoritate Mediolanum primùm, tum deinde Lugdum translatum est, ubi re cognita & deliberata Julius à suo Papatu suspensus fuit: hoc est, ad tempus, Papatus administratione circumscriptus. Quo nuntio Julius accepto, tanto dolore atque iracundia exarsit, ut non modò Gallis omnibus aqua & igne interdiceret, verùm etiam obvium quemque mactari, trucidaríque imperaret: præmiis etiam sicarios ac percussores invitaret. Quam ipsius insaniam ac potius rabiem acriter atque animosè persecutus est Guilelmus Budæus lib. de Asse D. his verbis: *Cleri Magister sanguinarius, effractis timoris divini repagulis, feras nationes* (Helvetios, dubio procul, intelligit, quos eruditi in Gallia hoc ferè nomine notabant: vide Method. legendi Hist. Helvet. pag. 605.) *in*

in Domini populum immittebat, & Gallorum partes, eorúmque fautores diris execrationibus devovens, scelere plus quàm Tragico totum penè orbem religione solutum in devotos concitabat. An ejus temporis in mentem non venit, cùm Divus Petrus Paulúsque, & eorum sequaces, Ecclesiæ Architecti, non armorum splendentium fiducia infecti ad prælia grassabantur, sed innocentia freti, cætera inermes, ad castra Christi tuenda, in tumultu flagrantissimæ charitatis Classico ciebantur? Nunc inania tantùm ipsi nomina, tanto intervallo, facti, etsi eorum demum Majestate apud populos sacro Sancti sacerdotum ordines primarij fastus suos obumbrant. O duram, portentosamq́; vacordiam sacrosanctæ potestatis! Quis enim unquam tantum animo concepit nefas, ut sacerdotum culmen, ut Clerici Magister, ut sacrorum summus opifex manus inauguratrices, ab altaris operata adhuc calentes in familiam Domini armare sustineret! ut animo plusquam gladiatorio grassaretur ad Christiani nominis culmen, nempe Regem Christianissimum mundo

do stupente, delendum, & nunc mysticum illum ensem cæsim punctimq; irato, ut credimus proposito vibraret, nunc à Marte sanguinariam frameam mutuaretur, & consternatos diris execrationibus, quæ fortasse in eum ipsæ verterunt; ad internecionem quoque conniteretur? En, quos pedes, quas manus lubens exosculere, unde vel os cruentum, atque pollutum referres! Miserum verò te tum; Juli; atque actum, qui usq; adeò iræ cæcæ indulgendum putâris; tute; ut transversus, væsana animi cæcitate raperere? & nec te, nec decorum, Majestatis beatissimæ præ odio respicere, sed Ordinem amplissimum, sed Senatum illum purpuratum, præcipua veneratione insignem, sed Libani gloriam tecum rapiens invitum bona ex parte, & mussitantem arcis Ecclesiæ ruina nos obruere, teq; adeò ipsum cuperes? orbem etiam penè totum immutares, fulminibus ciendis, intorquendisq; collabefactum, ut nos odio & invidia flagrantes, ignéque deinde ardentes torvis istis oculis inspiceres, nec jam recusares, quin in Regem nostrum flammantem voti compos insilires? Proh superi immor-

mortales. Tantumne de summo sanctuarij vertice licuit malæ suadæ noxæ, vel oestro vindictæ plus quàm Atrojæ percitum per fas agere; nefasque præcipitem? ut vel corpus animámque in busto inimicorum properaret ire perditum. Non fuit iræ efferatissimæ satis, retro nos in fulmine perterrefactos egisse; Italiæ perditè nobis adamatæ possessione cedentes cum fremitu gemitúque, nisi de aris insuper & focis dimicare, extremáque deinde exempla timere coëgisset. Cùm interim sub ipso lanista sanguinario (NB.) totus propemodum hic orbis nobiscum pariter digladiaretur animo infestissimo. Ubi nam igitur erat ille zelus Domini? quæ est ira justa læsæ aut imminutæ vindex divinæ Majestatis? Hoc enim demum signifero in aciem prodire sacris cohortibus fas est, si prodire fas est. Num tandem igitur ex illa arce charitatis aut fidei sacello auxilia promserat; & signa cruciata? Ecquid igitur eum pudebat servum servorum DEI se vocare (NB.) cum Franciam, Christianorum decus semper, & Pontificum ædem, religionísque asylum bustis ipse Gallicis insi-

gnire gestiret? Cùm sacerdos septuagenarius Christi, Pacis conditoris & parentis Legatus, Bellonæ sacris operaretur: cui cum generis humani luculento dispendio litare contendebat. Idque tum, cùm profanum vulgus ad delubra pacis & concordiæ miserabili specie supplicationes inibat. Enimverò visendum spectaculum, Patrem non modò Sanctissimum, sed etiam senio & canitie spectabilem, quasi ad tumultum Gallicum Bellonæ fama suos evocatos cientem: non trabea, non augustis insignibus venerandum, non Pontificiis gestaminibus sacrosanctum, sed paludamento & cultu barbarico conspicuum; sed furiali, ut ita dicam, confidentia succinctum; fulminibus illis brutis & inanibus lucidum, eminente in truci vultu cultúque spirituum atrocitate. Profectò nos vidimus in paucis annis multa, quæ prorsus majora fide posteris (NB) videbuntur. Hoc turbine, hac procella luxata Ecclesiasticæ auctoritatis ac disciplinæ compage: quonam modo fides recta, nisi clavis trabalibus & æternis fixa, sacrísque monimentis semel affirmata constabilitáque fuisset. &c.

Mo-

Monuerunt Iulium, fœdere sibi junctum, Helvetij, ut arma abjiceret, pacem cum Galliarum Rege coleret; sed quam Majores nostri gratiam inierint, diximus in *Meth. leg. Hist. Helv.* p. 491. Quàm Anglis hic Martis pullus, non placuerit, Coletus, concione ad Regem clarè satis edixit. Voluit, *ut Christum potiùs Principem agnoscerent, quàm vel Alexandros vel Julios:* Eras. in vita Col. Bal. Cent. pag. 643. Possem ex Helveticis annalibus prolixè monstrare, quàm profana Pontifici huic in sacris etiam receptis mens fuerit, & quàm seriò suo tantum commodo religionem metiri consueverit; sed ad compendium hanc Paparum προσωποληψίαν posituri, specimen Lectori exhibemus in Anal. P. 1. pag. 37. De *Leone X.* Iulij successore, vulgatum est illud, quòd Christiana ei religio, lusus, ipsum imò Evangelium Christi, fabula fuerit. Id quod constanter à multis authoribus traditur. Vide *Lubbertum Sibrandum*, de Papa Romano pag. 908. *Bal.* Cent. 8. pag. 636. Stattliche außführung/ꝛc. pag. 412. *Comp. Lat.* pag. 529. Dubij videantur, ob Religionis divortium, authores? Non negat *Venetus*, Editor Concil. Trident. pag. 4. *in Leone ad Pontificem omnibus numeris absolvendum, nihil desiderari potuisse; si vel mediocrem sacrorum, religionisque cognitionem, nec non ad pietatis studium majorem paulò propensionem, quorum utriusque ni-*

miam præ se ferebat incuriam, addidisset: Venundatione Indulgentiaria satis prodidit, quo animo sacra Christiana amplecteretur. Armis Gallos vexare, quàm periclitantem & gementem rem Christianam juvare maluit. Non satis ei erat, omnes admovisse machinas & arietes, ut Gallico fœderi Majores nostri renunciarent; excidere ei debuit Confessio, quæ sensu potius, quàm verborum numero ponderanda mihi videtur; *Mittamus* (scribit ad Helvetios) *vetera, quòd semper nobis & huic Sanctæ Sedi insidiosè nocere (Galliarum Reges) conati sunt.* Tabulas authenticas dedimus, *Meth.*leg.Hist.Helv.pag.497.& deinc. Vidit totum cieri orbem, insolito (cur enim non ita appellem?) Indulgentiarum turbine, nec tamen ad meliorem mentem,& dogmatum (literæ enim sub illo, literatissimo, & literatorum amante *Thuan.* l.3.pag. 142. satis floruerunt) emendationem adduci potuit. Fulmina in eos vibravit, qui hoc ei nomine litem movere voluerunt. De Adriano VI. Vltrajectino, *qui post multas disceptationes & controversias, die Jovis V. Id. Januar. 1528 fuit electus, Panvin.*pag.384 & quidem præter omnium expectationem, *Id.* p.386. bene quidem multi sperârunt; sed diu ei superesse non licuit. Verùm, sperârint plures de illo meliora, aliorum tamen exemplo discere potuissent, Pontifices, Papatus Candidatos, pollicitis esse divites, culmen illud consequutos, turpiter resilire. De ipso

hoc

hoc melioris notæ, Pontificiorum opinione, Papa, referunt, eum, cùm pestis in urbe grassaretur, Mago Demetrio Græco concessisse, ut Sylvestrem taurum Dii, Gentilium, ad placandum eorum iram, mactaret *Læt.* Compend. p. 529. ex *Iov.* Et certè, quæ ejus pro Reformatione cura fuerit, ex instructione ejus, Imperii ordinibus Norimbergæ congregatis oblata, patet. Agnoscit ulcera morum in Clero; sed Lutheri doctrinam damnat. Hi Ecclesiæ Romani Archi Mystæ fuerunt *primo* intervallo: *secundo*, an meliores expectes? Falleris. *Clemens VII.* an. Chr. 2523. electus, adeò fuit insolens, ut Carolus V. eum, à quo bello fuit lacessitus, non modo oppugnârit, sed & urbem a. Chr. 1527. expugnârit. Qua de re *Thuan.* l. 1. p. 63. *Bzov.* an. Ch. 1527. præsertim S. 12. 13. 14. & deinc. *Paral. Vrsp.* q. 466. &c. *Sleid.* l. 6. p. 66 *Erasm.* Epist. l. 22. Ep. 25. 26. Mirabile fuit, quod quoties oppugnationem iterarent, toties ceciderit nebula, prospectum Pontificiis adimens, ut nescirent qua maximè parte hostis irrueret. *Camer.* Histor. Rom. capt. Vrbs capta, inprimis per Hispanos direpta: ne sepulchris quidem Pontificum parsum: tot scommata in Pontificem jacta. Quidam Papali habitu cum meretrice equo insidens circumductus, aliquando benedixit, aliquando maledixit. In arcem tandem S. Angeli seu Molem Adrianam se recepit, pressus tamen & ad incitas redactus se dedidit. Redemtus tandem 40000 florenis restituitur. Tanta Pontificii nominis fuit reverentia! Ita quidem ex citatis, & aliis, authoribus compendiosè *Læt.* Comp. p. 530. *Bal.* Cent. 8. p. 961. Qui verò cladis hujus

αὐτόπτην desiderat, adeat *Adami Reisneri* Acta Fronspergica lib.6. quo toto Tragœdiam ita describit, ut nesciam an toto illo seculo quicquam acciderit, quod admirationem magis mereatur. Credere enim (quæ Hispani & Germani militis externa fidei professio maximam partem fuit) Romam esse sanctissimam Spiritus sancti sedem, Papam certissimum Christi Vicarium, & unicum Petri successorem, Cardinales, proceres & columnas, quibus Ecclesia innitatur, Monachos & Vestales consequendæ salutis pro aliis compendium, Templa, Altaria, &c. ipsius Dei & corporis Christi receptacula; & tamen omnia hæc ita violare, conspurcare, spoliare, ludere, subsannare, ut nihil unquam indignius vel à Iudæis vel Turcis in Christianorum sacra designatum sit; illi concilient, quorum interest. Nobis hic nec seritur, nec metitur Quæ *Bal.* l.c. ex comment. quodam sup. Artic. Mag Paris. de hoc Clemente refert; nothum fuisse, sacrilegum, stupratorem, homicidam, raptorem, lenonem, & omnium scelerum artificem; suo loco relinquo. *Pompejus certè Columna Cardinalis, Pontificem ambitus palàm accusabat, quasi viis parum licitis ad eum dignitatis gradum ascendisset, & familiam Columnensem hoc inprimis nomine magnificiebat, quòd fatali in illegitimos, & in eam sedem malis artibus intrusos Pontifices odio, tyrannidē eorum virtute sua compressissent.* *Hist.* Concil. Trid. p. 41.

Vno

Vno tantum adhuc, eóque domestico, probabimus exemplo, magnam hujus Clementis Pontificis fuisse in bene meritos perfidiam. Stipendia Majores nostri merebant sub aliquot Pontificibus. Vltima Tigurinorum & aliorum nonnullorum Confœderatorum expeditio, pro Pontifice feliciter facta, in ea incidit tempora, quo jam Tigurini multis Papisticis superstitionibus nuntium miserant. Suppetias tamen ferre ipsi Pontifici, quod fœderis eos ratio constringeret, adeò non renuerunt, ut Fœderis cæterorum sociorum invidiam subire, quàm perjurii sibi notam inurere maluerint. Rem obiter tetigimus in *Metho*. leg. Hist. Helvet. p. 616. Tigurini, domum reversi stipendia per Secretarium suum, *Ioachimum* vom Grüt/ (ipse hic scriba fuit, qui Zuinglio in Senatu litem sacramentariam movit, cujus occasione illi vexata, sed bonis authoribus trita, & ne ipsis quidem Orientalibus ignota loquendi formul, *albus an ater sit, nescio*, excidit: de Arabibus conf. *Lex. Gol.* p. 1235.) petunt. Pontifex, d. 26. Ian. 1526. scribit, Tigurinos, si imperata facerent, non solùm pecuniarum debitarum, sed etiam omnium beneficiorum in eos conferendorum, justissimam & honestissimam sibi daturos occasiones; secus (ut habent literæ 11. d. Decemb. 1525. scriptę) *negat se ullas, etiamsi maximè debitas, justè & piè persolvere posse*. Placuit nempe Pontifici Helvetiorum nostrorum jam magnam partem reformatorum; cùm de corio & cute illorum luderetur, opera, iis tamen stipendia debita solvere, tanquam

Hæreticis,non licuit.Lepidi homines! Masculè pii nostri Majores responderunt, & ne ulterius apologia illorum,quia non ita prolixa est,cum blattis rixetur, aut tineis, eam opportunè hic inserimus; Beatissime Pater, (*loquebantur ex usu seculi*) Princeps ac Domine, cum singulari desiderio pedes V. S.osculando,eidem S.V.debitam nostram, obedientiam voluntariam, & officium præstare paratissimi: Beatissime Pater, S.V,proximas literas,Romę XI.Decemb.die scriptas, nos 29.die ejusdem mensis,cum debita reverentia accepimus, easque cum literis Legati nostri & legimus & audivimus, in quibus statim ab initio gratiosam invenimus ac promtam voluntatem, quam S.V,erga nos & populum nostrum gerit. Et inprimis, qua S.V.erga nos agere benignè,& paterno animo parata est: Insuper & solvere eam pecuniæ summam, prout literæ nostræ proximæ sub sigillo nostro designatam continent, ex qua re magnam, atque id quidem propter nostros, cepimus voluptatem. Verùm, cùm interim S.V scribat & indicet, tanquam nos per nescio quos hæreticos & impios homines, unum aut multos seducti,& à fidelibus summi Dei, ab Ecclesia Catholica (quæ errare non possit) & à sede Apostolica simus abalienati, & quatenus ad veram fidem Patrum nostrorum, in qua simus & nati & educati, quaque sit aditus ad vitam æternam,non revertamur,& à novis erroribus discedamus,nescire,nec posse S.V.cum Deo, & bona conscientia, jure divino aut humano,dictam solutionem exhibere, quemadmodum hæc omnia multo plu-

pluribus verbis sunt comprehensa. *Beatissime Pater, imputatio hac perversæ fidei inprimis nobis molesta & gravis est, & magno dolore nos afficit. Concionatores enim nostri nihil nos docent, neque aliud nos quippiam recipimus, nisi qua ratione per veram divinam Scripturam, Veteris & N. Testamenti ad fidem, & veram spem veri æternique Dei perduci queamus. Longissimè verò absit à nobis, à verè Christiana fide vel tantillum abscedere, cùm omnis nostra spes, omne solatium & fides, in verum sit & æternum Deum; & in Filium ejus unicum Jesum Christum, Dominum nostrum, qui conceptus è Spiritu Sancto, natus est in hunc mundum ex purissima Virgine Maria, quiq; solus per suam passionem & mortem nos & omnes, qui ipsum Filium Dei viventis esse confitentur, à peccatis liberavit, &, ut filij summi Patris essemus, impetravit. Nec discessimus usque huc ab ullo duodecim articulorum fidei Christianæ. Credimus, quòd Ecclesia Catholica, quæ fundamentum habet ex vera V. & N. T. Scriptura, errare non possit. Credimus quoque, quòd cum agamus, quæ*

Deus & Filius ejus unigenitus Jesus Christus praecepit & docuit, non erremus. Credimus denique etiam quicquid in verè divinis literis utriusq; Testamenti fundamentum & firmitatem non habet, nec Deus jussit; non fecerimus, quòd propterea tanquam desertores Christianae fidei accusari aut possimus aut debeamus. Quamobrem, Beatissime Pater, petimus, ut S V. semper quae meliora sunt de nobis & nostris recipere velit: Nec dictam pecuniam, *quae non ex veteri aut obscuro debetur debito, sed à nostris justè & fortiter, ingenti cum dolore & sudore promerita est, ob praenominatas causas, velit denegare.* Quādoquidem V.S. & omnes, qui adhuc superstites sunt, noverunt optimè, quàm nos sedi Apostolicae non ita multis antè annis, secundum tenorem foederis nostri excitati, quicquid ex obligatione debebamus, praestiterimus, animas, corpora, vitam, honorem, & quicquid nostrum erat exponentes. Novit hoc Venerabilis D. Ennius, Episcopus Verulanus, tum temporis apud nos degens, V. S. promissionem nobis factam. Quocirca bona spe tenemur, S.V. pro bona ipsius voluntate ac benignitate nulla de causa, praefixam pecuniae summam, nobis denegaturam esse, sed per Legatum nostrum illico ad nos transmissuram. Quandoquidem nos à Christo, praeceptis ejus, ac fide, quantum per gratiam ejus li-

licuit, nunquam defecimus Constituimus quoque, V.S. & sedi Apostolicæ deinceps nihilominus exhibere fideli animo, quicquid debemus, ut decet obedientes & pios: *Apud nos enim Est, est: & Non, non: Si cui quid promittimus, omnino esse volumus, id quod Christi fidelibus ante omnia congruit, tum erga Christianos, tum Turcas, sine excusatione.* Cæterùm, quòd, ut S.V. nobis publicis scriptis petentibus, promittit, se daturum virum pium, & divinarum literarum doctum, Gebennam aut Losannam, utrum locum nos deligamus, & quemcunque diem, percepimus ingenti cum gaudio: quamvis hac tempestate, qua omnes ferè nationes tam sunt tumultuosæ, insidiarumque refertæ, haud quaquam fieri possit, ut nos aut Concionatores nostri in remotiores illas urbes, hac præsertim in causa, exeamus. Verùm, hujus rei causam, Scriba & Legatus noster V S. abundè satis indicare poterit. Persuademus itaque nobis, quod S.V. non amplius aliquid à nobis requirat, quàm quòd Sedes Apostolica olim se facturam exhibebat; nempe, *quòd vellet doctum aliquem virum huc, in Civitatem nostram emittere, qui cum Doctoribus nostris ex fundamento de omnibus rebus, de quibus erroris arguimur, & divinas literas V. & N. Test. exquirat. Quòd si V.S. placuerit plures mittere, nobis nunquã displicebit.* Tue-

Tuebimur eos, & securos reddemus ab omnibus periculis, & quicquid reverentiæ, benevolentiæ & officii poterimus, lubentes exhibebimus. Noverunt (hanc & securitatem & commoditatem urbis, solius tum penè in Helvetia reformatę, paulò fusius commendatam, Lector æqui bonique consulat; Extorsit eam Pontifex Romanus subinde tergiversando, & Legatos petitos denegando, metu & prætextu periculi: Wir Eydgnossen: ita Papa ad Legatum Tigurinum *Ioachimum* vom Grütt; habind seltzame leuth/ vnd wolte einer gleich diß/ jener das suchen/ rc. quę verba ad Magistratum nostrum scripsit) Reverendi Legati, qui prius aliquando apud nos versati sunt, quòd civitas nostra ad hoc consilium, locum præstare queat aptissimum omnium, qui in terris nostris existunt, maximè quantum ad commeatum attinet, & securitatem. Nos ipsos namque, & eos, qui nostræ fidei commendantur (Deo gratia) ab insidiis & omni violentia facile tueri possumus. *Cùm igitur tot annis quondam, & in tam varijs negotijs nostra Civitas Sedi Apostolicæ semper placuerit, apta & bona fuerit, nec non eidem fideliter & justè servierit, utilitatem ejus ubique promoverit, suspicione profectò carere non posset, si hoc tempore V.S. eam formidare velit, præsertim si nos circa fidem tam perniciosè erraremus.* Decet namq; S.V. inprimis ut Patrem,

vitia

vitia & morbos inquirere in his locis, & eradicare, ubi errata sunt. Medicina enim non juvat nisi adhibeatur loco ubi dolor est. Neque dubium sit V.S. si ex Concionatoribus nostris quisquam in errore deprehensus fuerit, ne se ad recantationem promtum præstiterit, quin hunc non minus debita pœna afficere destinaverimus, quàm si in ullo alio foret loco. Accedit, quòd Scriba noster nobis denuntiavit, se prorsus unum (*Zuinglium intellexit, ut ex ejus literis, Romà ad Ampliß. nostrum Magistratum, scriptis patet*) ex Concionatoribus nostris compellaturum super doctrina Sacramenti corporis & sanguinis Christi: Quocirca facile S. V. intelligere potest, quàm nobis minimè conveniat, duos nostræ urbis cives alio dimittere, atque id jure civitatis. Quapropter iterum erit commodissimum, ut V.S. doctum illum virum, quisquis sit, cum dicta Scriba nostro, huc in nostram civitatem transmittat; sic enim alter alteri facilius erit auxilio, & negotium suum proclivius in lucem depromet, eritque labor unus, ubi si aliter fieret, binis opus fuerit. Datum Tiguri d. 10. Ianuarii 1526. *Burgimagister, Senatus, Populusq; urbis Tigurinæ Helvetiorum.* Latum hic excurrendi, & Epistolæ hujus sensum accuratius eruendi campum haberemus; sed calamum refrænat calentem brevitatis & ὁμοιογνωσίας studium. Id verò Helveticarum Historiarum indagatori invidendum non est, *omnino non vetus aut obscurum fuisse debitum*, quod Majores nostri à Pontifice poposcerunt. Quàm enim præclarè paucis annis antè de illo fuerint meriti, dubitare nos minimè sinit luculentum illud

Gori

Gori Gberij de milite illorum tum modò dimisso, testimonium. Ita illud ex autographo habet: *Magnif. & Potent. Dominis, Burgi Magistro & Senatoribus Thuricensibus, tanquam Patribus honorandis. Cùm Georgius Bergher, & cæteri Duces, quos in auxilium Rom. Ecclesiæ, & ad tuendam illius dignitatem transmisistis, strenuam ac fidelem operam in omnibus, quæ agenda erant, præstiterint, & antiquam Gentis vestræ præstantiam his temporibus non minùs quàm olim florere in vobis probaverint, dici non potest, quantas D.V gratias habeat sancta sedes Apostolica, & quanta hunc exercitum cum suis Ducibus commendatione dignum censeat, sive quòd in expeditione magnitudine animi & fortitudine claruerunt, sive quod in stativis continentiæ frugalitatisque solitæ fuerunt, ita ut quantum formidinis ac terroris pugnando faciebant inimicis, tantum admirationis ac benevolentiæ prolata illa disciplina amicorum mentibus insererent, ut nec sufficienter laudari pro meritis valeant, nec satis digna huic virtuti præmia inveniant.* Ego certè, qui in præsens huic civitati pro sancta Sede Apostolica præsideo, testis eorum probitatis, & quia cum bona licentia à no-

à nobis recesserunt, mearum putavi partium, honesta illos commendatione prosequi; & quam D.V. gloriam pepererint; si non ad plenum ostenderem, propter verborum inopinam, saltem, ut potui, fideliter significarem. *Itaque digni sunt, qui à vobis cum plausu & lætitia excipiantur, sintq́ omnibus chari & honorabiles, qui foris clari atque insignes extiterunt: neque verò alios decebat ad Christi Ecclesiam protegendam accedere, quàm illos, qui Christianam doctrinam amplectentes, fortitudine justitiam conjunxerunt. Beatos certè vos, qui in his populis principatum tenetis, nec mirum, si vestrum decus longè latéque prædicetur. Pergite, obsecro, Potentissimi Patres, & postquam vos Dominus Christus vicarij sui defensores elegit, non pigeat curarum & laborum, quos pro rerum & temporum occasione sustinetis.* Placeat etiam D.V. hos duces non incusare, sed excusatos habere, si tardius fortasse, quàm vestra voluntas fuisset, appulerint: hoc fecit repentina summi Pontificis (*Leonis X.*) mors, & magna, quam de amicorum vestrorum benignitate habemus, fiducia, omnes, qui Rom. Ecclesiæ res tractamus: Nam freti vestra in illa devotione atque affectu, non sumus veriti illorum adventum tantisper differre, ne aliquis casus si ce-

si celerius recessissent præteritos labores irritos faceret: Si in hac re ullum peccatum est, nobis imputate, tametsi speramus, vos pro singulari vestra humanitate potius gratum habituros, si beneficia vestra *tot militum vestrorum sudoribus impensa*, parva mora conservanda putavimus, nec alia occurrunt, nisi ut me D.V. iterum atque iterum commendatum ac charum reddam, &c. *Placentiæ* d.18 Decemb. 1521. *Obediens filius, Gorius Gherius Episc. Fanen. Placent.* Hæc opera fuit, pro qua toties deinceps, sed frustra nostri stipendium solicitabant. Nempe, novo exemplo ipse Pontifex probare voluit, Hæreticis non esse habendam fidem. Quamquam non multò majorem gratiam rependerit iis, quibus sacrorum ille mutationem exprobrare non potuit. Extat Epistola Caroli V. ad Clementem, ubi inter alia, multa sua in ipsum merita recenset, & in permultis rerum suarum occasionibus malè relatam ab eo gratiam: Hist. *concil.* Trid. pag.42. Obijsse quidam referunt, ipso *Ioh. Baptista Folengio*, Monacho, teste, phtiriasi, morbo, ut ajt idem in Psal. 105. turpissimo & infami. Nec melior fuit *Paulus* III. (de cujus prodigiosa libidine, & scelerata vita consulatur *Bal.* in Cent. p. 653.) alter Nero, Pater impurissimus, sororis ac filiæ contaminator, matris interemtor. P. Aloysio filio suo notho Parmam & Placentiam dedit, sed ob tyrannidem & scelera conjuratione amisit, nec eam evitavit, etsi & Pater submoneret, Dæmon verò evocatus ex antica nummi parte conjuratores, sed valde obscurè, ut solet, ei indicasset; ipse Pater inobedientia octa-

vii

vii nepotis perculsus in morbum incidit, quo & expiravit, sæpius moriturus exclamans: Felix fuissem, si nunquam genuissem. Hanc ei vocem non gratis excidisse, palàm facit *Sleid.* l. Comment. 21. p. 275. quod, ne religionis odio, pro more, tribui possit (pleraq; enim ex libro, sub Ochini nomine contra Pontificem scripto, quamvis ab aliis crederetur compositus, depromsit) *Thuani* calculo haud obscurè confirmari poterit. *Hic enim Pontifex* (scribit *Thuan.* l. 1. p. 41.) *sobrietate, vultus gravitate, doctrina, ac postremo corpusculi adfectata imbecillitate profundam ambitionem diu celaverat; quam mox, adepta dignitate* (a. C. 1533. III. Eid. Novemb.) *manifestã omnibus fecit. Moriens verò* (lib. 6. p. 277.) *suorum ingratitudinem sæpius incusavit, se felicem dictitans, si nunquam genuisset, ac subinde illud ex Psalmo 18. quod in III. nocturno decantari solet, ingeminans:* Si mei non fuissent dominati, nunc immaculatus essem, & emundarer à delicto maximo: *Vir prudentiæ summæ ac moderationis, ad hæc raræ, ut erant illa tempora, in quæ juventus illius incidit, eruditionis, sed qui plus justo privatis charitatibus indulgens, existimationis suæ ac Reipublicæ Christianæ periculum*

Nn

parvi fecerit, dum suorum ambitioni ac libidini satisfaceret: Pridie quam obijt, vectigalia, quæ Salinis & alijs rebus non sine populi gemitu imposuerat, abolevit, tardiore beneficio, quàm ut ex eo gratiam sperare potuerit. Mortuo plurima, etiam editis libris, & per Italiam sparsis vitia criminosè data; inter alia, quòd bona pauperum dilapidâsset, in nepotes & sororum filios omnem Ecclesiæ substantiam absumsisset, Mutinam & Regium Lepidi, quæ ad Imperium pertinent, Ferrariensium Duci vendidisset, Parmam & Placentiam, quas Ecclesia minimè quæsisset, alienâsset; Ascanium Columnam, & Baleonos injustè profligâsset; calumniosè Cæsarem & Galliæ Regem incusâsset, quod hic cum Protestantibus, ille cum Anglo amicitiam coluisset, cùm ipse cum Turco, Alexandri VI. exemplo occultum commercium habuisset, quòd denique in consiliis capiendis ac cæteris rebus suis semper Astrologos, atque adeò Lucam Gauricum, quem & mensa adhibebat, consuluisset. Exprobrata & Patri filij flagitia & obscœnitates, quas vivus dissimulaverat, & de quibus cùm nonnunquam

quam audiret, hoc solùm consuesset dicere, filium non commonstrante parente hæc didicisse, quæ, sive vera, sive propter odium à plerisque credita, magnum mortuo ac familiæ dedecus in Italia, longè verò maximam sedi Romanæ apud Germanos & Anglos ad offensionem proniores, infamiam peperere. Pergimus ad *Iulium III.* qui a. Ch. 1550. 8. Calend. Mart. præter omnium expectationem; *Thuan.* l. 6. pag. 281. post diuturnam Patrum in conclavi disceptationem *Onuph.* pag. 456. *Sleid.* l. 21. pag. 276. Pontifex renuntiatur. *Soluti* (verba sunt *Thuani* l. c.) *ad omnem licentiam animi homo, statim, adepta dignitate, qualis esset, omnibus manifestum fecit: Nam cùm antiquæ consuetudinis sit, ut novus Pontifex galerum, cui velit, suum largiatur, eum juveni cuidam, cui Innocentio nomen, quique, quòd in familia Simiæ curam gereret, Simiæ etiam, post adeptam dignitatem, nomen retinuit, cognomine etiam suo atque insignibus attributis, donavit. Quærentibus verò Cardinalibus, quod indignum hominem ad tantum fastigium evexisset, non inurbanè respondit. Et vos quid tandem in me meritorum comperistis, quem Christianæ Rei-*

publicæ Principem constitueretis? Confer. *Comp.Læti*,pag.530. Sleid.l.c. Pantal.*Verger*.& ex ijs *Bal* p.681. *Sleidanus*, *Romæ famam fuisse*,scribit, *& libellis quoq; perscriptum,à Jove Ganymedem foveri,licet deformem: Sed nec ipse Pontifex hoc ad reliquos Cardinales dissimulare,& per jocum fertur aliquando commemorare,quàm sit lascivus.* Annis in Pontificatu actis 5.intemperantia magis vitæ quàm senio extinctus, successorem habuit *Marcellum*, qui unus ferè aliquo conscientiæ sensu tactus,specimina mentis melioris ediderat, *& sub quo certa spes emendandæ Ecclesiæ affulserat, nisi ipsum, quod multò ante non dissimulaverat, se vereri Pontificij fastigij altitudo, quæ plerosque alios mersit, fortè fuisset depravatura. In memoriam revocatis Hadriani IV. verbis,quibus miseram Pontificum Romanorum conditionem deplorabat, percussa manu mensa, ingenuè fatebatur, non videre se, quomodo qui fastigium hoc altissimum tenerent, saluti suæ consulere possent.* *Thuan.* l.5.pag.701. *Guicciard.*Com.l.3. *Tanta hominis fuit probitas* (verba sunt *Onuph*.pag.423.) *ut nunquam veritus sit,cùm consilij gratia accerseretur, à Paulo,ei liberè dicere, quæ ipse sen-*

sentiebat, etsi menti Pontificis contraria esse cognovisset. Peccatis nostris exigentibus (ridiculam planè causam subitæ mortis, quod nomen non mutâsset, sed Pontifex etiam Marcellus appellari voluerit, nonnulli affingebant; *Læt.* Comp. pag. 531.) Marcellus II. dum Ecclesiam DEI reformare studet, tanquam flos matutinus cecidit Pontificatus die 22, magno sui apud omnes bonos relicto desiderio. *Onuph.* pag. 426. Huic commodè tribui posse scribit idem, illud Vergilii: *Ostendent terris hunc tantùm fata, neque ultra esse sinent*; non sine suspicione veneni sublatus, quòd nimium rectus quibusdam futurus videretur, ut loquitur *Geneb.* lib. 4. an. Ch. 1555. Et tamen hic quoque Astrologiam judiciariam tanti fecit, ut cùm ex stellarum conjunctione summa ei prædicta fuisset in Ecclesia dignitas, ad nuptias à matre blandè invitatus, pertinaciter renuerit, nolle se clariorem longè fortunam, quam sibi astra soluto ac cælibi portenderent, matrimonij vinculis commutare. *Ibu* l. cit. Excepit *Marcellum II. Paulus IV.* patria Neapolitanus, Iohannes Petrus Caraffa dictus, qui privatus & Theatinorum ordini initium fecit, & emendationis Ecclesiasticæ magnus fuit simulator. Ad Paulum III. de emendanda Ecclesia libellum ipse dedit, tametsi nulla ex parte prorsus illam emendaverit; *Bal.* Cent. 8. p. 684. In quo qui legit (refert idem verbis Vergerii) omnia ferè illum capita confirmâsse cognoscet, quæ soliti sumus in Papistis reprehendere: Nempe, Ecclesiam apud eos ita collapsam esse, ut jam non Christi sed Diaboli Ecclesia sit. Pa-

pas enim, dicit, ad sua desideria coacervare sibi Magistros auribus prurientes. Per Cardinales & Episcopos nomẽ Christi blasphemari, clavium potestate emungi pecunias, improbos ordinari, Simoniacas nundinationes exerceri, ambitione & avaritia æstuare Prælatos, in Monasterijs horrida fieri flagitia, Romam repleri impudicissimis scortis, &c. Obtento Papatu superbè se gessit. Philippo Hispano titulum regni Neapolitani conferre noluit, pressus ab eo opera Albani, Regem Galliæ hostem ei reddidit, misso Legato Cardinali Caraffa, summo religionis derisore. Nam cùm plebs, ad ingressum ejus Luteriam, procumberet, benedictionem implorans, ipse ut erat securo de numine animo, loco benedictionis tacitè submurmurabat: Quandoquidem populus ille vult decipi, decipiatur: Ne hic quidem, de quo tamen tam præclara spes concepta fuit promovendæ Reformationis, vel suo exemplo probare potuit, Pontificium solium moderatos ferre insessores. *Rogatus statim* (verba sunt *Thuani* l. 15. pag. 708.) *post adeptam dignitatem, qua nam ratione & ipse, & Johannis Alphonsi, fratris filij victuri essent? Magnificè, inquit, & ut summum Principem decet: Itaque magna & sumtuosa admodum pompa coronam à Joh. Bellajo, Episcopo Ostiensi sumsit, & ita severitas illa, ex qua emendationem ex Ecclesiastica disciplina quidam sperabant, ut plerique verebantur, citò in super-*

superbiam vertit. Pontifex hic, ut & antecessores ejus duo, Iulius III. & Marcellus II. per adorationis modum Pontifices sunt electi, qua de re Geneb. p. 753. ita loquitur: *Non ex scrutinio, id est, codicillis solis, vel ex codicillis & accessu electus est Pontifex, sed eo creandi modo, qui per adorationem dicitur. Hoc autem est, cum duæ partes Cardinalium, non expectato, ut vocant scrutinio, sed vocetenus, omniũ consensu & voluntate quempiam, in Rom. Pontificem salutant ac venerantur. Qua ratione etiam Julius III. & Paulus IV. renunciati sunt.* Onuph. *Modus ex scrutinio est duplex, unus ex codicillis sive tabellis solis. Alter è codicillis & accessu, quando ad complendum codicillorum duplum numerum vocum accessio totam electionem perficit.* Idem. *Cæterùm, sæpe variatus est mos eligendi Romani Pontificis. Primum D. Petrus successores designavit Linum, Cletum, & Clementem. Anacletus & cæteri usque ad secundum schisma inter Damasum & Ursicinum, cleri & populi suffragiis creati sunt, & ab Episcopis, si qui fortè præsentes essent, ut ex Cypriani Epist. 52. colligere est. Tum au-*

autem in electione Damasi interponi cæpit Imperatorum authoritas. Et primum quidem in schismate duntaxat, ad sedandos tumultus, uti à Valentiniano res composita est inter Damasum & Ursicinum: ab Honorio inter Bonifacium & Eulalium: à Theodorico Rege inter Symmachum & Laurentium. Deinde etiam extra Schisma, ne fortè tumultus contingeret. Imò eo res paulatim decidit, (ut tyranni; sic suo modo & more Genebrardus κυϱιότητα ἀθετεῖ; *solent suam exaggerare licentiam) ut sine illorum assensu, consecrationem non auderent suscipere. Duravit hic mos ad Imperatorem Constantinum III. qui sanctitate Benedicti permotus, liberam potestatem soli Clero, populóque Romano eligendi & designandi Pontifices reddidit. Postea Adrianus Papa, convocata ad hoc Synodo Lateranensi Episcoporũ 153. (quod antea nulli Imperatorum concessum fuit) etiam eligendi Pontificis jus (ob pulsos Italia Longobardos) Carolo Magno concessit; sed illi juri paulò pòst filius ejus renuntiavit.* G Dist. C. Ludovicus, *ut iniquo: unde nec nisi ad tempus concessum fuerat. Sic libe-*

bera denuo fuit Romanis electio & consecratio Papæ per multum temporis, usque ad Leonem 8. qui cùm ab Ottone primo Germ. vi & armis in Sede Apostolica collocatus esset, denuò à Clero & Plebe ad Imperatorem jus omne eligendi transtulit. Quo abusi sunt Ottonis Successores ad Henricum usque IV. donec ad Ecclesiam iterum revocaretur à Gregorio VII. etiam paulò ante ejus Pontificatum, qui tum Hildebrandus dicebatur, vir à Deo datus, ad sedem Apostolicam tyrannide Imperatorum Germanicorum liberandam, occasione Schismatis inter Benedictum, Sylvestrũ & Johannem sub Henrico Imperatore III. Nam Stephanus IX. Nicolaus II. Alexander II. sine assensu Imperatoris creati sunt. Quod cùm iterum surreptitiè impetrâsset à Paschali II. Henricus V. per ipsum Paschalem denuo revocatum est in Synodo Lateranensi. Ita postremo ad solos Cardinales jus pervenit Nicolai II. decreto, nisi quod aliquoties postea intercesserunt Cleri Populique Romani suffragia, donec constitutiones de electione in Conclavi celebranda editæ sunt in Concilio Lugdunensi à

Gregorio X. Hæc ferè ex Pamelio in Epistolam Cypr. 52. Verba Gnathonis Pontificii non usque adeò multa, erroribus certè scatent non paucis, quos emuscare jam instituti nostri non est. Illud notâsse sufficiat, nec ultimum Nicolai decretum de electione Pontificis in Conclavi, ita felix fuisse, quin *fraudes, captationes abusus, unde non leve in Ecclesia scandalum, irrepserint*; nec ipsam per adorationem rarissime, licet, & ex moræ ferè tœdio, factam electionem, eo se successu commendâsse, quem ἀναμφιλέκτως in eo expectares, qui singulari & divino plane Numine ad Ecclesiæ universalis gubernacula collocatum se jactat. Illud nec *Thuanus* dissimulavit lib.51.p.1915.ubi scribit: Comitia electioni Pontificum destinata *lenta ac turbulenta esse, magnisque animorum ac partium certaminibus peragi solere*; nec etiam *Gregorius XVI.* qui nostra memoria, an.Chr. 1621. nova lege tot artibus & dolis paulatim in Conclavia Cardinalium introductis, obicem positurus, id tentare se, in limine ferè præfatur, *quod multorum hactenus votis & suspirijs desideratum fuerit. Non negare se, diversa extare decreta Pontificum, ut & Sanctorum Patrum, quibus salutares leges contineantur, ut electio illa fiat non prædominantibus affectibus, aut humana sapientia, quæ mera sit*

sit stultitia adversus Deum; sed ut tota res directioni & gubernaculo Sancti Spiritus permittatur; attamen quia dies diei eructet verbum, & nox nocti indicet scientiam, ipsa experientia magistra didicisse, nullo non tempore salutaribus remediis locum esse. Decretum Gregorianum extat in *Archont.Cosm.p.51. De terris ac Dominijs Pontificis Romani.* *Hujus* verô luculentum nimis & pené infandum exemplum suppeditat ipse ille, cujus *Genebrardus per adorationem* in Pontificatum designati meminit, Iulius III. de quo quidem ex *Thuano* abundè fuisset cognovisse; hominem fuisse libidine infamem, & tota vita dissolutum: interim tamen quia in celeberrimi viri, *Thomæ Lüberi*, (qui *Erastus* postea voce Græca appellari amavit) Thermopolitani Helvetij, quasdam incidi Epistolas, quas eo ipso tempore, quo Iulius Pontifex fuit creatus, ex Italia οἰκείᾳ χειρὶ scripsit, ea quæ commune ferè Italorum judicium de Pontifice illo continent, ex illis excerpam. *Hic* (verba sunt *Erasti*, ad Pellicanum) *qui jam in summum Pontificem electus est, erat Bononiæ Legatus (ita enim vocant præsidem civitatis) atque Concilij, vir pauperum amans, pacis studiosus: cæterùm varius, præceps, iracundus, simulator & dissimulator egregius, valde morosus, &*

hujus

hujus ingenij, ut quicquid irato videtur; id fieri sine consultatione velit, cujus rei, ut est necesse, eum non raro pœnituit. Habet puerum quendam, nigram, turpem, arrogantissimam bestiam, ineptam, ignorantem, & planè inertem, nisi quòd nonnihil eorum, quæ scurræ, dicteriorum in ore habet. In summa, corpore & animo monstrum. Quis, unde, aut cujus ille puer sit, tam sunt variæ hominum sententiæ & opiniones, ut nemo exploratum habere videatur. Animadverti ego quosdam, qui filium arbitrabantur; &, qui filium negabant, ingeniosè aliorum dicta refutare, atque in plateis repertum eduxisse è parvulo, propter simiam, cum qua, præter illum nemo hominum ludere auderet. Ea re Cardinalem (aut Episcopum tum) ita delectatum, ut pro suo habuerit. Hunc puerum, miser, ita amat perditè, ita deperit (dicitur autem alios omnes vincere ἐν τῇ παιδεραστίᾳ) ut nihil possit dici vehementius. Dum Romæ post electionem commoraretur (manserat autem Innocentius, id ei nomen, Bononiæ) dicitur nunquam lætus fuisse, nisi dum aliquid de Innocen-

cen-

centio intelligeret. Et audivi ego à gravibus viris, inter tam multos Bononienses, qui Romam sint profecti, neminem esse repertum, quem sciret cum Innocentio, aut suspicaretur fuisse, qui non interrogatus ab eo esset, quid, & quomodo Innocentius ageret. Post aliquot menses propius Romam accedere jussit, ut ad eum deambulatum aliquando Roma exire posset. Non enim potuit adduci, ut pateretur eum ingredi Romam, nisi galero rubeo esset ornatum turpe caput. Ab hac re plurimi Cardinales videbantur abhorrere miniméque passuri, ut in Cardinalium numerum cooptaretur, quem ne hominem quidem esse cognovissent. Accersivit igitur noctu aliquando in urbem clam, atque ita in fenestris expectabat, ut ij solent, quibus amica, qua nihil habent in vita charius, pollicita est noctem. Dicitur dixisse, se lætari, quòd in amplissimam illam potestatem esset collocatus non tam sua causa, quàm quòd posset bene de Innocentio mereri. Et tandem factus Cardinalis dixit, se pro beneficio magis Cardinalibus obstrictum esse, quàm quòd se Pontificem esse voluerint. Præterea, ut

qui

qui aliquid à se velint, id per Innocentium esse impetrandum. Quamobrem Legati Civitatum, Principum & Regum ad puerum concurrunt, illi sua negotia exponunt, ut is de rebus suis gravissimis etiam ad Papam referat. Adde, quòd jam Romæ in ore omnium est: Si Cardinalis Montis (i.e puer ille) eat animi causa vel ad Belveder (est locus eo nomine amœnus, & significat hoc nomen pulchrum aspectum) Papam se sequi, non eum Papam. Habet redditus amplissimos. Et aliâ Epistolâ: *Julius III. Pontifex & Crescentius fere omnes meretrices communes habuerunt, propriisq́ue sumtibus neuter, sed communibus aluerunt, atque ut breviter dicam, omnium scelerum socii extiterunt. Susceperunt ex quadam muliere, honesti viri Viterbiensis filiam, quam, quod neuter suam esse dicere credereque posset, ut matrem, ita filiam quoque communibus sumtibus educandam tradiderunt, nuptuiq́ue dederunt Nobilissimo hujus urbis adolescenti, & inter Principes hujus urbis, qui sunt 40. constitutum voluerunt. Cùm igitur in electione Pontificis egregiam operam dedisset*

set Julio, manibus pedibúsque summa ope contendisset, ut in Pontificem crearetur, & res eum exitum habuisset, quem ille sperabat & optabat, Julius, ut ingrati scilicet hominis crimen effugeret, tot tantísque rebus eum ornavit, & auxit. Mores pares utrisq; natura eadem; uterque ex paupere factus dives contra omnium hominum expectationem, uterque dura cervicis, uterque Religionis ignorantissimus. Quæ quidem de Julio III. fama tantò majorem fidem meretur, quantò plura profanæ ubique mentis de eo extant indicia. Vel unum *Ioh. Casæ* sub hoc Pontifice extrusum prodigiosum ἐγκώμιον, quo carmine rem nefandam probâsse dicebatur vide *Thuā.* l. 16. p. 741. (imò *de facto probâsse*, spurcissimus ejus de παιδεραστίᾳ liber, qui etiamnum extat, testis est) satis probat, magnam scelerum impunitatem sub illo fuisse grassatam, nec quicquam vulgi famæ sparsum esse, quod tanquam ἀδέσποτον, ἢ ἀκέφαλον rejici posset. Et tamen, si Diis placet, hic rarò observato exemplo *per adorationem* Pontifex est electus! Sed è diverticulo in viam. Romæ Paulus moriturus Cardinalibus Inquisitionem, ut sanctissimum officium commendavit, ob quam tamen adeò erat invisus, ut, cùm animam ageret, incensus sit carcer novus Inquisitionis à furente plebe: Ne verò Cœnobium Dominicanorum Inquisitorum incenderent, vix

cohi-

cohibita: Certè nihilominus impetus in Capitolium factus, statuæ marmoreæ Pontificis, caput ac dextra manus amputata, quæ per urbis vias toto triduo summo ludibrio volutata, in Tiberim tandem præcipitata. Caraffarum insignia omnia uno die sublata: Cadaver ejusdem Papæ vix tenui pompa sepeliri seditiosi permisere, ut prolixè omnia enarrantur à *Thuan.* l.23. a.Ch 1559.p.1053. De successore *Pio IV.* Mediolanensi satis est dixisse, eum nō modò illis Episcopis & Præsulibus Concilii Tridentini regimē comisisse, qui à *Guidone Fabro*, Caroli IX. Legato de emendandis Cleri moribus moniti, *risu omnia exceperunt, addito à quodam scommate: Gallus cantat; sed & Patribus redeuntibus in consistorio summas egisse gratias, quòd in Ecclesiastica emendatione tantam Pontificiæ authoritatis rationem habuissent, tantáque moderatione essent usi, ut si se suósque reformare voluisset, longè severior in se futurus fuerit.* *Læt.* ex Thüan. p.586. *Quamdiu privatus* (idem scribit *Thuan.* lib.36.p.415.) *vel sub Pontificibus in prioribus Magistratibus vixit, egregius fama vitáque habitus est: mox creatus Pontifex, Magistratu mores prodente, mutavit, & in Concilij quidem celebratione qualem se præbuerit, supra demonstravimus. Eo absoluto cùm*

cùm omni metu ac solicitudine solutus ingenio suo liberè utens, in multa, quæ non ita ab omnibus probabantur, prorupit, palàm iracundus, occultè invidus, ad audiendum impatiens ac difficilis, in responsis acerbus, dominandi cupidus, vafer, & summus dissimulandi artifex, cùm tamen simplex & hebetior haberi vellet, natura timidus, promtus tamen ad occultandam audaciæ specie formidinem, parùm beneficiorum memor, pecuniæ avidus, & ad eam undique corradendam vel cum aliena injuria attentus, in servanda parùm cautus: In victu, cibi viníq; profusus, & in voluptates pronus, quæ ei supremum diem acceleràsse creduntur: cum fratre Augusto Meleniani Marchione, cui ex privatis odijs infestus erat, post Pontificatum adeptum, nunquam reconciliari voluit, cùm is unus esset, in quo, homo ad vanitatem gloriæ cupidus, decus familiæ renovare ac firmare posset. Hæc *Thuanus*. Hi ne sunt characteres, quibus Apostolus Paulus Epistolis suis ad Timotheum & Titum Episcopum describit? Imò, si vel destinata malitia unum hoc agere voluissent Pontifices, ut Pauli monita profana vitæ ἀντιθέως violarent, majori illud insolentia fie-

ri non potuisset. Sed pergendum, ad *tertiam* Pontificum hujus seculi *classem*, de qua ex *Thuano*, *Riveto*, *Revio*, & aliis succinctè agit *Lætus*, in Comp. Histor. univ. Pius igitur V. a. Ch. 1566 qui antecessori ejus fuit emortualis, creatus Pontifex, jurisdictionem (Inquisitionem intelligit) quam sub aliis tanta severitate exercuerat, & ipse severissimè exercuit, & per alios cum magna nec toleranda multorum vexatione exercendam curavit: populo ad ejus electionis famam fremente & indignante, ob recentem adhuc Pauli IV. memoriam, à quo iste ad honores provectus ejus quoque acta & memoriam restituturus credebatur. Nec omnino vanus fuit metus: Nam ut injuriarum tenacissimus, sic beneficiorum non immemor erat. *Thuan.* libr. 39. p. 436. Et quia divisum ferè atque diversum Pontificii agnoscunt in suo Papa Imperium, Pastoris & Principis, hujus plerasq; virtutes illi defuisse, ingenuè fatentur, *id.* l.c. p. 438. Phalaridis bovem, id est, Inquisitionem tanti fecit, ut cùm Aonius Palearius dixisset, Inquisitionem esse sicam districtam in literatos, exuri debuerit. *Thuan.* l. c. pag. 437. Obiit an. Ch. 1572. haut obscura populi lætitia, qui intolerandam liberis hominibus in Inquisitionis munere exercendo severitatem detestabatur. Negligentia sua & difficili ad querelas accessu effecit, ut dum Reipub. parùm gratus, minimè ad eam attendit, suorum, quo, more aulæ illi insito, rerum gubernaculis admoverat, rapacitati porta aperta sit. *Id.* lib. 51. pag. 1014 Fidem Turcis, aliisque in fidelibus servandam negavit; Excommunicationum ful-

ulmina in Reformatos, Elizabetham etiam regi-
nam, vibravit. Regi Hispano, ut Carolum filium, qui
Belgis favere visus fuerat, tolleret, sicut author fuit,
ta patrato facto gratias egit, dono insuper misso, ro-
a atque gladio. *Gregorii XIII.* successoris maxima fe-
rè cura fuit, non modò ut filium naturalem Iaco-
bum Boncompagnonum invidiosis augeret opi-
bus, Thuan. l 81. sed & sanguinarius videretur ipse,
(triumphavit enim de laniena Parisiensi, supplica-
tionesq; indixit, ut agerentur Deo gratiæ ob dele-
tos in Gallia veritatis & Ecclesiæ hostes) & sangui-
nariorum Collegia promoveret. Favore ejus Iesui-
tæ in omnibus Europæ regnis Palatia erexerunt.
Belgas idem oppugnantibus omnium peccato-
rum veniam concessit; Protestantes in Gallia pror-
sus exscindere CCCCM. ducatorum suppeditatis
instituit, omnemque adeò lapidem, ut nihil cum
iis (ne Kalendarium quidem quod mutavit) ha-
beret commune, ferróq; & flamma illos extirparet
ad annum usq; 1585. movit, quo substitutus ei fuit
Sixtus V. pauperrimis in Piceno natus parentibus.
Privatus, Cardinalis etiam, tantus injuriarum fuit
contemptor, ut à Cardinalibus *Asinus* Anconita-
nus vulgò appellaretur. At Pontifex creatus tyran-
nus esse cæpit. Iohannem Pepulum Comitem,
quòd quosdam exules tradere nollet, strangulari in
Palatio jussit. Hæc severitas nonnullis vocem ex-
torsit: Licentiæ tempora præterijsse, tempus Sixti
venisse. Adolescentem Florentinum, verbo saltem
asinum perditum Pontificis quærentibus, resisten-
tem, ad suspendium damnavit; natura ipsa aversa-

batur scelus, quippe lachrymas cruentas fundere, & sanguinem pro sudore toto corpore emittere visus est. Præterea cuidam laqueo gulam una cum filio frangi curaverat. Vxor, cùm nihil impetrare posset, & tamen innocentes esse sciret, à Palatio una cum infantulo præcipitem se dedit. Sed hæc crudelitas in privatos. Condæum Principem, & Regem Navarræ, stricta excommunicationis sica filios iræ, hæreticos, privatos jure atque Dominiis scripsit: quod tamen non successit: Nam Navarrus programma Pasquilli statuæ affigi mandaverat in quo apertè ajebat, *Dominum Sixtum falsò & malitiosè mentiri, se eum pro Hæretico, Sectario, Antichristo reputare, & si, inquit, decessores mei Reges, hujusmodi nebulones, qualis hic Sixtus, côercere poterant, se idem* facturum: Adeò perculsus hac voce Pontifex fuerat, ut deinceps nihil contra eum se tentaturum, spoponderit, invisus ideo Iesuitis & Guisianis eo usque, ut ab iis non alio nomine, quam *Navarrista* vocaretur. Sanè Sixtus de Navarro & Regina Elizabetha persæpe dicere auditus, *toto orbe se unum virum & Fœminam videre dignos, nisi labe sectaria infecti essent, qui regnarent, & quibuscum ipse de ingentibus rebus Consilia quæ animo agitaret, conferret.* Henricum III. excommunicavit, sicarium ejus in numerum Sanctorum retulit, publicè in Consistorio

rio extulit, composita & in honorem ejus Legenda, sub titulo *vita S. Clementis*, pingebatur instructus fatali cultro, quo Henrici viscera scrutabatur. Cùm urbem ædificiis, obeliscis, aquæ ductibus, & Bibliothecis ornâsset, in thesauris arcis S. Angeli quaterdecies centena CIↃ aureorum reliquisset, annos LXX. natus, excessit: Sed quali morte ? Hispanica factio ægrè ferens Pontificem successionem à se moliri, nocte per Monachum Franciscanum (qui quàm facilè suam operam ejusmodi κατορθώμασιν addixerint, Metensium etiam à Cæsarianis corruptorum conjuratio docet; vide *Thuan.* an. Chr. 1555. l. 14 pag. 703.) tenui mantili strangulari eum curavit, sparsa fama, à dæmone strangulatum esse. Pontificem dæmoni exprobrâsse subleстam fidem, ut qui septennuij regimen fuisset pollicitus, nunc autem quinquennio exacto, adesset, verùm elusisse dæmonem, Sixtum cuidam minorenni ad suspendium damnato, suos annos de suo donâsse. De quo quidem contractu constantissima fuit fama Romæ & alibi, teste Historia universali *Aubignii* ad an. Ch. 1590. pag. 326. S. 11. Successor ejus *Urbanus VII.* decimo statim ab electione die, cùm senex septuagenarius esset, decessit. In Concilio Tridentino calicis acer oppugnator erat, ut petitionem eam hæreseos introductionem sapere diceret. Post bimestre Nicolaus Sfondrata, *Gregorius XIV.* electus, in coronatione ridiculum gesticulatorem se exhibuit, post eam exclamavit. Gratias agimus DEO, qui in tantis honoribus & reverentiis nostræ personæ hodie exhibitis, nos à superbia, inanique

Mundi hujus gloria, conservavit. Ei, post decimum, mensem, quo brevi spatio a Sixto relictum thesaurum in oppugnationem Henrici IV. exhausit, surrogatus Iohannes Antonius Fachinetus, Papali nomine *Innocentius IX.* qui ostensus quoque tantum bimestri elapso LXX. ætatis anno expiravit. Tum factio Hispanica Sanctorium obtruserat, sed Sfortia reclamabat, fore ut vis contra vim pararetur, & cruor ex Conclavi ad S.Petri usque Basilicam per gradus dimanaret; scriptus & Pasquillus, quo tota res ignominiose ad modum crucifixionis Dominicæ traducebatur. Hac igitur designatione irrita electus Hyppolitus Allobrandinus anno 1592. *Clemens VIII.* cognominatus. Henricum IV. regno excutere voluit, cùm prævalere, & consilia de Patriarcha creando videret, anathemate exolvit. *Fœdus*, ut vocabant, *sanctum* inter Monarchas & Principes ad extirpationem Evangelicorum instituit, cui fœderi omnes Principes nomina dederunt, excepto M.Duce Hetruriæ, & Rege Galliæ, de quo crebrò dicere solebat Pontifex, Regem esse artificiosum, & nulli parti addictum. Geminus Senatus ab eo erectus, *congregatio de propaganda fide, & congregatio sacri fœderis*; quibus interfuerunt (singulis septimanis semel conveniendum erat) 18. Cardinales, & totidem consiliarii, qui nihil agerent, quàm rationes opprimendi Evangelii is excogitarent. Sed & hoc ejus in Evangelicorum perniciem consilium fuit, ut Iesuitæ in omnibus civitatibus Imperii collocarentur. Non juramento, non fœdere terrendos esse Principes ab extir-

tirpandis hæreticis: *Posse Principes à fœderibus resilire, sine famæ periculo, posse mentiri, prodere & alia perpetrare, modò Pontificia juvetur causa:* Et ne cum *Læto* ex authoribus probatissimis injuriam Clementi hac in parte facere videamur, ne quidem authoritatem *Cardinalis Ossati*, ægre admittemus. Ingenuè hic Epistol. lib. 3 ad an. Ch. 1595. Ep. 87 fatetur, Pontifici ejusmodi excidisse verba. Cùm enim Papa Henricum IV contra Elizabetham Angliæ Reginam armare vellet, in hanc sententiam Papa respondit: *Que le serment avoit esté fait à un heretique, & que sa Majesté avoit fait un autre serment à Dieu & à luy Pape; & puis adjousta ce qu'il m'avoit dit autresfois, & en l'audience precedente, que les Roys & autres Princes souverains se permettoient toutes choses, qui turnoient à leur proffit, & que la chose en estoit venüe si avant, qu'on ne le leur imputoit point, & ne leur en sçavoit on point de mauvois grè, & allegua un dire de Francesco Maria Duc d'Urbin, qui soloit dire, que si un simple Gentil-homme, ou un Seigneur non souverain manquoit de sa parole, il en seroit deshonoré & blasmé d'un chacun, mais les Princes souverains, pour raison d'*

Estat, pouvoient sans autre grand blasme faire des tractez, & s'en departir, prendre des alliances & les laisser, mentir, trahir, & toutes telles autres choses: Je n'avois que trop à repliquer à tout cela, mais je n'estimay me devoir arrester en un lieu si glissant, si mal sentant. Et ne hujusmodi Machiavellicæ Theologiæ specimina Pontificem dedisse existimemus rara, idem Cardinalis sub finem Epistolæ haud obscurè significat, Pontifici temporibus illis, quibus insidiæ ubique reformatis quærebantur & parabantur, hypotheses odio Religionis abrepto tales frequẽtes esse, quales nullus vir bonus probârit aut receperit. Vide p. 576. Atq; sic *Clemens* etiam, etsi vir experientiâ fuerit magnus, fastu tamen & perfidia indignum se satis Christo vicarium prodidit. Hæc ergo studia fuerunt & molimina Pontificum hujus Seculi: hi exitiales morbi, quibus Ecclesiæ caput sine spe restitutonis laboravit. Et tamen erant, qui quasi Numen in terris Pontifices istos adorârunt. Nota est illa acclamatio in Concilio Lateranensi *Leoni X.* facta. *Tibi data est omnis potestas in cœlo & in terra.* *Gregorius XIII.* hanc adulatoris blasphemi vocem admisit: *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Adorationes à Legatis Regulorum Iaponiæ à Iesuitis subornatis, sub hac formu-

mula: *Adorando & Cœli Regis locum in terris obtinenti magno & sanctissimo P.P. tulit*: *Thu.Læt.* Comp.p.657. In coronatione *Leonis X.* arcui triumphali inscriptum erat: *Dignus est Leo in virtute agni accipere librum, & solvere VII. signacula ejus.* Successorem ejus *Paulū V.* in librorum inscriptionibus ita compellabant; *Paulo V. vice Deo, Christianæ Reipublicæ Monarchæ invictissimo, & Pontificiæ omnipotentiæ Conservatori acerrimo*; *Id.* p.664.

[*b*] Commodè enim huc referri potest illud Servatoris, *Ioh.* c. 15. v. 22. Εἰ μὴ ἦλθον καὶ ἐλάλησα αὐτοῖς, ἁμαρτίαν οὐκ εἶχον· νῦν δὲ πρόφασιν οὐκ ἔχουσι περὶ τῆς ἁμαρτίας αὐτῶν. Nisi toties Romani Pontifices fuissent moniti de Reformatione, nisi errores Ecclesiam nitore suo spoliantes ad oculum fuissent monstrati; nisi fraudes, imposturæ; impietates idoneis convictæ fuissent testibus, nisi commoda emendandæ religionis suppeditata fuissent subsidia, ignorantiæ prætextu peccatum Romana Ecclesia extenuaret: Iam verò toties moniti, toties rogati, toties refutati, quàm elabendi. & in magno illo die censorio se purgandi inituri sint rationem, viderint ipsi.

[*c*] Quotiescunque enim Pontifices aliquam præ se tulerunt in movendo hoc lapide προθυμίαν (quod quidem non semel factum legimus) toties veterem fabulam mutatis personis agi deprehendi.

mus. Queri jure hoc etiam Seculo possumus cum *Aventino* (vide Sec.15.p.219.) *Pontifices Maximos gregi Christiano illusisse*: & ut querelæ nostræ æquitas manifesta magis fiat, non pigebit pleniori paulò instituto examine, palam facere, omnium hac in re conatus, vel nullos fuisse, vel tepidos nimis, vel in moribus potiùs, quàm religionis emendatione occupatos, censuram eorum, venia data corvis, vexasse columbas. Cùm initio ferè hujus Seculi, anno videlicet 1503. *Julius II.* Magistratum esset ingressus, *totúsque orbis* (hoc Pontifici deberi, scribit *Onuph.* de Pontif. l. III. p. 370. cujus verbis utimur) *Christianus, & præcipuè terra Italia gravissimis inter Christianos bellis Principes quateretur, plerique hominum & præsertim Cardinalium, id Julio Pontifici attribuebant, quem omnium bellorum & discordiarum, quibus per tot annos misera vexabatur Italia, fomitem & incentivum prædicabant. In eum enim, qui modò Gallos contra Venetos, contra Hispanos, modò Imperatorem contra Gallos mittebat, tot malorum causam potissimum rejiciebant. Homo enim imperandi cupidus, & ditionis Ecclesiasticæ jus, quod sub prioribus Pontificibus perierat, omnibus passim sibi terras &* op-

oppida Ecclesiæ vendicantibus, restaurare nitens, quod non sine gravissimorum bellorum procellis fieri poterat, totum mundum subvertit. Ob quam rem contenti Patres, ipsúmque potius negotijs secularibus, quàm animarum curæ attendere conspicientes, nonnulli ex his ab eo deficiunt, & non sine Imperatoris & Regis Francorum Ludovici auxilio, Pisis convenientes, Concilium generale, missis per orbem Christianum literis celebrandum indicant. Fuerunt autem hi: Bernardinus Caruaial, Hispanus, Sabinorum, & Guilelmus Brisonetta Gallus Prænestinorum Episcopi Cardinales, Franciscus Borgia Hispanus, Archiepiscopus Cosentinus, & Renatus Bria Gallus, Episcopus Bajocensis, Presbyteri, ac Fridericus Sanseverinus, S. Theodori Diaconus Cardinalis; qui mox à Julio II. citati, quom non comparuissent, imò ipsum pertinaciter ad Concilium celebrandum convocâssent, in quo tot malefactorum rationem redderet, ab ipso omnibus dignitatibus privati sunt, ac etiam Cardinalatuum titulis, quos habebant, ac, ne Concilium detrectare videretur, a. Ch. 1511.

Pon-

Pontificatus octavo, XV. Calend. Augusti Bulla sua Apostolica Concilium generale, Romæ Laterani celebrandum indixit, totius orbis Christiani Prælatis ad Concilium convocatis, diésque quo inchoare deberet, præstituta fuit, dies Lunæ post octavam Paschæ Resurrectionis VIII. Calend. Maji, anni sequentis 1512. Accidit verò, ut Ravennæ conflictus inter copias Pontificias, & Gallorum haberetur, in quo cruentissima victoria Galli potiti exercitum Julianum ad internecionem cæciderunt. Ob quam rem Concilij inchoatio ad sequentem Majum producta, diémque Inventionis S.Crucis, is erat V.Non.Maji, quo die Missa de Sp.S.Laterani per Julium Pontificem cantata Concilium inchoatum fuit, & die VI.Idus ejusdem mensis Maji prima sessio habita. Hic de statu Ecclesiastici emendatione & restitutione agi cæptum est, multáque promulgata, quæ tamen postmodum observata minimè fuerunt, cùm Iulii mens non fuisset nihil (*leg. quicquam*, ut ex antithesi patet) boni in eo Concilio agere, sed tantùm Concilio à Cardinalibus sibi adversantibus Pisis primo indicto & inchoato cum al-

aliquot Prælatis Gallis, & post Mediolanum translato, adversari. *Verum anno sequenti 1513. ipso Lateranensi Concilio adhuc perdurante mortuo P. P. Julio II. & Leone X. ei successore dato, cujus opera statim Pax Christianorũ Principum agitari cœpta, Cardinales, qui à Julio discesserunt, & ab eo privati fuerunt, in gratiam cum Leone redeuntes, eo anno omnibus dignitatibus suis & Cardinalatui restituti sunt. Quum autem P. P. Leo per aliquot annos Concilium generale Lateranense prosecutus fuisset, tandem a. Ch. 1517. VI. die XVII. Cal. Martij habita XII. & ultima sessione Card. Farnesius Diaconus, Card. S. Eustachij, nomine P P. Leonis X. Concilio finem dedit, alta voce clamans: Patres ite in pace: Duravit annos propè 5.* Non indigent *Onuphrii Panvinij*, de studio emendandæ religionis & morum, quo Iulius se posteritati commendare voluit, verba, nostra luce: clara satis sunt, & perspicuè probant, Iulium nec ipsum seriò egisse, nec reliquis, quibus res fortè majori curæ fuit, vel vitæ, vel opportunitatis spem fuisse. Tyrannide & armis oppressit, quorum mentes piæ & periclitanti Ecclesiæ necessariæ cogitationes ejusmodi subierunt. *Cùm enim Cardinales dicerent* (Bzov. a. Ch. 1511. S. 33.) *se sine Pontificis authoritate*

Con-

*Concilium convocare posse, quod Ecclesia non solùm in membris, sed etiam in capite, hoc est, in Pontificis persona emendatione indigeret, qui in sacrorum nundinatione, quam Simoniam vocant, & infandis, perditisq; moribus inveteratus, nec ad Pontificatum gerendum idoneus; tot præterea bellorum author, correctionem nullam cum totius Reipub. Christianæ offensione admitteret; ac proinde nullam aliam medicinam præter Concilium superesse fateretur; Pontifex mox die 1. Septemb. ejusdem anni, qui auspicijs Concilij (*Conciliabulum Pontifex appellare solitus) *destinabatur, Florentiam, Pisas, omnésque Concilij asseclas sacris interdixit, diris devovit, omnibúsque eis pœnis, quæ severissimis legibus in schismaticos atque hæreticos sunt latæ, subjectis, armorum etiam vim minatus fuit: Id.S.7.* Et quanquam causæ bonitatem scripto per *Philippum Decium* Papiensis Scholæ præfectum Concilii authores & fautores defenderint, mox tamen alii subornati πού τε χερσί τε restiterunt, & ne Pontificis authoritas Conciliis subjiceretur, caverunt, cujusmodi fuit apologia *Thomæ à Vio Cajetani*, de comparatione authoritatis Papæ & Concilii, déque suprema dignitate summi Pontificis; & *Angeli, Vallis umbrosæ Anachoritæ*, cujus

jus scriptum contra Decium annalibus suis inseruit *Bzov*.a.cit.S.11. Est certè Anachoritæ illius Antidotum verè Papisticum, id est, tale, quod nihil non in suo Principe probat, defendit, excusat, & admiratur. *Fatetur multa per Romanam Ecclesiam quandoque Imperatoribus fuisse concessa, ad violentiam evitandam, ut fuit eligendi Pontificis authoritas per Adrianum Carolo data; tamen quia postea Imperatores modum ignorantes, & in hæresin plerumque prolabentes, matris Ecclesiæ unitatem impugnare conati sunt, propterea sanctorum Patrum statuta adversus eos prodijsse, concessa revocâsse, prohibuisséque ne in res Ecclesiasticas se imposterū ingererent.* Illis hoc γλαύκωμα parasiti Pontificii objiciant, quibus lux Historica non aliud ostendit. Pudeat verò cucullatum, plerosque & Caroli, & reliquarum familiarum, quæ Imperatores nobis ad a. Ch. 1511 dederunt, posteros *hæreticos* appellare! Pudeat tantis Heroibus omnem turbatæ Ecclesiæ impingere culpam! Nempe quicquid delirarunt Pontifices, plectuntur Principes. Vide *sec*. X.p.16. Vt vitia Iulio à Cardinalibus exprobrata diluat, quàm impiè & profanè ipsam torquet Sc. Sacram? *Minimè crediderim delicta, quæ admodùm gravia Decius Julio intendit inferre, in eo mi-*

militare, cùm ejus ætas; nec Petri cathedra talia patiatur, quæ semper accipiat, vel faciat sanctum, & portæ inferi, id est, vitiorum, non prævaleant adversus eam. Ergo ne, qui solium Pontificium semel invaserunt, ex impiis pii, ex profanis sancti, evadunt? De doctrina, verba Christi, impudentes Majestatis Pontificiæ miriones intelligenda hactenus asseruerunt; vitæ sanctimoniam ex hoc loco Pontifici præstare nemo fuit ausus. Vide, benevole Lector, quid lingua venalis non tentet! *Si superbia & ambitio Bernhardini, anhelantis semper ad Pontificatum, & demum Julium persequentis, ut Cathedram Petri solus ipse conscendat, molesta illi fuit; si cæterorum etiam ei mores in eremo existenti plerumque ei nauseam induxerunt*, non debuisset profectò conatus eorum, qui ut tot tandem enormitates emendarentur: Concilium Pisis indixerunt, sufflaminare. *Doctrinam*, quæ Concilium Papæ præfert, *extirpandam* vocat, *& dogma perversum: cùm Pontifex non ab Apostolis sit institutus, non à Concilio, sed à Deo acceperit potestatem. Aquinatis judicio Romanum Pontificem meritò dici posse Regem & Sacerdotem, cùm Christus tali cognomine describatur. Quamob-*

obrem nec concilium posse Papam in fide permanentem judicare nisi se submittat: quo sensu à suo Confessario judicetur. Id cum primis malè habet Monachum, quòd Pontificem authoritatem convocandi amisisse Decius scribit. Omnes cœlites in subsidium vocat, ipsum etiam exercituum Dominum ne inultam hanc author temeritatem ferat. *Dormísne*, inquit, *Apostolorum Princeps Petre? Quare non sollicitas fulmina? Tuq; Paule, vas electionis, cur non emittis gladium in fratris & socij tui patrocinio. Tu insuper, bone Jesu, qua propter non solicitas Patrem, ad injuriam Tibi Tuísque inditam vicariis, vindicandam.* Ita hæc πειθὼ Itala, vel glossogástor potiùs παμποικίλης pro suo Iulio, & tamen postquam suum ille indixisset Concilium non alio fine, ipsis judicibus Papistis, factum fuit, *quàm ut vindictæ in Pisanos conceptæ satisfaceret.* Reliqua non morabatur. Successor ejus *Leo* in continuatione Lateranensis Concilii, vidit quidem, multis morbis corpus Ecclesiæ esse infestatum. Sed quam ille paravit medicinam? Vix cutem strinxit, ne dum ut viscera purgaret, & Apostolicus vigor rediret. In Scholas Philosophicas perniciosos errores irrepsisse præsertim de animarum immortalitate, cùm animadvertisset, non modò in Lateranensi Concilio illam damnavit sententiam; *sed & omnibus*

& singulis Philosophis in universitatibus Studiorum Generalium, & alibi publicè legentibus, districtè præcipiendo mandavit, ut cum Philosophorum principia aut conclusiones, in quibus à recta fide deviare noscuntur, auditoribus suis legerint seu explanaverint, quale hoc de animæ immortalitate, ac alia hujusmodi, teneantur eisdem veritatem religionis Christianæ omni conatu manifestam facere, &c. quod tamen *Cajetanus* non probavit, ratus, ita falcem Philosophicam in messem Theologicam mitti. Hanc pro anima Leo X. curam habuit; sed quàm frigidæ ejus pro purganda eadem à peccati sordibus, cogitationes fuerunt? Occasionē huic suprà scriptæ sanctioni dedit (verba sunt Opmer. apud *Bzov.*a. Ch. 1513. S. 30.) *Petrus Pomponatius* Mantuanus, qui enarrans emendata ac levi locutione Aristotelem & Averroem Bononiæ, *animas post corporis mortem interituras*, ex sententia Aristotelis probare conatus, juventutem valde corruperat, & ad dissolvendam Christianæ vitæ disciplinam jecerat fœda fundamenta, seque eo tuebatur, quòd Philiosophicè loqueretur, sed aliter, cùm Christianus esset sentiret. Porrò malè etiam audiebant humanitatis studia atque bonæ literæ ob perversa aliquot ingenia, qui auditores *Pomponii Læti, Phædri, Angeli Politiani*, atque *Domitii Chalderini*, ejusq; farinæ hominum fuerant,

rant. Hi enim veterem Rempub. Romanam somniantes Romulum colere; neglecta pietate, ac Numæ ceremonias sacrósque ritus antiquorum Romanorum crepare soliti erant. *Celebrabat* Pomponius *Natalem Urbis, se Dictatorem;* Phædrum *autem Magistrum equitum nominabat.* Politianus *TOTAM SACRAM LECTIONEM ASPERNABATUR* (fidem hæc faciunt illis, quæ de Politiano commemoravimus *sec.* XV. p. 155.) *dicens, se non posse barbarizare; invehebatúrque canino dente in eos, qui cultu simpliciore atque incessu pietatem ostentabant. Calderinus etiam sacra Christiana aspernabatur, occupatus Priapeis carminibus exponendis & Martiale: nec reverebantur homines impij Scripturæ verbis, ad modum antiquæ Satyræ, abuti, ut mores hominum sub Pasquilli umbra, etiam illustrium carperent.* Sed redeundum in viam. Præter unum hoc, de animæ immortalitate, quod quidem dogmaticum esse posit, nihil observo mutatum, aut reformatum in Lateranensi Concilio. In *moribus* plura Leo deprehendit & reprehendit, quàm correxit. Notat quædam Reformationis Curiæ Bulla, tum in Cardinalibus, tum in reliquo Clero, quæ prolixè à *Bzov.* recitata, an. Chr. 1514. Sect. 9. vel sublata, vel emendata voluit

Pontifex, sed sequentium temporum praxis abundè probavit, surdo narratas fuisse fabulas. Vt contentiones (vel ex φιλαυτίᾳ mera, vel quæstionibus practicis, qualis illa fuit, de *Montibus pietatis*, quorum eadem ferè ratio erat in multis Italiæ civitatibus, quæ alibi fœnoris Trapezitici, de quibus per Leonem, aliorum exemplo Pontificum, probatis, consulatur *Bzov*.an.Ch.1515.pag.261. Salmas.de fœnore *trapez*.pag.508.586.707.) inter ipsos Clericos, Monachos præsertim & Plebanos exortæ comprimerentur aut sopirentur, Pontifex quidem decretis sancivit, quid verò à Monachis obtinuerit, haud obscurè ex iis quæ de Monachatu supra fusè commemoravimus, patet. Frænum quæsivit nimiæ Clericorum secularium licentiæ, quâ quodvis scelus exemptionis privilegio excusabant; *Bzov*. an.Ch.1515.p.261.sed an huic malo præsens satis medicina fuerit parata, testabuntur querelæ, quas Pontificum & Pontificiorū verbis de scelerata cleri vita postea proponemus. Id magno conatu cum Cardinalibus Pontifex egit, ut ne vel omnium injuriis expositi essent Cardinales, *Bzov*.1517.pag. 316. neque *Pragmatica Sanctio*, quæ festuca hactenus fuit in oculis omnium Pontificum, quicquam deinceps authoritati Curiæ derogaret. Qua sublata, alia cum Gallorum Rege *concordata* cudit. Ordine illa recensentur à *Bzov*.an.Ch.1515.pag.275. & 281. Fatetur Pontifex, *multos tractatus inter Pium II. Sixtum IV. Innocentium VIII. Alexandrum Sixtum & Julium II. Pontifices,*

fices, & Reges Franciæ super abrogatione certæ constitutionis, in dicto regno Franciæ vigentis, quæ Pragmatica vocatur, habitos fuisse: Obtinuisse quidem Pium à Ludovico XI. ut Rex ipse Pragmaticam Sanctionem hujusmodi, tanquam in seditione & Schismatis tempore natam, patentibus literis abrogaverit, abrogationem tamen hujusmodi, per Prælatos & personas Ecclesiasticas præfati regni receptas fuisse, neque illis, nec monitis Innocentij & Julij prædictorum aures præbere voluisse, sed eidem Pragmaticæ constitutioni inhæsisse: Julium propterea II. seque successorem, in Concilio Lateranensi, abundanti cautela Gallicos Prælatos, Capitula Ecclesiarum & Monasteriorum parlamenta, & laicos illis faventes, & dicta sanctione utentes, omnésque & singulos alios in præmissis sua, communiter vel divisim, interesse putantes per edictum publicum citâsse, neq. tamen illos comparuisse; ne igitur corruptela illa, quam vocat, diutius toleretur, schedulam per Ioh. Baptistam, abrogationem Pragmaticæ sanctionis continentem, legi voluit, quæ extat apud *Bzov.* loc. c. Dupliciter autem, observat *P. Venet.* in Hist. Concil. Trident. p. 20. b.

hæc Pragmatica Sanctio cum Romana Monarchia pugnavit. Nam & pessimè collationem sacerdotiorum, præcipuum amplitudinis Pontificiæ fabricandæ fundamentum, omnino sustulit, & memoriam Concilij Basileensis, quod Pontificem subjecit Concilio generali, fideliter fovit. Quę tamen posterior cura non altè sub pectore Pontificis fixa, parùm eum versavit; facile enim fuit opponere, Romanum Pontificem auctoritatem super omnia concilia habere. Ita loquitur, definit, pronunciat; ex Cathedra dubio procul; Romæ in Concilio Lateranensi an. Ch. 1516. *Bzov.* pag. 282. Habes studium reformandi Leonis, ante Lutheri & Zuinglij παπτομαχίαν. An seriò egerit hic Pontifex, & an saluti animarum consultum rectè voluerit, luculento, vix à Concilio reversus, probavit documento: Ex novo adeóque impio Indulgentiarum monopolio quæstum quæsivit, ut non potuerint homines pij, & aliqua saltem Christiani nominis reverentia tacti, ad absurdas illas nundinas connivere. Monstratur Pontifici error, de eo emendando monetur; sed majori cura reformationem impedire, quàm vel permittere vel adjuvare voluit. Et cùm Concilium multi, tanquam ultimum, quo messis in herba opprimi posset, ostenderent & suaderent remedium, noluit tamen Pontifex aleæ huic suam exponere authoritatem. *Periculosum ratus illud Concilium* (verba sunt *P. Veneti* Hist. Concil. Trid. pag. 20.)

pag.20.) *quod sibi Pontificatus reformandi potestatem vellet arrogare, aut commoda Curiæ violenter invadere, ea præsertim, quibus ad se maximam auri in orbe Christiano partem trahit.* Dum verò, inter sacrum & saxum Leo constitutus, alias ad opprimendos Reformatorum conatus quærit rationes, fato concessit, relicta hac solicitudine *Adriano VI.* à quo cum Principes Concilium deposcerent pium, liberum & Christianum in urbe aliqua Germaniæ ad eam rem maximè opportuna; spem quidem fecit Legatus, *non ingratum hoc Pontifici fore postulatum, modò majori verborum modestia flagitetur, verbaq; ea expungantur, quæ offensioni meritò esse possent, cujusmodi sunt, ut Concilium de consensu Cæsareæ Majestatis, & in una potius, quàm alia civitate convocetur* : Id. pag. 30. quæ quidem censura statim index esse potuit, quàm ægrè & invito animo Pontifex aliorum judicio suam subjiceret potestatem: *Unde & Principes* (Id. p. 31.) *non modò questi sunt, Legatum illum metiri bonum & malum ad solam amussim utilitatis Curiæ Romanæ, non autem ad modulum necessitatum Germaniæ.* Principes igitur, ut quàm nihil tot præcedentibus Conciliis, & Lateranensi, vix dum soluto profecissent, adversus curiam Roma-

pam, & universum ordinem Ecclesiasticum seorsim instituerunt querimoniam, de injuriis nationi Germanicæ illatis, quas in C. capita redactas, ideo vocârunt *centum gravamina*, quæ quidem omnia ad tria capita generalia revocabant, *nempe, quòd gravissima servitute populum premerent, Germaniā facultatibus expoliarent, & Magistratus secularis jurisdictionē sibi vendicarent.* Negare non potuit Adrianus *Curiam Romanam* (Id.pag.32.) *& ordinem Ecclesiasticum mali esse fontem; quod tamen parùm gratis multorum auribus accipiebatur, Præsulum maximè, graviter indignantiū, tanta se apud populum invidia & ignominia onerari, neque se modò in contemtionem hominum adduci, sed Lutheranis quoq; hoc facto crescere audaciam & proterviam. Præcipuè autem id eos malè habebat, quòd viderent fenestram patefieri, perquam vel commodorum suorum amputatio adeò invisa, necessariò esset introducenda, vel evincendum, inemendabiles esse ipsorum mores.* Confessionem Adriani, & conatum ejus, alij aliter excipiebant *Nonnulli Pontificem accusabant,* (Id.Ib.) *ignorationem in eo causantes earum artium, quibus potestas Pontificia & autho-*

authoritas Curiæ Romanæ potissimum conservantur, in fama & existimatione hominum positarum. Laudabant judicium & prudentiam Leonis, qui sinistram Germanorum de eadem curia opinionem solertius imputârat ipsorum imperitiæ, quod Curialium ingenia non satis haberent perspecta. Multi in Germania illam Pontificis ingenuitatem rapiebant in contrarium dictitantes *fraudem esse Pontificibus familiarem, fateri errorem, emendationem polliceri, nullam tamen unquam de re perficiunda cogitationem induere, ídque fieri ad incautos his præstigiis soporandos, & sua commoda ex usura temporis captanda.* Quidam tamen nihil addubitabant, quin Pontifex ille, quo curia planè fuerit indigna, *Ecclesiasticorum errata liberè, ingenuéque fuisset professus.* Quid nobis videatur, suprà jam breviter monuimus. Certum enim est, & præcedentis seculi Historiâ luculentissimè demonstratum, optimos etiam Pontifices (exemplo Regis illius Syrorum, qui quod daturus semper esset, nunquam daret, Δώσων appellabatur) fuisse καπορθώσοντας, id est, *Reformaturos*, prolixis promissionibus Reformationem pollicentes, eam tamen nunquam vel optantes seriò vel promoventes. Iure queri Majores nostri poterant, se ἐλπίδας σι-

πιῶδες. Hic verò cardo rei non vertitur, agnoverit serio Adrianus Cleri nævos, neque tamen vel satis illud fuit, vel à quoquam emendatum. Imò, sublato eo, successor ejus *Iulius Medices*, Leonis X. cognatus, *Clemens VII.* dictus, *animum ad res Germanicas confestim applicans, quòd rerum tractandarum scientia plurimum polleret, facilè animadvertit Hadrianum, præter morem* (sunt verba *P. Veneti* l.1.pag.33.) *à sagacioribus quibusque Pontificibus consuetum, nimis fuisse facilem in agnoscendis aulæ suæ erratis & emendatione promittenda.* Voluit quidem is aliqua ex parte Germaniæ populo satisfacere, ita tamen, ut neque authoritatem suam venire in discrimen, neque Curiæ suæ commodis quicquam decedere pateretur. *Reputabat secum, etsi è centum gravaminibus multa Curiam Romanam respicerent, majorem tamen partem, Episcopos, officiales, Curatos & alios Germaniæ sacerdotes attingere. Itaque in spem aliquam erigebatur, Germanos, si suorum emendationem aliquam sensissent, de ijs quæ Romam spectarent, non admodum laboraturos:* Mittit igitur in Germaniam Legatum, Cardinalem Campegium, à quoquidem fuit impetratum, ut Cleri per Germaniam Reformationem polliceretur, sed, ut curiæ Romanæ abusus

ſus corrigerentur, adduci nō potuit, ijs, qui acerbius in eos invecti eſſent, hæreſin objectans, &c. *Id.* p. 35. Sed & ipſa illa in Germania Reformatio inſtituta; eodem graviſsimo viro teſte; *minutos & tenues è clero modo tetigit, creditáq; fuit cum magno ſecularis poteſtatis præjudicio Curiæ Romanæ & Magnorum Præſulum dominio vires potius ſubminiſtratura, atque ad majores rapinas aditum apertura.* Vnde etiam tanquam larvata à Germanis fuit rejecta. Et certè qualis Reformatio fuerit, patet ex 37. capitibus, quibus comprehenſa à Principibus Ratisbonæ congregatis, confirmabatur, *de veſtitu Clericorum & ratione vitæ, de Sacramentis aliisque rebus Sacris gratis adminiſtrandis, de conviviis, templorū fabricis, de initiandis in ſacros ordines, de celebrandis feriis & Jejunijs. Item adverſus ſacerdotes ad conjugium confugientes, communicantes non prius confeſſos, adverſus blasphemos, ſortilegos & incantatores, &c.* In qua Reformatione non illud tantùm cæteri Imperij Principes reprehendebant, *quòd paucorum interventu id decretum eſſet, quod ad univerſam Germaniam pertineret, ſed etiam, quòd neglectis ijs, quæ maximi eſſent monenti, quaſi nihil*

hil in se haberent malè sanum aut incompositum, de levissimis quibúsque emendandis cogitâssent, populo interim Germaniæ levia detrimenta ab infimis è Clero, multò graviora ab Episcopis & Prælatis indebita occupantibus, sed longè maxima ab oppressionibus Curiæ Romanæ perpetiente. Horum tamen, tanquam ad Ecclesiæ primitivæ exemplum, aut melius essent omnia conformata, ne mentionem quidem factam. Etiam in minutis illis è Clero, ulcera non tangebant, sed ijs incuratis, ac veluti approbatis, offensiunculis curandis manum applicabant; non veris solidísque ad mala persananda adhibitis remedijs, sola improbè factorum designatione atque objurgatione contenti. Id.p.37. Atque sic in omnes se vertit partes *Clemens VII.* ne illam Reformationis rationem inire cogeretur, quam Principes Germaniæ impensè flagitârunt. Veritus nempe, ne, si Conciliis subjiceretur suffragij, liberis, authoritatem suam in summum adduceret discrimen, quod tamen consilium diutius suspendere aut impedire non poterat. Ipse enim Pontifex (*Id.*p.63.) an.Ch. 1530. licèt à Concilio alienissimus, apud Reges & Principes ejus convocandi studium simulat; Quod quidem totum negotium, dum diuturnis ille & tædiosis de Concilii

cilii sede cogitationibus immoratur & immoritur, per Clementem iterum mansit infectum. An, qui postea Pontifices eum exceperunt, & Tridentini Concilij clavum tenuerunt, *Paulus III. Julius III.* & *Pius IV.* optatam tandem καταρτισμὸν Religionis curæ habuerint, eventus docuit. Id observent adversarij, ne eas quidem Ecclesiasticæ emendationis formulas, quas optimus & summus quisq; inter Pontificios approbavit, à Curia Romana admissus, impeditas fuisse. *P. Venet.* lib. Hist. Concil. Trid. III. pag. 327. *Ad hæc Cæsar die 14. Junij formulam emendationis Ecclesiasticæ ab Præsulibus, aliisque viris doctis & pijs maturo judicio collectam, digestamque in publicum emisit, cujus capita erant 22. de Ordinatione & Electione Ministrorum: de Ordinum Ecclesiæ officiis, de Officio Decanorum & Canonicorum, de horis Canonicis, de Monasteriis, de Scholis & Academiis, de locis hospitalibus, de Concionatoris officio, de administratione Sacramentorum, de ministratione Baptismi, de confirmatione, de ceremoniis Ecclesiasticis, de Missæ ceremoniis, de administratione pœnitentiæ, item extremæ unctionis, & matrimonii, de disciplina Cleri, de disciplina populi, de pluralitate beneficiorum, de visitatione, de Synodis, de excommunica-*

*mi**catione*. In his capitibus reperire eſt monita 130. honeſtati, æquitatique adeò conſona, ut ſi quis affirmârit, ante eum diem vix prodiiſſe formulam Reformationis, magis exactam, partium ſtudio minus obnoxiam, à technis & laqueis, quibus incauti capiantur, magis liberam, in reprehenſionem incurrere non debeat. Et quidem certè, ſi Prælati eam ſoli fabricâſſent, Romanis non fuiſſet diſplicitura, duobus tantùm locis exceptis, ubi Concilii Baſileenſis auctoritatem adſtruit, & ubi diſpenſationibus & exemtionibus Pontificis, aliiſque rebus Papæ reſervatis manum admovet. *Sed ut iſtiusmodi Reformatio auctoritate Cæſarea ſtabiliatur, id ſcilicet minus, quàm Cæſaris in vulgando* Interim *factum, tolerandum videbatur, cùm Curia Romanæ pronunciatum ſit, inſtar Principij, ſecularibus, cujuscunq; ſint dignitatis, aut ſanctimoniæ, fas non eſſe, Clero leges parſcribere, in quemcunq; etiam optimum finem. Verùm, tyrannidem iſtam (ita loquebantur) cui ſe opponere non poterant, quod reliquum erat, patientia leviorem reddere conabantur.* Atque ſic Principes etiam, qui ſub Paulo Reformationem ſeriò moverunt, parùm promoverunt. Clerus, & Præſules, qui judices in propria cauſa eſſe voluerunt, ut vel aliquo modo omnium penè deſiderio ſatisfacerent, Decretum Reformationis cui titulus, *Canon re-*

residentiæ, conscribunt, & edunt, capitibus constans 15. & exhibitum à P. Veneto lib. 2. pag. 295. Qua fronte illud Reges & Principes exceperint, sequentium temporum Historia, & Concilii continuatio probavit. Nam etsi sub *Iulio III.* aliud de Reformatione Decretum, cujus capita erant octo (vide *P. Venet.* lib. 4. pag. 380.) Episcoporum potissimum regimen concernens, Patres cuderint, Imperator tamen, Reges, Principes, imò & Episcopi nonnulli, cùm animadverterent, Patres in re tam seria toti orbi illudere, & sub larvato Reformationis titulo, nugas, & fumos vendere, rupto silentio, aurem iterum & Pontifici & Prælatis vellicant, officij eos monent, útque tandem majori cura & solicitudine animum ad Reformationem appellant, hortantur. Nam quia, sub *Pio* etiam *IV.* eâdem semper Legati oberrarunt chordâ, ea tantùm ad censuram vocantes, *quæ facilia erant, contradictioni minimè obnoxia, & auctoritati Episcoporum favorabilia* (ut idem loquitur *author* pag. 638.) non defuerunt certè ex ipso clero, qui plura longè Concilio & commendârunt, & ab eo expectârunt. Philadelphiensis enim suggessit, *Germaniam à Synodo expectare rerum magnarum & gravium tractationem, cujusmodi varias ille nominavit, & in his Cardinalium creationem, & pluralitatem beneficiorum.* *Iohannes Vuares*, Episcopus Conimbricensis dixit, *se non probare, ut minima quoque negli-*

gligantur, sed, se quidem arbitro, Synodi dignitatem; postulare, ut peculiarem quendam ordinem sequantur, causaque idonea non desit, cur hoc potius, quàm illud proponatur. Reformationem à capite inchoandam, inde ad Cardinales transeundum, ab his ad Episcopos, atque ad alios ordines deinceps. Id nisi fiat vereri, ut Reformatione sicuti jam cœpit, procedente, Catholicis indignationem; Protestantibus, ludibrium debituri sint. Parisiensis fassus est, *à centum & quinquaginta annis omnes emendationem capitis & membrorum requirere: eam hactenus frustra fuisse. Curandum, ut appareat, deinceps rem seriò & sincerè, non dicis causa, & simulatè tractari.* Segoviensis, ne à simili quidem commodo, *Synodum facere quod imperiti Medici solent, morbis lethalibus applicare anodyna, & oleo inungere, quæ ferro pungenda*, abstinuit. *Id. ib.* Sed & Imperator per Oratores suos XX. proponit Reformationis capita, quæ quia, quid adulto etiam superiori Seculo, in Pontifice & Pontificia religione ille desiderârit, clarissimè exprimunt, nõ possumus non cum Lectore ex *P. Veneto*, pag 576. communicare: 1. Orandum summum Pontificem, ut se ipsum & Romanam Cu-

curiam reformari benignè patientur. Vt numerus Cardinalium reducatur si non ad duodenarium, saltem ad duplicatum, cum duobus supernumerariis 26. 3. Providendum, ne fiant amplius dispensationes scandalosæ. 4. Revocandas omnes exemptiones contra jura communia passim concessas, Monasteriáque omnia sub Episcopi potestate constituenda, sub cujus sunt Dioecesi. 5. Tollendam prorsus pluralitatem beneficiorum, & statuendum, quòd singulæ Ecclesiæ Cathedrales & Collegia singulas erigant Scholas. Et quòd Ecclesiastica officia non dentur conductitiis Presbyteris. 6. Episcopos omnino ad residentiam cogendos, nisi in extrema Ecclesiæ necessitate, ut officia sua per se ipsos, non per vicarios exerceant. Quòd si Episcopi non sint idonei vel potentes, non uni vicario totius Dioeceseos curam mandandam, sed pluribus personis: Insuper visitationes, Dioecesanásque Synodos quotannis habendas. 7. In Ecclesia omnia ministeria gratis præstanda, & quæ sunt adeò tenuis reditus, ut ministeria Ecclesiæ absque quotidianis emolumentis nequeant supportare, incorporanda cum alijs beneficijs non-curatis pinguioribus. 8. Revocandos in usum veteres Canones contra Simoniacam pravitatem. 9. Constitutionum Ecclesiasticarum multitudinem nonnihil contrahendam superfluis resectis, neque Prælatorum sanctionibus obligationi juris divini æquiparatis. 10. Excommunicatione non utendum extra casum peccati mortalis, & notoriæ irregularitatis. 11. Officia divina diligenter & devotè celebranda, quæ aliquando ita præ-

cipitatè à celebrantibus proferuntur, ut nec ipsi se se intelligant, nec ab aliis intelligantur. 12. Breviaria & Missalia purganda, resecandaque omnia, quæ non ex divinis sunt desumta literis, & tædiosam prolixitatem Psalmorum & Orationum, habito delectu, contrahendam. 13. Officiis divinis, quæ Latino sermone peraguntur, preces lingua vernacula fideliter versas immiscendas. 14. Clerum, & Ordinem Monasticum ad primitivam institutionem redintegrandum, ne tantæ Monasteriorum divitiæ tam flagitiosè dissipentur. 15. Considerandum sacro Concilio, annon res ipsa flagitet, aliqua juris positivi relaxare, & de pristino rigore aliquid remittere super discrimine ciborum & Iejunijs, & conjugio clericorum aliquibus nationibus concedendo. 16. Ad conciliandos populorum animos tollendas multiplices Evangeliorum Postillas, & novam, publica authoritate, per peritos Theologos faciendam: & similiter novam Agendam, sive librum ritualem, quem Parochi omnes recipere teneantur. 17. Rationem adinveniendam, non ad malos Parochos expellendos, quod esset factu facile, sed ad meliores substituendos. 18. Plures Episcopatus in latioribus Provinciis erigendos; & opulenta cœnobia in hunc usum convertenda. 19. Quo ad bona Ecclesiastica in alios usus conversa & distracta, præstare forsitan hoc tempore, ut hę dissimulentur injuriæ. 20. Legatos, Concilio præsidentes dare operam debere, ne quæstiones inutiles, quæ offendicula parere possunt, ut hæc, An sit Residentia de jure divino, nec ne, aut similes, pro

po-

ponantur, aut si id vitari non possit, non patiantur saltem Patres effundi in bilem, nec offerri in fabulam adversariorum. Lemmata hæc, mantissâ postea aucta (p. 840.) & Legatis Pontificiis proposita tam longâ (ne videlicet scriptum ab ipsis exhibitum in congregatione publicaretur, sed ut, rebus sic prolatis, Cæsaris expectationẽ frustrarentur; *id* p. 577.) mulctabantur morâ, ut, postquam sua Reformatione (cujus capita extant p. 604.) Patres ad Imperatoris διατύπωσιν non accederent, & Pragensis Archiepiscopus, qui ad Cęsarẽ eum de forma procedendi in Concilio erudiendũ, equis cursoriis erat missus, rediret, nominéque Ferdinandi Reformationis formulam offerret (vide p. 625.) Oratores Cæsarei, Articulos ab Imperatore mandatos, atq; ab ipsis antehac exhibitos proponi instanter voluerint. Sed hic varia iterum κρηςφύγετα (pag. 657.) variæ artes & technæ, ne Germanis, magnopere Reformationem urgentibus, gratificari Pontifex cogeretur. Querelis igitur Cæsaris Oratores testati sunt, moram illam & periculosam, & sibi cum primis molestam esse. Dolendum, articulos suæ Reformationis passim divulgari, & tamen nunquam hactenus Concilio fuisse propositos. *Id.* an. Ch. 1563. pag. 730. Eodem etiam tempore, & dum Germani, Cæsaris nomine, causam hanc egerunt, Galliarum Rex eam Concilio Reformationis formulam præscripsit, *quæ non modò omnibus Pontificiis dura admodum fuisset visa (pag. 730.) sed & Pontifex eam, dum primum legeretur, impatientissimè au-*

diverit, prorupéritque in impotentia voces: Ejus finem esse, Datariam, Rotam, Signaturas, & in summa totam authoritatem Apostolicam convellere. Paulò tamen mitior factus, ne articulorum examen planè detrectaret; disquisitioni illud congregationis reliquit. Numerantur Reformationis hujus articuli à *P. Veneto.* pag. 731. triginta quatuor, cum Oratorum gravi admodum appendice, se, nisi proposita admitterent, suis necessitatibus in Gallia provisuros. Verùm, nihilo æquiores erant Prælati aut faventiores Gallorum postulatis; usque adeò, ut (*P. Venet.* pag. 771.) *Oratores Galli, duos Legatos solemnem in modum adeuntes, non sine doloris significatione commemorârint, per undecim Jam menses, ex quo primum Tridentum venerint, ab adventu suo ad eum usque diem, se Galliæ miserias exposuisse, & pericula Christiani nominis ob religionis dissidia. Ostendisse, remedium & summè necessarium, & præcipuum esse accuratam & plenam Reformationem morum, & in legibus positivis nonnullam moderationem. Spem bonam sibi semper factam, & verba adhibita satis benigna, sed nihil quicquam effectum. Reformationem, quantum fieri possit, fugitare Patrum & Theologorum ple-*

plerosque duriores quàm unquam, & magis severos, nihil ut condonent temporis necessitati. Itaque rogant, ut cum animis suis reputent, quot homines probi moriantur, antequam boni quidpiam ad publicam utilitatem operari possint: Cujus rei exemplo esse Cardinales Mantuanum & Seripandum. Quamobrem ipsis aliquid tentandum, dum licet per tempus, ad conscientias suas deonerandas. Respondent Legati, molestum esse sibi, res adeò in longum extrahi: in causa esse ea, quæ insperato evenerunt in morte Mantuani & Seripandi. Se solos tantum sustinere non posse. Rogare, ut Moronum & Navagerium expectent, qui brevi adfuturi essent. Huic responso acquieverunt, quod Oratores etiam Cæsarei instarent, ut lentè procederetur, expectantes successum negotij, quod ab Oratoribus Cæsareis Romæ cum Ludovico Avila, conjunctim gerebatur. Hi omnes una institerant apud Pontificem, ut in Concilio, & non Romæ, universalis Reformatio totius Ecclesiæ fieret in capite & in membris. Respondit Pontifex Oratoribus, cupere se Reformationem, ac pro ea sæpe in-

stitisse; quòd si homines eam, Româ flagitâssent, jamdudum rem factam, & executioni mandatam habituros fuisse. Sed quoniam Tridento eam vellent, si minus succederet, causam non aliò conjiciendam, quàm in difficultates, quæ inter Patres inveniebantur. Sic ergo culpam Pontifex in Tridentinos rejicit, qui tamen ipse, ne Tridenti de curia sua reformanda tractaretur, aliquot diebus multũ in eo operæ collocavit; Id.pag.729. Imò, quanquam Pontifex Legatis Româ abeuntibus injunxerit, ut bonam ac rigidam Reformationem instituerent, conservata authoritate sedis Apostolicæ, quod caput omnium maximè necessarium esset ad Ecclesiam in formula & regula officij retinendam: Idem nihilominus in sermonibus, quos habebat cum Oratoribus apud se residentibus rogabat, ut sibi notum facerent, cujusmodi reformationem Principes eorum desiderarent, *quo postulato Papa id unum consectabatur, ut exhibitis sibi petitionibus abstinerent ab ijsdem in Concilio edendis, ipse verò opportunitate ea uteretur, ostensa in singulis difficultate insuperabili ad Reformationis studium, opinionum incertitudine fluctuans, in illis sedandum.* Atque hunc eundem scopum respiciens, sæpe etiam in sermone cum ora-

oratoribus dictitabat, errare vehementer Principes, qui credant Reformationem ad hæreticorum conversionem sufficere: Nam ipsos apostatâsse primum (*sed nos suo loco, σὺν θεῷ, monstrabimus impiam cleri & Curiæ Romanæ virum Reformationis non postremã causam fuisse*) tum abusus & deformationem Ecclesiæ in prætextum sumsisse. Non Ecclesiasticorum corruptelas, sed administrationem civilium, veras esse causas, quæ hæreticos impulerunt, ut falsos Doctores sectarentur, atque adeò etiam defectibus Ecclesiasticorum ad plenum emendatis, ipsos haud quaquam ad bonam frugem recepturos, sed alios colores quæsituros, ut in pertinacia sua pertendant. Hos abusus in primitiva Ecclesia & Apostolorum tempore non extitisse, attamen etiam ijs temporibus hæreticos fuisse, & totidem quot jam sunt, ad bonorum & fidelium numerum habita proportione. Se ex animo cupere Ecclesiam reformatam & abusus sublatos, sed liquidò cernere eos, qui ista procurant, in hoc recto scopo mentis aciem defixam non habere, sed in propriis suis emolumentis: quæ si consequantur, ad majores abusus viam daturos, nec præsentibus sublatis. A se non provenire Reformationis impedimentum, sed à Principibus & Prælatis Concilij. *Eam se lubenter instituturum, & bene rigidam, sed cùm ad rem ventum erit, dissensiones inter Principes, ex his uno ad hunc modum, alio in contrarium eam flagi-*

tante, tum Prælatorum non minus inter se altercantium, rem omnem remoraturas. Illud se prævidere, & pro comperto habere, esse indecorum id tentare, quòd defectus & vitia communia magis sit retecturum. Tum eos, qui Reformationem Zelo perciti deposcunt, eum adhibere (sicuti ajt D. Paulus) sine prudentia Christiana, nec si quis reformare velit, aliud operæ pretium facturum, quàm, sicuti innotuerunt defectus in Ecclesia, ita illud etiam omnibus innotescat, eosdem esse immedicabiles; &, quod est deterius, aliud majus inde malum secuturum, ut tanquam legitimæ consuetudines defendi incipiant, & vindicari. Sic solebat Pontifex agere, ut Reformationis necessitatem elideret, & eluderet: Alia longè mente fuit Quinquecclesiensis qui suos Hungaros Polonos & nonnullos Hispanos his allocutus fuit verbis: *Imperatorem omni cura belli solutum propter inducias cum Turco factas nihil impensius desiderare, quàm Ecclesiæ Reformationem: eámque ad exitum perduci posse, dummodo in Concilio pars aliqua adnitatur. Quapropter & hortari & orare, ut Deum reveriti, pro ea charitate, qua Christianus quisque Ecclesiam complecti debet, causam adeò honestam, justam & utilem non deserant. Adeóque ut mandent scriptis, quod cuique videbitur constitui posse ad DEI honorem,*

sepo-

sepositâ omni cujuscunque respectus humani cogitatione: neq; sibi ob oculos ponant partis alicujus emendationem; sed universum Ecclesiæ corpus in capite & membris reformandum. Hujus orationi subserviens Granatensis, reformationis & necessitatem & opportunitatem ostendit, tum Quinqueecclesiensis de hac admonitione gratias agens, sæpius inter sese de his locuturos promittit. Jámque in hunc finem coitiones fiebant Hispanorum, qui postquam inter se de Reformationis necessitate disseruissent, dein bonam sibi spem, aliquem inde fructum percipiendi affirmâssent; tum Cæsare eo propendente, à quo Rex ipsorum sua sponte pietatis retinentissimus non erat dissensurus, tum Prælatis Gallicis, qui brevi expectabantur, omni affectu & diligentia negotium adjutare ac promovere promtissimis; inde ad varios abusus enumerandos porrò pergunt. Horum omnium originem ad Curiam Romanam referebant, quæ non solùm in se corrupta esset, sed corruptelæ ac deformitatis in omnibus Ecclesiis causa. *Id.* pag. 660. Vix verò Præsules Reformationis cupidi à capite de institutione Episcoporum initium meditantur, *Dertrusensis* conatibus illorum

moram injicit (pag.661.) quæ quidem reliquorum Præsulum instantiâ rumpitur, sed ita, ut cùm præter illius Thematis examen, nihil tentaretur, Oratores & Cæsarei, & Gallici, denuo Pontificem, ut dogmatum tractatione dilata, emendationē tantopere expetitam Curiæ, morum & regiminis urgeret, monuerint; quod cur, à se fieri non posſit, Pontifex exposuit: pag.668. addita apologia, corruptelarum causam non sibi, sed Regibus & Principibus adscribendam. Atque sic iterum Reformatio in Concilio Tridentino sub *Pio IV.* constituta, & certis aphorismis comprehensa (vide *P. Venet.* pag.646.737. 826.878.& alibi) ita fuit comparata, ***ut non modò Lotharingo non satisfecerit***; *Id.* pag. 873. sed & ipsius Pontificis judicio moderata nimis fuerit. *Si se suósque reformare voluisset, severior longe futurus fuisset*, Pontifex palàm fatebatur. Paulò fusius hæc ex ipsa Concilii Historia eruimus, ut an spei de se conceptę unquam Pontifices, in Conciliis etiam, responderint, & quid porrò etiam expectandum de iis sit, Lector; quisquis ille, aut cui cunque addictus religioni; *ἀνδ...πενθῶν*, pronunciet. Quòd porrò observant Pontificii scriptores, *Pium IV.* Decretali sive Bulla *Fiduciarios* Sacerdotiorum, quos *Custodinos* appellant, perpetuo anathemati subjecisse, restitutioni addixisse, & Simoniacos declarâsse; *Geneb.* pag.760. Pium V. ad corruptelas illorum temporum profligandas sede dignisſimum concubinatum, Simoniam, *custodinorum* præsertim, quorum tamen, fatente

tente *Geneb.* omnia erant plena, voluisse sublatam; Monachorum ordines reformâsse, & certis regulis astrinxisse; Id. 766 767. morborum illi quidem Ecclesiæ Rom. pertinaciam, quæ nulli Medicorum arti cedere voluerit, produnt; sed leviorum tantùm, pestilentissimum ulcus, quod Ecclesiæ faciem turpissimè deformavit, non tangunt.

[d] Constat enim 1. *Malè hoc adhuc seculo universam curiam Romanam, opibus potius colligendis, quàm animabus curandis intentam; audivisse.* Narravit (*inquit Bebelius*, facet. p. m. 38.) nuper quidam in corona convivarum, maximam esse perfidiam Romanorum, fidémque venalem, Apostolicæque curiæ familiares corrosores esse pecuniarum egregios, ut ipse sua crumena luculenter esset expertus. Respondit unus: Optimè eos & more suo facere, nisi enim ita facerent, degeneraturos à Majoribus & conditoribus suis, qui fuerint prædones & raptores, alludens ad Romulum: Et certè magnam Curiæ Romanæ fuisse corruptionem vel hinc etiam patet, quod *Bzovius* studium reformationis Pij III. commendaturus, his utatur verbis: *Ardebat cupiditate Ecclesiæ mores astringendi acriori censura, ac præsertim urbis Romæ, & curiæ, totius tetrum odorem amovendi,* a. Ch. 1503. S. 7. Cùm Lutherus reformandi faceret initium, eo loco reperit Curiam Romanã, ut doluerit, Leonem ibi Pontificem, tanquam inter lupos agnum, versari, qua de re *Sleid.* l. 2. Ad aulam deinde Romanam transit, uti vocant, eamque dicit esse magis, quàm fuit

fuit olim aut Babylon aut Sodoma, corruptam atque ſceleratam, & ad illius impietatem nihil adjici poſſe, ne ab ipſo quidem Antichriſto: Vehementer itaque ſibi dolere, quod ipſe velut agnus inter lupos ibi verſetur: Indignam eſſe Romam, cui vel ipſe, vel ipſius conſimiles viri boni præſideant: multa quidem ſe ſcripſiſſe, quę ad doctrinæ pertineant emendationem atque vitæ, non quòd Romam ſanari poſſe credat, verùm, ut ſaltem aliquos ab illo vitiorum ergaſtulo liberaret: multò ipſi præſtare, ſi vel tenui ſacerdotio contentus, vel è ſuis copiis & patrimonii facultatibus vitam toleraret, remotiſsimus ab illis peſtibus & aſſentatoribus, qui ſuis cupiditatibus & ambitioni nomen ipſius & authoritatem obducant: Bernardum deploràſſe Pontificis Eugenii conditionem tunc, cùm adhuc eſſet aliquot Roma purior: nunc verò quando ſit omnium locorum totius orbis terrarum fœdiſsima ſentina, & inexhauſta quædã colluvies, multò rectius ipſum, qui præſidea tibi deplorari poſſe. *Hæc Lutherus.* II. *A conſiliis Reformationem vel ſuadentibus, vel urgentibus neminem magis abhorruiſſe quàm Curiæ Romanæ Præſules, Cardinales præſertim*, uſque adeò ut ipſos etiam Pontifices meliori paulò aura afflatos à propoſito, deterruerint. Nemo dubitabit, cui ſuperiorum ſeculorum Hiſtoria eſt nota. Præter ea, quę jam ſparſim, litera præcedenti, ſuggeſsimus, audire placet orationem *Franciſci Soderini*, Præneſtini Cardinalis, dicti *Volaterrani* ad Adrianum VI. habitam: Minimè eſſe ſperandũ, *inquit*, ut per emendationẽ morum Curiæ Romanæ deleantur, & exterminentur Lutherani:

eam potius esse rationem augendæ ipsorum & existimationis, & contumaciæ. Imperitam enim plebem, quæ ex eventibus solet judicare, comperto semel, ex emendatione cœpta Pontificiam Ecclesiæ gubernationem parte aliqua jure reprehensam: facilè sibi persuasuram, non minus justas esse causas aliarum proponendarum, quæ similem requirant emendationem, ipsosq; hæreseon authores, in uno aliquo victoriæ compotes, nunquam congrediendi & coarguendi finem facturos. In cunctis rebus humanis usu venire, ut cui in aliqua postulatione satis est factũ, is postulata postulatis accumulans, omnia impetrare discupiat, & suo sibi jure deberi credat. Historias veteres volventibus liquere, ex quo tempore natæ sunt hæreses, Ecclesiæ Romanæ authoritatem vellicantes omnes, corruptos Curiæ mores conatibus suis obtendisse. Præterea neminem unquam Pontificum reformandi viam, quasi rebus suis utilem, secutum: sed adhibitis primum monitis & præceptionibus continuò Principes ad Ecclesiam protegendam accivisse. Quod ante ævo cessit feliciter, id arctè terendum, observandumque: neque ulla ratione citius everti Rempubl. quàm mutata Regiminis forma. Novis & insolitis aditum patefacere, esse perinde, ac grandibus se objicere periculis: longè tutissimum incedere via piorum Pontificum, quorum incœpta felicem habuere exitum. Nullum eorum hæreses reformationibus excidisse, sed Cruciatis, quas vocant, excitatis contra eas, Principibus & Populis, Crucis symbolo insignitos. Neque verò Reformationem ullam posse institui, quæ ob-

obventiones Ecclesiasticas non insigniter diminutum eat. Quarum cùm quatuor sint fontes, unus temporalis, status Ecclesiastici reditus ordinarii: alii spirituales, Indulgentiæ, Dispensationes, & Beneficiorum collationes; nullum horum posse obthurari & occludi, quin de repente de censu Ecclesiastico quarta pars decedat. *P.Venet.*p.25. Hæc Curiæ Romanæ arcana erant: hæ certissimæ toties totiesque impeditæ reformationis causæ, quæ tam diu Ecclesię commodis obstiterunt; quamdiu ejusmodi de Epicuri grege porci id negarunt, quod in oculis omnium versabatur, & quod ne ipsi quidem inficiari poterant, Pontifices, videlicet; *Ecclesiam in capite & membris reformandam.* Sed de reliquis Curiæ Romanæ, totiusque Cleri nævis, plura dicemus, aphorismo XII.

X. Hic verò notandum, quòd, etsi turgida illa, & Bonifacio VIII. digna Constitutio; *Unam* [a] *Sanctam, &c.* hoc iterum seculo à Romano Præsule, fuerit restaurata, cavere tamen idem non potuerit, quominus [b] Imperatores, Reges, Principes, Respublicæ, sacra licèt in Papatu recepta amplectentes, sedi Romanæ, eo etiam tempore; quo scandali periculum ex Religionis dissidio erat maximum, graviter se opposue-

fuerint, adeóque authoritatem Pontificiam multis modis labefactârint.

[a] Quod factum est an. Ch. 1516. in Concilio Lateranensi sub Leone X. *Et cum de necessitate salutis existat, omnes Christi fideles, Romano Pontifice subesse; prout divinæ Scripturæ; & Sanctorum Patrum testimonio edocemur, ac Constitutione Fe. Me. Bonifacij Papæ VIII. similiter Prædecessoris nostri, quæ incipit;* Unam Sanctam, &c. *declaratur, pro eorundem fidelium animarum salute ac Rom. Pontificis, & hujus sanctæ sedis suprema auctoritate, & Ecclesiæ suæ sponsæ unitate & potestate, Constitutionem ipsam præsenti Concilio approbante innovamus, & approbamus, &c.* Bzov. a c. pag. 282.

[b] Neque enim ita illi obbrutuerunt, quin Pontificiæ protervitæ pilum & stylum sæpe opponerent. Toto hoc sæculo vix unus fuit Pontifex, qui Constitutionem illam, in se multimodè violatam non viderit, & seriò deplorârit. Sub *Alexandro VI.* in Germania (verba sunt Bzov. an. Ch. 1501. S. 16.) emerserunt aliqui, qui & in censuris Ecclesiasticis posse, citra suspicionem hæresis, insordescere pronuntiabant, & judicium supremum Romani Pontificis subterfugere videbantur. Abbas & conventus Monasterij VVissenburgensis, Spirensis Diœcesis; ab Ioanne Trota, Equite aurato, Morsa quodam,

dam, & Henrico Bockio militibus, diversas injurias acceperant. Die illis, apud Subsellia primæ instantiæ dicta, sententiam contra eos obtinuerant, remque judicatam reportârant. Sententiæ latæ, & edictis executorialibus, rei conventi obtemperare contemserunt, inque pœnas & censuras Ecclesiasticas inciderunt: quin etiam in ijsdē pœnis & censuris contemptores insordescere voluerant. Iterum aggravati, ingressu Ecclesiarum prohibiti locis omnibus, ubi consisterent, aut venirent, Ecclesiastico interdicto suppositi, ac invocatione brachii secularis contra eos expedita, nihilominus contumaces, atque pervicaces omnia flocci faciebant. Non potuerant judices, & universi homines aliud de refractariis pronunciare, quàm suspectos illos fore de hęresi; postquam Claves Ecclesiæ nihil facere viderentur. Famâ contemptus istius Romam perlatâ, Auditor causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ, jubente Alexandro Papa, diem illis Romæ dixit, ad docendum, quid de fide Catholica sentirent; & de aliis similibus, quæ in casibus emergentibus accidere consueverunt. Metuentes, ne quid grave illis Romæ eveniret, venire recusârunt; sed tamen rationem suæ fidei Pontifici dederunt, atque coram judicibus ordinariis audiri postulârunt. Ita Alexandro scribebant: *Sanctissimo in Christo Patri & Domino, Domino Alexandro, divina Providentia Pontifici Maximo, Joan. de Trota Eques auratus, Johannes Morsa, & Henricus Bock, armigeri, post humilem S.V. pedum oscu-*

osculationem. Venit ad nos, Beatissime Pater, triste novum, quo certiores facti sumus nos à Fiscale S.V. ad Urbem esse citatos, sub pœna duorum millium ducatorum, ut in proprijs personis coram Auditore Cameræ comparituri doceamus, nos Christianos esse, ac si quid novi de fide sentiamus: alioquin hæreticos & prædictæ summæ reos esse declarandos. Dolemus, nostras personas ad tantam distantiam vocari, quos in patria nostra coram Ordinarijs nostris, judicibus & immediatis potius conveniri oportuisset: qui Romæ linguæ ignari, non chartis, sed armis & militari disciplinæ hactenus operam dedimus. Verùm, ne omnino famam nostram, & V.S. Fiscalem contempsisse videamur, cupimus & speramus, has nostras agrestes literas pro nobis, quibus & molestum est, Romam proficisci, excusationis munus supplere, neque dubitet S.V. nos esse Christianos, & bene de Christiana religione sentire; quippe qui à parentibus nostris, avis, proavis, cæterísque majoribus Christianissimis progeniti, Ecclesiæ Sacramentis initiati, inter Christianos educati; in fide & doctrina

Christiana instituti, non aliter sentimus, quàm quod à doctissimis & religiosissimis viris, Regularibus & Secularibus Sacerdotibus edocti sumus, & in dies edocemur. Conjuncti sumus denique familiaritate Christianissimo Principi, qui Deum colit, divinũ cultum instaurat, Templa & aras exornat, rem divinam & verbum Dei diligenter audit, Clerum observat, Ecclesiæ defert, justitiam amat, tyrannidem & omne vitium odit; qui non solùm de adulterio, sed neque de gestu, verbo, vel risu impudico notatus est: cujus tanta fides, & integritas est, ut nullum prorsus non-bene de religione Christiana sentientem, in palatio, aut quocunque ministerio suo toleraret, & pateretur. Ut verò singularius & districtius quid de fide sentiamus, Vestræ Sanctitati constare possit, nos humiles, & devoti Ecclesiæ filij, credimus & confitemur, unum esse Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum: Filium incarnatum, & passum, resurrexisse, suæq; resurrectionis exemplo omnes homines tandem resurrecturos. Credimus, unam esse Ecclesiam, & unam primam sedem

Ro-

Romanam, in quam si quis Catholicus Canonicè, non temerè, nec corruptis suffragiis, sed justa electione ritè ascenderit, nec primam illam dignitatem malis moribus & exemplis infecerit, nec ovibus, Christi sanguine emtis scandala præbuerit (sed quos, cedò, ipsi nobis Pontificii tales dabunt Pontifices?) *eum esse Patrem, Pastorem & Judicem universitatis, & ei à cunctis obediendum, eum ligandi atque solvendi habere potestatem, clave non errante. Credimus, Deum esse justum, puniturum æternis ignibus, gravia supplicia, veluti latrocinia, sacrilegia, superbiam, injuriam, vanitatem, abusum patrimonii Christi, concubinatum, Simoniam, cæteráq; enormia peccata, propter quæ Christiana religio labitur, & omnis Christianorũ ætas scandalizatur. Hæc indubitantì fide credimus, & quicquid Sancta universalis Ecclesia, quæ Generale Concilium reputatur, definierit. Orantes obnixè & supplicantes, ut S.V. Fiscalem compescat, eíque silentium imponi mandet. Nam, etsi alienam avaritiam explere possumus, non tamen ideo meliores Christiani judicaremur.* Scripta hæc sunt ad

Alexandrum, Pontificem omnibus penè sceleribus & vitiis infamem, quæ hominem, Germanorum istorum judicio, sede Romana indignum reddiderunt. Sub *Iulio II.* jugum cæcæ illius obedientiæ, constitutione Bonifacij imperatæ, excusserunt I. *Galli*, quorum a. *clerus* sanctione Pragmatica adeò manifestè authoritatem Pontificiam concussit, *ut abolere illam tanquam perniciosam, in Dei offensam, & Ecclesiæ Romanæ vilipendium, & evidens detrimentũ, introductam, Iulius* nisus quidem fuerit, eniti tamen non potuerit. Vide *Bzov.* a. Ch. 1517. S. 8. b. Ipse *Rex* aperto non semel Marte, cum exercitu Pontificio, variante licèt fortuna, conflixit. Vide sup. pag. 541. Quibus adde illud *Thuani* Hist. lib. 1. pag 30. *Cum Julio II. non eandem amicitiam coluit Ludovicus, quippe eum infestissimum hostem semper expertus, quem gratissimum amicum habere debuit: quæ odia eò evaserunt, ut temerè & injuriosè Rex à Pontifice proscriptus primò Lugduni Synodo Præsulum Regni convocata, in jus ipsum vocaverit, dein auctoritate quorundam Cardinalium Mediolani congregatorum Concilium Pisis indixerit, in quo de emendando Ecclesiæ statu ageretur, & juxta regulam ultimi Concilij Constantiæ sub Sigismundo celebrati, in caput &*

& membra inquireretur, quin & eo usque provectus est, ut spretis multis multorum, quibus alioquin plurimum tribuebat, suasionibus, moribundi senis inaneis diras contraria obnuntiatione generosè revicerit, cuso etiam Neapoli aureo nummo, qui effigiem suam ex una parte, & insignia Neapolis ac Siciliæ ex altera referebat, cum hoc elogio PERDAM BABYLONIS NOMEN; quales adhuc hodie reperiuntur. Julio tamen mortuo; ut idem scribit Thuanus: *aßiduis multorum hominum atque uxoris imprimis, imperiosæ fœminæ, querelis victus, Pisano Concilio renuntiavit, & ut Leoni X. gratificaretur, Lateranensi subscripsit, consultius, multorum judicio, facturus, si in laudabili corrigendæ Ecclesiasticæ disciplinæ proposito perseverâsset, nec in odio, quod tam pertinaciter contra Helvetios, potentissimos hostes, exercuit* (quod & Lud. *L'Escarbot* judicium est: vide Method. legendi Hist. Helvet. pag. 491.) *adeò constans fuisset. Hæ ergo inclinantis nostri Imperij causæ, & adversæ simul fortunæ.* Ita etiam *author. Concil. Trident.* pag. 4. Fateor in Ecclesia tunc periclitatum Schismate, Iulio II. Pontifice ad rem bellicam administran-

dam, quàm ad functionem Sacerdotalem obeundam attentiore,& Pontificatum ſuum erga Principes & Cardinales ſic ſatis pro Imperio gerente, ut nonnullos horum ad ſeceſsionem & Concilium indicendum adegerit. Quibus cùm Ludovicus XII. Galliarum Rex, ab eodem Pontifice extra Eccleſiæ communionem ejectus,ſe ſe ſejunxiſſet, *abjurata illi obedientia*, iſthæc hominis fortitudo à pleriſque putabatur in nervum eruptura. II. *Germani.* An.Ch.1505.Imperator Maximilianus proſcribit Decanum & Capitulum Trevirenſe, quod Comitem quendam Imperij apud Pontificem Romanum accuſarent contra libertatem Imperij, & ab actione diſcedere nollent.*conſt.Imp.Calviſ.* Idem ille,cùm Archidux adhuc eſſet,evocationi Pontificiæ ſe oppoſuit. Poſtquam enim Sixtus IV.literis Romæ datis d.2. Iunij, an.Chr.1477. Theodoricum Thulden, Cœnobij Parcenſis in Brabantia Abbatem in urbem evocaverat, ut de læſa authoritate ſedis Apoſtolicæ coram eo cauſam diceret, Maximilianus ea re cognita, literis Abbatem monet 23 Novemb.1478.ne Pontificiæ evocationi morem gerat, *Vobis,inquit, diſtrictè præcipimus & mandamus, ne eam ob cauſam extra Patrias vos abſentitis,imò ſtatim viſis præſentibus ad nos veniatis.* Vide *Numæ Sedulij* defenſionem Belgarum contra peregrina judicia, & Bullæ contra Ianſenitas editæ receptionem; c.2. *Vlricus Huttenus*, nobilis Francus, Germanica lingua 1520. edidit libellum hiſtoricum de perpetua Pontificum

tificum Romanorum inobedientia adversus Imperatores: in quo sub finem recitat dictum Maximiliani I. de Leone X. cùm fidem non servâsset: Nun ist diser Papst auch zu einem böswicht an mir worden. Nun mag ich sagen/daß mir kein Papst so lang ich gelebt/je trew oder glauben gehalten hat: Hoffe/ob Gott will/diser sol der letzte seyn. III. Siculi, de quibus Bzov. an. Chr. 1512. *quòd Regem in clerum armârint, asseverantes, Regi Siciliæ jus esse in Sacra, & sacros, ut poßit omnia, quæ Legatus Apostolicæ sedis potest, scil. ad subsellia sua Clerum evocare, jus in omnibus controversiis dicere, anathemata & alias censuras publicare, solvere, aggravare, in Conciliis provincialibus præsidere, Conciliorũ decreta intervertere, Ordinariorum auctoritati contraire, Episcopos & Cardinales quoscunque, etiam in carcerem conjicere, & alia omnia, quæcunque in Ecclesiasticos & exemptos, decernere quæ ipse summus Pontifex, si præsens esset, decerneret.* Imò, *Regem Siciliæ, posse ad Sedem Apostolicam interpositas appellationes impedire, & ne quispiam Romanum Pontificem conveniat, prohibere, neve summus Pontifex aut Legatum aut Nuntium quem-*

cunque in causa Ecclesiastica in Siciliam mittat, aut aliqua diplomata eo scribat, vel quippiam jurisdictionis ibidem, invito Monarcha, in Ecclesiasticos exerceat, aut sine Exequatur regio indulgentias, gratias, aut Concessiones quascunque publicet, statuere. *Leoni X.* acriter restitit Gallia. De Rege nihil dicam; repeti interim possunt Epistolæ Pontificis ad Helvetios contra Galliarum Regem scriptæ, *Meth. leg. Hist. Helvet.* pag. 497. Curia, cùm videret, demulceri Regem blanditiis, & sub prætextu novorum privilegiorum, vetera paulatim aboleri, ægro tulit animo, quod mutare difficulter poterat. Confirmata enim inter Regem Franciscum & Leonem an. Ch. 1515. amicitia, hoc Pontifex Regi addidit munus, ut; sublata (*Thuan.* lib. 1. pag. 33.) Veteris Ecclesiæ à DEO & Apostolis ministros eligendi instituta consuetudine; jus esset Regi, quos vellet; per Oratores suos apud Pontificem proponere & eos in Episcopos aut cœnobiorum præsules diplomate suo creare Pontifex obligaretur. Id actum Antonio Pratensi, Franciæ Cancellario suggerente, qui postea in Collegium Cardinalium cooptatus, & perpetui per Galliam Legati dignitate ornatus est. Causæ obtendebantur, quòd corruptis moribus per gratiam & sordeis omnia agerentur: Vnde frequentes altercationes, & perplexæ lites magna ordinis Ecclesiastici infamia passim exoriebantur, quarum exemplo & contagione etiam ad causas civileis litigiorum virus in Gallia dimanâsset: aliter

ter non posse iri obviam fœdis conventionibus & nundinationibus, quàm si arbitrio Christianissimi Principis & sanctissimi Pontificis, quos ab omni corruptionis suspicione abesse procul dubio esset, res permitteretur. Acta publica de ea re inter ipsos confecta: quod adeò odiosum omnibus regni ordinibus visum est, ut in Senatu Parisiensi, in quo hujuscemodi res, ex antiqua regni consuetudine, prius habita solenni deliberatione approbari debent, post multas jussiones, vix tandem impetrari potuerit, ut in acta publica Curiæ absque ulla approbatione referatur. Iudicio multorum id exitum Francisci rebus & ejus generi, atque Pratensi ipsi attulisse creditur; editisque postea libris, ipsorum memoria passim eo nomine proscissa est, nec defuerunt, qui jam tum culpam potius in Leonem rejicerent; neque enim novum aut sine exemplo esse, apud nos, Regum eam potestatem fuisse, præcipuè in Prima & Secunda familia, ut Episcopos instituere, accedente Provincialium Episcoporum inauguratione, & aliquando etiam deponere possent. Id verò in eo, qui ipse fratrum suffragiis eligatur, novum & minimè ferendum fuisse, quòd Episcopos & alios præsules eligendi potestatem iis, ad quos jure divino & sacris Patrum decretis pertinet, ademtam, ad se summa injustitia traxerit, ut eam, pretio accepto & causa Religionis, impia prævaricatione, prodita, Christiani orbis Principibus turpiter divenderet. Peccatum tunc in sacris muneribus dispensandis admissum Leo mox longè graviore cumulavit. Nam cùm alioquin ad omnem licentiam sponte sua

ferretur, Laurentij Puccij Cardinalis, hominis turbidi, cui nimium tribuebat, impulsu, ut pecuniam ad immensos sumtus undique corrogaret, missis per omnia Christiani orbis regna diplomatis, omnium delictorum expiationem ac vitam æternam pollicitus est, constituto pretio, quod quisque pro peccati gravitate dependeret: in eamque rem per provincias quæstores & æraria ordinavit (*quales & Julius hinc inde constituerat, quorum tamen pecuniam ex universa Germania in bellum Turicum ex Indulgentiarum concessione collectam, arcâ reseratâ, Groningani depromtam in stipendia præsidiariorum expenderunt*; Bzov. an. Ch. 1506. S.7.) quibus additi præcones, qui tanti beneficij magnitudinem apud populum commendarent, & orationibus artificiosè compositis, propositisq; palam libellis rei efficaciam immoderatè extollerent: quod licentiosè nimis à Pontificiis ministris passim atq; in Germania præcipuè fiebat, ubi, qui redimendam pecuniam Romæ à Pontifice conduxerant, per lustra & popinas cottidie sine pudore in aleæ lusum usúsque turpissimos, potestatem extrahendi animas defunctorum ex igne expiatorio profundebant. *Hactenus Thuanus*. Memorabile judicium authoris gravissimi, Pontificij licet, de *Leone X*. & impia ejus venundatione Indulgentiarum, de qua tamen, suo loco, prolixius. Quo in pretio idem *Leo* fuerit apud Maximilianum Imperatorem, jam modò indicavimus.

inus. Si ad *Clementem VII.* pergamus, videbimus, omnium penè manus fuisse in ipsum. 1. *Carolus V.* ut injuriam sibi à Pontifice illatam ulcisceretur, non modò nominis Pontificij auctoritatem per omnem Hispaniam abolevit; *Thuan.Buchh.*1526. sed & urbem ipsam in potestatem suam redegit, quo ipso Galliarum Rex, Epistolâ ad Pontificem datâ, ejus in Ecclesiam Romanam merita extenuare conatus fuit. Quôd sibi (verba sunt Regis ad Pontificem *Sleid.*l.15.pag.174.) præferri Cæsar velit, quasi de Ecclesia Romana præclarè sit meritus, esse ridiculum atque leve: Nam nec illius majores, cùm suis, nec ipsum etiam debere secum, hac quidem in parte, componi; scilicet egregium esse filium, & prima laude dignum, cujus exercitus patrem familias, Clementem VII. obsedit, vexavit, cepit, & primam orbis terrarum urbem diripuit, & templa Deorum immortalium non uno modo polluit, nec ullum ibi flagitij genus atque libidinis & crudelitatis prętermisit, qui ludibrium etiam adjunxit ipse huic tantæ immanitati, quando vota nuncupavit in Hispaniis, & supplicationes decrevit pro liberatione parentis, quem ipse domi captum arctissimè detineret. Lachrymas ei Megarensium, seu fletum ad novercæ tumulum exprobrat Rex Galliarum, quem & literati Pontificii in Carolo reprehenderunt. Direptæ urbis Romæ, scribit *auth. Concil. Trident. P. Venetus*, lib.1.pag.48. & capti Pontificis nuntius cùm ad Cæsarem esset allatus, maximum ille animi dolorem externis multis signis publicè testatus, jussis etiam cessare ludis & spectaculis, quæ

propter

propter recens natum ei filium die ejus mensis 12. Valladoleti celebrabantur. *Sed religionis pietatísque suæ multò majorem omnibus fecisset fidem, si suis simul imperâsset, ut Pontifex libertati restitueretur. Verùm, cùm ille totos 6. menses ab eo tempore in custodia detentus fuerit, facilè omnes perspiciebant, quantum inter veritatem & fucum interesset.* Sed &, ante urbis expugnationem, aculeatas satis ad Pontificem dedit literas, in quibus duo tangebantur arcana, quæ animum ejus exulcerabant. *Alterum erat, quòd, contra Pij & Julij II. constitutiones, à Pontifice ad futurum Concilium provocârit; alterum, quòd Cardinales invitaret ad indicendum Concilium, si Pontifex vel renuisset, vel in convocando moram nimis longam interposuisset;* Id. pag. 44. Et quanquam Pontificia tyrannis secularibus omnem penè religionis curam abjudicet, decretum tamen an. Chr. 1530. Augustæ, Imperatoris authoritate, fuit editum, de quo cùm per Legatum certior fuisset factus Pontifex, *doluit vehementer* (Id. pag. 62.) *quòd de nonnullis capitibus inter eos convenisset, sed multò magis, quòd ceremonijs quibusdam abolendis assensum suum accommodâsset; auctoritatem Pontificiam*

hoc ipso violatam existimans, quando tanti res momenti se inconsulto agebatur. Hæc ratio fuit in Germania. II. In *Anglia* Henricus VIII. Catharina, an. Ch. 1533. repudiata, duxerat Annam Boleniam. Cùm itaque d. 23. Martii anni sequentis Clemens sententiam contra Regem tulisset, Rex continuò decretum fecit, quo se per Angliam Ecclesiæ caput, proximum à Christo pronunciavit, & capitis pœnam constituit, si quis Episcopo Romano supremam potestatem adscriberet: tributum etiam annuum (Petri nummum vocârunt) Romani Pontificis quæstori dari solitum, denegavit. *Chyt. Buchholz. Calvis.* III. *Veneti* etiam jus suum, urbium designandi Episcopos, à Clemente restitutum sibi volebant. Magno ardore causa hæc suscepta & acta fuit, teste *Mauroc.* lib. 4. apud *Bzov.* an. Chr. 1530. S. 127. Eodem anno Senatus Venetus, quod superiori anno negotium cœperat, temporisque conditione intermissum fuerat, de majoribus nempe sacerdotiis eligendis, denuo suscepit, cùm nimis grave videretur, ea se authoritate exui, qua urbium Antistites designare, ac summis Pontificibus confirmandos exhibere majores consueverant: quod priscum Reipub. institutum præteritorum bellorum varii casus interverterant. Quapropter à Clemente Senatus enixè petebat, ne antiqua jura Reipublicæ de Apostolica sede optimè meritæ adimeret, idque vel priscis illius, vel recentibus meritis tribueret, quod pro Italiæ dignitate & libertate retinenda tot, tantisq; curis ac periculis obstinatè adeò laboraverat.

Cle.

Clementis verò hac in re difficilis animus pleros-que Senatores ſic affecerat, ut quos ille Antiſtites delegiſſet,eos in Sacerdotiorum poſſeſsionem nullo pacto mitti vellent; atque inter cæteros Chriſtophoro Marcello Corcyræ Archiepiſcopo vita defuncto, in ejus locum Iacobo Cauco ſuffecto, cùm ab eo poſſeſsio peteretur, atque Senatus conſultum ea de re ab univerſo Collegio latum fuiſſet, rejectus fuerat: neque alii quàm Hieronymo Barbadico, quem Senatus delegerat, Sacerdotium id conceſſuri Senatores videbantur:qua re commotus Pontifex indignè ferebat à ſe delectos Antiſtites repulſam à Senatu pati; jura Eccleſiæ nunquam lædi, vel imminui, paſſurum ſe affirmans; præteritarum injuriarum memoriam ſæpe revocans, & crebris ſermonibus uſurpans. Quo fiebat,ut in diverſas ſententias Senatores diſtraherentur. Nonnulli inſiſtendum, & conſtantem Reipublicæ cauſam defendendam eſſe contendebant; ſi nullo modo flecti ſe poſſe Senatus oſtenderet, æquis Clementem illius poſtulatis aſſenſurum: ſi diſsidentes Senatorum ſententias perſentiret, ſi nutare ac labare mentes animadverteret,nemini dubium,quin nihil impetrari à Pontifice poſſet: unanimi conſenſu Senatus, Clementis obſtinatam mentem frangi poſſe; nulla re magis everſas Reipublicæ res priſtinæ dignitati ac decori reſtitutas fuiſſe, quàm obnixa omnium civium voluntate. An verò ea de re nunc agi, quæ nihil momenti, vel ad dignitatem, vel ad utilitatem Reipublicæ conferat? Exteros homines nonnunquam inſigniorum urbium Antiſti-

tiſtites creatos, multa ſæpius agere, quæ à Reipublicæ rationibus magnopere ſejuncta ſint, quod alteri opes ſuas atque fortunas, non Senatui, cui maximè oporteret, acceptas referant; ingentibus divitiis, quibus etiam ſupra votum abundarent, ad eorum gratiam promovendam facile abuti, quorum opera dignitatis aliquam ſibi acceſsionem ſpondeant; à Senatu non modo cives, in patriam natura propenſos, ſed ſanctiſsimos viros præterea deligi, vitæ integerrimæ, exemplis apud omnes in honore habitos. Quid verò? Reges alios, ac Principes civitatibus ſuis Sacerdotes omnes majores impartire, Senatum Venetum eo tantum privari, quod continuis temporibus majores obtinuiſſent? Irent nunc, Pontificisque minis, à tuendis publicis rationibus, deterrerentur, indies majora atque acerbiora toleranda: an verò metuendum eſſe, ut rurſus bellum hac de cauſa non exardeſcat? Neminem pacem magis, quàm Clementem exoptâſſe, bellorum pericula maximo ſuo cum damno expertum, nunquam eodem ſe revolvi paſſurum. Contra verò, qui altius rem inſpiciebant, difficile admodum, atque arduum opus eſſe à propoſita revocare ſententia Clementem arbitrabantur; nec è Republica cenſebant, ſimultatum atque odii ſemina in illius animo ſerere; cùm ad præſentem Italiæ ſtatum retinendum, nihil magis, quàm Reipublicæ cum Pontifice amicitiam conducere poſſe putarent. In tot maximorum ac præpotentium Principum ambitioſis cogitationibus nihil tutius eſſe, quàm hoc uno, veluti fortiſsimo munimento inniti. Neque

que deerant, quibus non satis probaretur, Ecclesiasticarum dignitatum & opum spe civium mentes ali, qua nonnunquam deliniti & capti, ardorem atque studium, quo patriam complecti oportuisset, sensim remitterent. Moderato victu, ac privatorum divitiis auctam esse Rempubl. in qua ornanda & amplificanda omnes perpetuò insudarent, dum cives, quicquid gloriæ, quicquid dignitatum, quicquid opum foret, id omne non sibi, sed commodo publico computarent. Retinendos priscos sapientissimorum hominum mores, non faces ad ambitionem ac luxum civibus adhibendas. Hæc atque alia hujusmodi variis sententiis jactabantur, cùm Senatus in summi Pontificis gratiam, quos Antistites delegerat, in possessionem Sacerdotiorum misit, leniusque cum eo agere cœpit, ut priscum jus reciperet; licèt aliarum rerum, quæ postea consecutæ sunt eventibus cunctatione longius negotium traheretur. IV. Ipsi etiam *cardinales* quemadmodū instituto contra Iulium II. Concilio, solio eum Pontificio judicârunt indignum; ita & Pompejus Columnius, Cardinalis, Clementis diras, quibus Columnios urbem oppugnantes & capientes, hæreticos & schismaticos decrevit, *insuperhabuit,* (*P.Venet.*p.45.) *provocationem ab ijs ad Concilium publicavit, proposita non solùm Edicti monitorij & censuræ Pontificiæ iniquitate & nullitate; verùm etiam Ecclesiæ universalis necessitate, quæ in maximas angu-*

gustias conjecta, sublevari aliter non poterat, nisi legitimi Concilij ope, capite & membris reformatis. Cùm *Paulus III.* Concilij cursum sufflaminaret semper, & sisteret, Angliæ Rex a. Ch. 1539. publico scripto docuit, quomodo Pontifex Ecclesię illudat in indicendis Conciliis: idem tamen Rex, cùm Pontificis potestatem tota Anglia exegisset, & omnia cœnobia destruxisset, eorúmq; bona in fiscum redegisset, Pontificiam Religionem omnibus modis defendit. *Chyt. Calv.* Qua de re prolixius alibi.

Fortiter cumprimis Reges & Principes Pio IV. restiterunt, non Protestantes modò, sed & Pontificiæ religioni addicti. Et de Protestantibus quidem constat, quòd, cùm a. Ch. 1561. ad Concilium Tridentinum literis, quarum inscriptiones erant, *Dilecto filio, Nobili viro, Duci aut Comiti;* invitarentur, Principes nō resignatas Legatis reddiderint, addito responso: *Nullam se jurisdictionem Pontificis agnoscere, neque verò opus esse, ut Pontifici, quid suæ voluntatis sit, in Concilij negotio, cujus indicendi aut habendi potestatem ipse non habeat, aperiant.* *Daniæ* Rex non dissimiliter ijs respondit: *Nihil parenti suo Christiano, nihil sibi unquam cum Pontifice negotij intercessisse, nec proinde mandata, quæ ab eo haberent, cognoscendi cupidum esse;* *Elisabetha* Regina Legatum è Belgio in Insulam trajicere prohibuit. Sed & *Ferdinandus* Imperator, qui

calicis restitutionem cum Alberto Bavariæ Duce, exposcebat, cùm obtinere eum non posset, non sine indignatione ad Maximilianum filium conversus exclamavit: *Quadraginta annis offensus fui generationi illi & dixi; semper hi errant corde.* *Lat.*lib.c.pag.568. Nota etiam *Accoltij* contra eum est conjuratio. *Gregorius XIII.* apud Henricum III. ut & senatum Parisiensem; quòd in excomunicatione Franciscanorum aliqua fustigationis specie usus esset, malam inijt gratiam. *Id.* p.657. Bellum inter Clementem VIII. & Cæsarem Estensem, propter Ducatum Ferrariensem, an. Chr. 1597. exortum, sequentis demum anni die 30. Ian. amica transactione fuit compositum: *Buchh.* Hoc animo in Pontificem fuerunt ipsi Imperiorum, Regnorum, Rerumpublicarum Monarchæ & Antistites: Cardinalium vel fortunam, vel reverentiam metire ex querela Leonis X. decreto προφυλακτικῷ, in Concilio Lateranensi an. Chr. 1517. edito, his verbis præmissa: *Temerariorum quorundam, qui S.R.E. Cardinales, præcipuos Catholicæ Ecclesiæ columnas; ea quà convenit reverentia, observare contemnunt, & in eorũ res et bona, manus violentas ausu sacrilego injicere non verentur; effrenata libido nos admonet, & inducit, ut ad eorum audaciam, antequam longius prorepat; comprimendam, ea, quæ à prædecessoribus nostris in dicto-*

dictorum Card. dignitatis conservationem provida sunt consideratione statuta, pro illorum observantia firmiori nostræ innovationis munimine roboremus, extendamus & ampliemus, pro ut temporum qualitas exigit, & tam eminenti in Ecclesia Dei dignitati conspicimus in Domino salubriter expedire. Sanè ab aliquibus citra temporibus damnabilis quidam in urbe inolevit abusus, & licentia delinquendi, quo, dum, Apostolica sede vacante; per Cardinales in conclavi existentes, de futuri Romani Pontificis electione tractatur, si qua de uno ex eisdē Cardinalibus; quod in Pontificem sit electus, vox prodeat, etiam non vera; illius domum vulgus armis aggreditur; & super ea diripienda, cum ipsius Cardinales conclave nondum egressi, familiaribus, eam custodientibus, vi contendit; & si etiam effractis foribus, aut pariete effosso, aditus pateat, in prædam omnium bonorum quæ ibi extant; hostiliter corruit, nisi armatorum præsidio defendatur, nonnullique quandoq; reperiuntur ita temerarij & audaces, ut alijs etiam temporibus, prætextu rixarum, domos Car-

dinalium hostiliter & cum armis aggredi non vereantur, in eaque morantes offendere & vulnerare, ex quibus Cardinalatus honori, quibus Sacrosancta militans Ecclesia, tanquam purpureo tota decoratur amictu, non parum detrahitur, & eorum generatur contemtus, & homicidiorum & aliorum scandalorum occasio exhibetur. Eant jam Pontificũ, Cardinaliũ, totiúsq; Cleri Romani palpones, & stentoreis ubique clamoribus studium, obsequium, atque reverentiam, Sedi, quam vocant, Apostolicæ, ab Imperatoribus, Regibus, Rebuspublicis exhibitam, commendent!

XI. Ita habet *capitis* anatomia: ordo nos ad ipsum *fert corpus Ecclesiasticum*, quod, pro triplici Seculi hujus periodo, triplici etiam examine considerandum venit.

XII. Fuit, prima periodo universa penè religio [a] Christiana, traditionibus & hominum mandatis oppressa: Pietas [b] superstitione magica, judaica [c] præsertim, suffocata: ceremoniæ [d] ἐθελοπερίσσῳ θρησκείᾳ, infectæ: fidei dogmata ad incertam [e] & fallacem libellam exacta: cultus Deo debitus hetero-

terolatria [f] varia, eadémque manifestè [g] suppostitia, corruptus: Regimen [h] tyrannide violatum: præconium verbi [i] histrionicè profanatum: reliqua officij functio [k] negligentia, & [l] αἰσχροκερδείᾳ notata: Clerus [m] ignorantia, [n] fastu, [o] studio simultatum, plura habendi beneficia libidine, summáque vitæ licentia [p] infamis.

[a] Momentosus est hic Canon, qui necessitatem Reformationis clarissimè evincit: Dignus proinde esset, cujus explicationi diutius immoraremur. Quia verò in parte θεραπευτικῇ ijdem & plures alij, exactius & κατὰ μέρος recensebuntur morbi, breviores nunc erimus, & Canonis nostri ductu, in quę Majores nostri inciderint tempora, strictim aperiemus. Fundi ergo Theologici, & profligatæ purioris doctrinæ calamitas fuit, quòd nondum Ecclesiarum Antistites didicerant, frustra coli Deum per διδασκαλίας, ἐντάλματα ἀνθρώπων, Matth. 15. v. 9. Erat certè hoc adhuc intervallo traditionum Ecclesiasticarum numerus indefinitus, & penè infinitus. Vnde quicquid Pontificibus Romanis Christianæ plebs obtrudere placuit, traditionum illi color fuit inductus, tanto cum piorum fastidio, ut de δυσβαστάκτῳ illo abjiciendo onere seriò cogitârint. Nec malè successit. Mox tamen ubi regnum Papisticum, fulcris his destitutum, ruinam

minaretur, nova quæsita subsidia à Conciliis & Ecclesia maximè, quorum potestatem judicialem immane quantum exaggerabant: splendidè mentientes, licere quicquid libeat. Sed & huic hydræ Hercules inventi, qui quantò diutius illigatis collis sub jugo illo gemuerunt, tanto majori animo illi se opposuerunt. Et quidē *Bullingerus* noster a.Ch.1538. duobus de Scriptura compositis libris Traditiones humanas acriter flagellavit, præsertim l.1.c.13.14. Ita Lutherus a.Ch.1539. *cùm tam frequens esset* (mutuatur sua mihi verba *Sleid.*l.12.pag.143.) *in omnium ore Concilij nomen & Ecclesiæ, de utroque librum edit lingua populari. Et primò quidem tractat de conventu Apostolorum Hierosolymæ, cujus mentio fit Actorum c.15. Contrarias deinde Doctorum sententias, Augustini præsertim & Cypriani de Baptismo, recenset, & per eam occasionem meminit earum legum, quæ vulgò dicuntur Apostolorum Canones, & indubitatis argumentis demonstrat, adulterimas esse, quiq; talem eis titulum affingunt, rei capitalis esse damnandos: ordine postea recitat quatuor illa Concilia, quorum præcipua est authoritas, Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense, & quibus de causis conventum sit ibi, quídque decretum,* ex-

explicat: Post ad primariam quæstionem venit, & quæ sit Concilij potestas, ostendit. Itaque non licere Concilio, dicit, ullum novum dogma concedere, nec novum aliquod opus mandare, nec Ceremonijs novis hominum mentes alligare, neque civili gubernationi se se immiscere, neque decreta facere, quæ paucorum potentiæ conducant: sed illius esse officium, ut nova dogmata Scripturæ sacræ dissentanea, novasque ceremonias vel superstitiosas vel inutiles Ecclesiæ, tollat & condemnet, vel quæ veniunt in controversiam, ex præscripto verbi divini cognoscat & dijudicet. Ecclesiam deinde definit, & quibus ex notis ea debeat cognosci, demonstrat, & collatione facta, quid Christus, & Apostoli doceant, Pontificem, qui longè diversam doctrinam in Ecclesiam invexerit, & orbem terrarum nefarijs rationibus expilârit, condemnandum, & ad restitutionem esse cogendum dicit. Inter alia multa, quibus ostendit in eo libro, quàm densæ fuerint sub Pontificatu Romano tenebræ, quàm impura fœdáque religio huc fuisse deventum ajt, ut etiam vestis Mona-

chorum ad æternam salutẽ non parùm conferre putaretur, & plerique, non modò mediocres, verùm etiam optimates ita sepeliri vellent. Id quidem posteritas fortè non credet, sed tamen verum est, & in Italia potissimum fieri solebat, & nostra memoria Mantuæ Marchio Franciscus II. testamento cavit, ut in ordinis Franciscani, vel, ut vocant Seraphici veste sepeliretur : fecit idem Albertus Pius, Carporum Princeps Lutetiæ, & Christophorus Longolius, Belga, Patavij sepultus, vir cumprimis eruditus & Ciceronis admirator vehemens. Huc usque *Sleidanus.* Multi, dubio procul, multas toleràssent & Apostolorum & Ecclesiæ nomine jactatas traditiones, nisi amasiis illarum idem, quod Pharisæis, Traditionariorum nostrorum æmulis, accidisset, qui, Christo Servatore monente, *Matth.* 15.v.3. παρέβησαν τὴν ἐντολὴν τοῦ θεοῦ, διὰ τὴν παράδοσιν αὐτῶν; hanc injuriam cùm, οἱ κρείττονες ἄλλων, ferre non possent, Ecclesiæ faciem meritò aliam optârunt. Scribit *Eras. Roterod.* Epist. ad Paul. Volsium an. Ch. 1518. inter alia: *Illud demiror, plus satis his tribui, quæ fortassis (NB) jure reprehendi poterant. Rursus tam parum tribui his, quæ sola conveniebat spectari. Non insector con-*

vitiis,

vitiis, quòd Franciscani suam, Benedictini suam amplectantur regulam, sed quòd quidam illorum plus illis tribuunt, quàm Evangelio. Quod utinam non in plerosque istorum competat! Non insector, quòd alij piscibus victitant, alij leguminibus aut herbis, alij ovis: sed admoneo, vehementer errare eos, qui judaico animo ex his justitiæ persuasionem induunt, ex hujusmodi nugis ab homuncione repertis, se cæteris anteponunt, cùm iisdem pro nullo vitio habeatur, famam alienam mendacijs incessere. De ciborum delectu nihil usquam præcipit Christus, nihil Apostoli.

[b] Lactant. lib. 4. Instit. c. 28. ajt: *Superstitiosi vocantur non qui filios suos superstites optant (omnes enim optamus) sed aut ij; qui superstitem memoriam defunctorum colunt, aut qui parentibus suis superstites, celebrant imagines eorum domi, tanquam Deos penates. Nam qui novos sibi ritus assumebant, ut in Deorum vicem mortuos honorarent, quos ex hominibus in cœlum receptos putabant, hos superstitiosos vocabant; eos verò qui publicos & antiquos Deos cole-*

rent, religiosos nominabant. Unde Virgilius:

Vana superstitio, veterúmq; ignara Deorum.

Omnes superstitiones, novos omnes; perniciosa humani cerebri figmenta; cultus, qui ab aliquot Seculis in Ecclesiam irrepserunt & irruperunt, quis enumeret? Crassorum tantùm, & praxi, tum publica tum privata, commendatorum subjiciemus specimina. Diximus modò, non plebem tantùm rudem, sed & ποιμένας λαῶν animarum saluti consulturos vestem quæsivisse, non Servatoris Christi, sed peccatoris Francisci. Superstitio delira! Corporis periculis quos destinârunt Deos averruncos? Aquam magice consecratam, ramos, frondes, sonum æris Campaniæ, &c. Et cùm sobria nos doceat Philosophia; *Quantitatum per se nullam esse efficaciam*; superstitio tamen Papæ mancipiis aliud suasit; vim videlicet & efficaciam inesse tam *multitudini* quàm *magnitudini*, duabus Quantitatis speciebus. *Verborum* βαττολογία expugnare docuerunt Deum & Sanctos. Vnde ad numerum sphærularum precatoriarum, novo munitum Indulgentiarum pondere, preces exigebantur. *Verbis* panem numularium in Deum transformabant. *Verbis* peregrinis & sono tremendis vim ejiciendi Dæmones tribuebant. *Verbis* sortiebatur (sic sacrificulos ludit *VVier* de prestig Dem.l.5.c.3) vim, *aqua, extra primam DEI consecrationem, benedicta, vel sæpius inspersa, vel propi-*

pinata: Salitem exorcismo expiatus, cereæ paschalis eadem vi consecratæ particula, vel ejusdem thus, candelarum in die Purificationis contra pavidum (si Dijs placet) Dæmonem lustratarum, incensus, ramorum & frondium in die (vide & p.512.) *Palmarum sacratorum, item herbarum in ferijs D. Johannis Baptistæ ante ædes suspensarum, vel in solennitate assumtionis D. Virginis in templo aspergine lustralis aquæ solenni ex more, virtute ex alto adversus Satanæ potentiam majore quàm in prima DEI creatione indultarum suffumigia. & nescio quæ non ejusdem religionis ostenta, quibus in admirationem imprudentes illiciant, stuporémque incutiant.* Scribit in hanc sententiam Martinus de Arles Theologiæ Professor: *Multi ejus sunt sententiæ, ut quando campanæ ipso die D. Johannis vel pridie D. Agathæ pulsentur, non solùm profligare lemures, sed & lamias ne hinc inde vehi queant, aut etiam nocere credant.* Adde querelam ex communi Ecclesiæ praxi natam, pag. 512. & confer cum *Rituali Romano*, *Sprenger.* de malef. P. II. q. 11. c. 6. Flagello cumprimis Dæmon. *Mengi.* *Verba* præstabant securitatem ab igni, aqua, jactura & periculo omni.

Hanc

Hanc quidem spem facuint illi, qui ἀλεξιφάρμακον *Leonis* decimi (Epistola est, superstitione & characteribus Magicis planè referta) secum portaverit. *Verbis* morbos pellere armis vim adimere satagebant. Vide *VVier.* l. 5. c. 4. Habeo superstitionis hujus vestigia quædam domestica. Magni nominis civis Tigurinus ante Reformationem, à *Phylonardo Verulano Episcopo*, superstitiosam & Pharisaico typho inflatam obtinuit precandi formulam, quam, ut miseræ superiorum seculorum praxeos nunquam simus immemores, αὐτολεξεὶ inseram. Allmächtiger ewiger Gott/ich bitten dich demütiglich/daß du mich deinen vnwyrdigen diener nit lassest verderben von meiner sünd wegen/dañ ich dein geschöpft bin/ sonder durch des verdienen vnd fürbitt der heiligen Jungfrawen Maria vnd deiner lieben Heiligen / welcher heilthum in disem Altar oder Kilchen gentzlich oder zum theil ruwend / verleich mir zeit mich zebesseren / zerewen / vnd gnug zethun/ vnd mach mich theilhafft aller diser gnaaden / daß ich vor dem tag meiner hinfahrt durch wahre rewe/reine beicht vnd gäntzliche gnug thun/möge dir Herr gefallen vnd verdienen vereinigt werden den choren der Englen in ewiger seligkeit/Amen. Ita ne Cardinalis precibus, ubi nulla meriti Christi mentio, Indulgentias & peccatorum remissionem adscribat? Homi-

minum opera vitæ æternæ meritoria constituat? Satisfactiones, quas à solo devota Christiani mens expectat Servatore, Deo superciliosè obtrudat? Habes prodromum. Subjicitur huic immediatè precatiunculæ viaticum Leonis Carolo, freto se commissurũ, concessum, quo de sic loquitur: Das sind die wort vnd der brieff den Bapst Leo König Carolo sandt/vnd ist also bewert: Wer jhn bey jhme treit/vnd alle tag ehret mit einem Pater noster, vnd einem Ave Maria, dem mag kein hertzleid widerfahren/vnd jhn mag kein Waffen verschneiden/ hawen/ stechen/noch schiessen/ er mag auch in keinem thurn/wasser noch fewr verderben/ noch kein falsch vrtheil vber jhn geben werden/auch welche frawe jhn bey jhro treit/ vnd schwanger ist eines kinds/der mag nit mißlingen jhr geburt/ꝛc. Recitat deinde formulam, quæ non à Deo tantùm, sed ab Archangelis, Cherubinis, Seraphinis, novem Angelorum ordinibus, Martyribus, Confessoribus, Virginibus, Monachis, &c. benedictionem flagitat; quam tanta confidentia sibi promittit, ut finé scripto his verbis imponat: Nun müssind alle dise wort als vest seyn vnd als wahr/ als das heilige Evangelium ist/vnd als wahr ist/ daß Gott der reinen Jungfrawen vnd Maget Marien Kind ist/, das ist wahr/ vnd als wahr das ist/als wahr muß ich gesegnet seyn vor allen meinen feinden gesichtigen vnd vngesichtigen/lebenden vnd todten/ vnd vor allem vbel an leib

vnd

vnd an seel/in Gottes nammen/Amen. *primum*, hoc est. Addo *secundum*, Michaelis cujusdam, ἀμιωτήριον, quod & verbis constat, & figuris, variisq; characteribus magicis. Inter verba, præter cætera, refert LXX. Dei nomina, quibus, Iudaica superstitione, eandē tribuit virtutem, quam superiori Epistolæ Leonis X. additis tamen quibusdam precum auctariis. Requirit enim quotidie 5. orationes Dominicas, totidémq; salutationes Angelicas, passis manibus recitandas. Et ut ne experimentum deesset, profert exemplum cujusdam Centurionis, qui capite plectendus Philippi Flandriæ Comitis jussu, nullo lædi potuerit ictu. Rogatum, cui hoc acceptum ferret, respondisse, Mystæ, qui à confessione ei erat, beneficium esse. Ab illo se schedam, quam secum haberet, quæque se ἀμιωτήριον probaret contra venenum, arma, jacula &c. accepisse. Sed & *figuris & dimensionibus* quid non dedit superstitio & inveteratus error? Linea circumferebatur, (qualem & Michaelis modò memorati Schematismus retulit) quam sedecies sumtam monstrare dicebant longitudinem Christi. Cui bono? *In quacunque* (ita audaculi mentiebantur) *die hoc signum videris, non subitanea morte perieris, non noceberis in judicio, nec à tonitruo, nec à veneno, nec à periculo quocunque Amen. Si in die obitus tui tecum habueris, salvus eris.* Sigillo Solomonis (sphæricum fuit, figurâ pentagonio sphæræ inscripta, columnæque inni-

innixum) quàm nihil non amoliri sunt miseri, & superstitionibus fascinati homunciones conati? Ipsa ejus ἐπιγραφὴ docet, vix Exorcistam peritissimum plura polliceri. *Sigillum Solomonis, ubicunque in domo vel alibi fuerit, nulla mala ars ibi nocet, & dæmon non perturbat, & tonitruum non pervalebit.* Insuper *crucis* & *clavorum* Christi longitudine, Majores nostri pericula averruncare docti fuerunt. Habeo ejusmodi proebium *Bartholomæi Tanneri*, Abbatiscellani, in cujus fronte hæc leguntur verba: Dises ist die rechte långe des Creutzes Christi des Herren/wo fehr es 40. mahlen gemessen wird/vnd welcher dises bey jhm tragt auß andacht/ der ist denselben tag sicher/vor dem gehen todt/auch vor vngewitter vnd straal/vnd falschen zeugnussen/vnd allen kriegsgefahren/vnd wo fehr ein Fraw nit gebåhren kőnte/hencke einer jhr es an/vnd spreche das vnderschribene gebått/ oder lasse es ein anderen sprechen/so wird sie erlediget. Vnd dises ist dem Carolo M. Keiser von dem Engel Gabriel nach Constantinopel gebracht worden/damit er seine feind vberwunden. In altera verò facie: Dises ist die rechte långe der Neglen/die Christo durch sein heilige hånd vnd füß geschlagen worden sind/ welches auch in einer guldenen Kisten dem H. Carolo M. gebracht / mit samt der rechten maß der wunden Christi des Herren in der seiten / der es

es alles mit andacht bey ſich tragt/der iſt denſelbigen tag ſicher vor vilen gefahren der wehren vnd der waaffen. Magica hæc certè omnia ſunt, quia ordinē Moderatoris naturæ pervertunt. Neq; enim vel verbum Dei, vel Myſteria ſacra conceſſa nobis eſſe exiſtimemus, ut tam profanè iis ad quoslibet eventus abutamur. Et tamen trita hæc ſatis fuiſſe, & Cleri oſcitantia, imò ſuaſu & conſilio in Chriſtianiſmum invecta, Leiturgię & libri ceremoniales Pontificii dubitare nos minimè ſinunt. Vide *Diſſ.*noſt.de *Neceſſ.Refor.*p.34.

[c] Hebræorum enim ſeu Iudæorum exemplo didiciſſe Chriſtianos, conſtat 1. divinam amuletis tribuere virtutem. Ipſe hoc *Majm.*in fidei ſuæ ſociis reprehendit libr.1.cap.41.*More Nevoch.* *Quare,* inquit, *cavebis, ne aliud præter hoc excogites, neque ſi à ſuperſtitioſis & inſanis hominibus amuleta ſive chartas experinentales conſcribentibus, talia audias, vel in ſcriptis eorum legas, illa obſerves, vel ijs utaris. Nomina etenim illa, quæ effingunt, de nulla planè re docent, & tamen vocant ea nomina divina, exiſtimantque illa ſingularem requirere ſanctitatem & puritatem, & virtutem habere miracula edendi ac faciendi. Verùm iſta omnia ab homine perfecto non ſolùm non credenda, ſed ne audienda quidem*

dem sunt. 2. A judæis Christianorum amuleta habent multa nomina DEI, sed vitiosissimè expressa. 3. Iudæorum vestigia legunt, qui πτεραγράμματον cumprimis θαυματοῦργον jactant: quod in plerisque fit Pontificiorum schedis, ubi Tetragrammati frequens mentio. Impii certè Iudæi, Servatorem nostrum omnia sua miracula beneficio nominis illius patrâsse, blasphemè eructant. Vide Buxtorfium Lex. Rad. *Perasch.* 4 Numerum LXXVII. nominum divinorum, cujus supra meminimus, petiisse Christiani videntur à Iudæis qui nomina DEI Kabbalistica recensent LXXII. de quibus *Galatin.* de arcan. Rel. Cath l. 2. c. 17. 5. Iudæorum figmentum est Solomonis Sigillum. 6. Iudæorum exemplo ex variis Scripturæ locis πιτλάκια parant, quibus à morbi, bello, armis, aquis, incendiis se muniunt. Liber est apud Iudæos excusus Venetiis 1571. *Schimmusch tehillim* dictus, quo declaratur usus Psalmorum superstitiosus, si toties vel toties recitentur, aut pergameno mundo inscripti de collo gestentur, addito nomine Angeli specialis, qui Kabbalisticè ex Psalmo extructus est, & certa precula ad angelum directa. Veluti *Psalmus primus*, pergameno mundo inscriptus, cum nomine Angeli *Elchad.* abortum mulierum impedit. *Psalmus secundus* testæ inscriptus, & in mare procellosum projectus sedat omnem tempestatem. Pars etiam Pergameno inscripta & capiti alligata, sedat dolores ejus. Idem faciunt versus *Psalmi* 119.

à litera *Schin* incipientes, si super oleo olivarum devotè recitentur, & eo caput inungatur. *Psalmus* 146. prodest, ne quis gladio vulneretur. Lutherus alicubi scribit, *Judæum quendam voluisse Albertum Ducem Saxoniæ docere hujusmodi artem contra vulnera. Ille, cùm miraretur, quomodo hoc fieri posset; cum Judæo ruri hac de re conferens, dixit: ut certior sim, in te prius experimentum capiam, & extracto gladio Judæum ita læsit, ut neq; per Schem hamphorasch, neque per appensum Kamea, i. e. pergamenum, sacris nominibus perscriptum sanari potuerit.* *Buxt.*Bibl.Rabb. p.415. Confer *Thes.Philolog.*p.451. Neque ad Christianos tantùm, sed & Muhamedanos pleraque etiam hæc sive Magica, sive Kabbalistica studia transierunt. Solomonis sigillum in ὡχολεγίοις eorum satis est obvium. Damnat quidem Muhamed *Themima*, quæ Hebræorum *Tummim* respondere videtur; sed *Vda* & *Moada*, cui ex Korano verba quædam aut nomina Dei inscribuntur, admittit. Vide Lex. Arab.*Golii* p.394.

[d] Quicquid enim in ceremoniis Iudaicis splendidum, quicquid in superstitione Ethnica floridum, quicquid in Muhammedica infidelitate nitidum, quicquid in veterum Hæreticorum quisquiliis coruscum, quicquid denique in occupandis & demulcendis hominum oculis, auribus, animis

po

potens videbatur in sanctiones Ecclesiasticas fuit infartum: vide *Diss. de Reform. necess.* p. 28.

[e] Malè de Ecclesia superiorum temporum, tum aliis, tum hoc maximè nomine fuit actum, quòd in rebus dubiis, salutem ipsam concernentibus, non sacram Scripturam, ejusque ductum, sed pro libitu quisque suo vel Pontificem, vel Concilium judicem delegerit. Ea plerisque maximè placebant, quæ à visionibus, & miraculis pondus habere videbantur. Sed quàm hæc regula fuit incerta? Id jam aliquoties & rationibus & exemplis probavimus. Pergunt tamen Pontificii hoc etiam intervallo Scripturæ lucem miraculorum supposititiorum velamine ita obscurare, ut radii ejus hominum penetrare pectora non potuerint. Miraculis, & vitâ asceticâ Pontificii commendant I *Monachos* atque Monachatum. Præstare hoc debuit a. *Uladislaus* ex Minoribus observantibus Monachus, de quo *Bzov.* an. Ch. 1507. S. 14. b. *Margarita Ravennensis*; *Id.* an. Chr. 1505. S. 11. II. *Itinera religiosa*, & invocatio Sanctorum, præsertim visitatio statuarum Deiparæ consecratarum, qualis fuit a. *Florentina*, Annunciata vulgò dicta; *Id.* a. Ch. 1505. S. 10. & 1515. S. 22. b. *Lauretana*, *Id.* an. Chr. 1508. S. 5. 1511. S. 20. 21. 1515. S. 29. 1517. S. 23. c. *Ad montem Serratum*, in Catalonia, *Id.* a. Ch. 1513. S. 34. 1517. S. 25. 1518. S. 34. d. *Eremitana*, in Helvetia, miraculosè ab allambentibus undique flammis, cum vicino palatio

erepta dicitur. *Hoc anno*, inquit Hartmannus in annal. Herem. & ex eo Bzov. anno Christi 1509.S.16. *cùm totum Heremi B.Mariæ apud Helvetios vicum flamma fortuitò excitata absumpsissent, B.Virgo Abbatiam & nonnullas juxta ædes, sacramque supellectilem mirabiliter servavit. Ferunt, Abbatem Cunradum igne maximè sæviente, in sacellum Deiparæ ingressum, ad aram Virginis preces calidißimas effudisse, mox finita oratione, elata voce Deiparam compellâsse, præsenti exitio Monasterium, & quæ in eo erant eripere dignaretur: ad ipsam omnia pertinere, & quicquid perierit, ipsi periturum esse. Inde sacello egressum curare cæteros cætera jußisse, sibi Abbatiam, & suas circa ædes tutas, & securas affirmâsse. Quod evenit, omnibus reliquis ædificijs flamma corruptis, præterquam Abbatis palatium, & quatuor Monachorum Capitularium juxta sitas ædes, postremo & Capellanorum, quæ extra Monasterium erant, domibus ab ea clade ereptis.* f. *Castalonensis*, in privatis ædibus culta; *Id*.a.Ch.1503.S.13. Quid? quòd ipsi Dæmones ab energumenis expellendi, adeò vel devoti vel pertinaces fuerint, ut non nisi virtuti Divorum

rum à se indicatorum cedere voluerint? *Ita hoc ipso tempore*, eodem referente Bzov. Sect. 16. *possessæ erant à Dæmonibus duæ sorores ex civitate Osnaburgensi in Germania oriundæ, quæ ad Buranum oppidum diœcesis Coloniensis, ubi ad preces meritaq; Beatæ Annæ, Dei Genitricis matris, Dæmonia ab energumenis pelli dæmonia solent, adductæ fuerant. Cùm ergò illic Dæmones exorcismis, precibúsque Ecclesiæ non sine tormentis è puellis excedere cogerentur, flagra ulteriora deprecati, magno cum ululatu professi sunt*, se non nisi ad sepulchrum S. Huberti, quod in veteri crypta Ecclesiæ Sancti Petri Leodiensis situm est, esse egressuros. *Itaque puellæ Leodium ad Divi Petri templum adductæ, quamprimum ab exorcistis istis sanatæ, & à malignis spiritibus liberatæ fuerunt.* Nempe, non amplius placuerunt merita & preces B. Annæ: Humbertus quærendus, & Energumenorum Patronus, ipsis Dæmoniis indicibus, designandus erat! Neque satis fuit, receptis jam magno, & innumero penè numero, Sanctis honores litâsse divinos: novi accedebant, Pontificia Canonizatione auctorati, qualis est *Franciscus de Paula*; Bzov. an. Ch. 1507 & 1519. Sect 19. quo in Divorum ille numerum à Leone X. qui Francisco Regi

gratificari hac ratione voluit, est relatus. Eandem rationem cæterorum fidei Neo-Romanæ articulorum fuisse, superiorum aliquot Seculorum luculenta Historia demonstravimus. Id verò novum seculo hoc penè videatur, *quòd ipsæ etiam apiculæ corpus Christi in Sacramento altaris esse ostenderint.* Sic enim Artolatræ colligunt ex eo, *quòd cùm sacerdos quidam ferret corpus Christi, & ipse in terram cadens, illud amisisset, cum pixide in qua portabatur; apes de suis alveolis agminatim exeuntes, suóque Creatori honorem deferentes, eidem sacrariolum ex sua cera miro artificio composuerint.* Ioh. Ægidius, auctor libri, *Scala cæli*; Bzov. an. Ch. 1506. S. 13. Quid quæris? Ne *anathematum Pontificiorum* cresceret contemtus, miraculosè authoritas illorum fuit asserenda. Dubitas? Suavi ludium audi *Petri Maff.* Hist. Ind. l. 5. quod & Bzov. recitat an. Ch. 1509. S. 16. *Hoc anno mirum quiddam Lusitanis in India accidit. Classe Albuquercij Pro-Regis intra fauces Erythræas constituta, vel ex intemperie cæli, vel ex insalubrium ciborum succo, atrox morbus navalem turbam invasit. Vulgò inter lusum, vel quotidiana ministeria repentè expirabant. In ijs miles unus in mare projectus, ingentem terrorem omnibus attulit; noctu quip-*

quippe infra sentinam, pulsus frequentes exaudiri cœpti, quem ad strepitum cum arrepta scala vigiles descendissent, implexum carinæ sub ipso gubernaculo defuncti militis corpus offendunt. Scil. cunctis pilus inhorruit. Ubi ex pavore collegere sese, res ad navarchum delata: nec dubium fuit, quin cadaver, translatum in littus, humo contegerent: quo facto, postridie super ipsum sepulchrum inhumatus apparuit. Ea re attoniti cuncti, cùm apud se causam exquirerent, Franciscus denique, incertum ex qua familia, Monachus, qui Concionatoris munere fungebatur, sagaci conjectura suspicatus est, hominem aliquo interdicti vel anathematis vinculo constrictum è vita discessisse. Itaque in terram egressus, sanctiss. Viri Benedicti Abbatis exemplo, è Pontificia formula conceptis verbis animam demortui ritè expiavit, eique veniam precatus est. Mirum dictu! Ab eo mysterio reddita mortuo pax, & vaga ossa tandem in summo templo quievere. Quid verò hanc argumentandi rationem mireris? Iam enim usu receptum fuit Pontificibus in cœlum os ponere. Digna memoratu verba sunt

Avent. Annal lib.4.pag.429. *Romani Pontifices cùm adhuc pauperes cum Christo essent, modestiores fuere; nec os suum in cælum ausi ponere, tantam sibì solvendi legibus, ut libet, permisere potestatem. Haud alienum fuerit de hac re Hormisdæ, Pontificis Romani Verba referre:* Ego me (inquit) in hoc periculo immittere non audeo quia nec talia sunt merita mea, ut aliorum peccata in me excipere præsumam: nec tantam eloquentiam habeo, ut ante tribunal Christi contra tales & Sanctos sacerdotes, qui decreta statuerunt, causam dicere possim. Hæc *Hormisda.* Lusus autem Pontificibus ab aliquot seculis fuit & jocus non contra sanctorum Sacerdotum, sed summi sacerdotis Christi decreta agere.

[*f*] Quæ quatruplex fuit I. Ἀρτολατρεία in Missa, quam tanti fecerunt Pontifices, ut, de nulla conservanda superstitione magis fuerint soliciti. Clamârunt, cænam Dominicam tollere, qui sacrificium Missaticum vellicarent. Habeo de hac re Epistolam *Clementis VII.* ad S.P.Q. Tigurinum, Reformationis tempore anno videlicet Christi 1526. scriptam, cujus prima pars ita sonat: *Dilecti filij; Salutem & Apostolicam benedictionem. Ex literis vestris, die 9. Januarij datis non sine gravi nostro dolore cognovimus, vos, quos tanquam præcipuos filios paterno inprimis amore complectimur, & in viam æternæ salutis*

lutis insistere optamus, perseverare nihilominus in eis erroribus defendendis, qui vos profectò à recta semita abducunt & avertunt à summo Deo, deducúntque ad interitum, nisi animorum vestrorum æquitas nostris pijs & salutaribus monitis accipiendis fuerit parata: qui studio incensi salutis vestræ conservandæ & custodiendæ capimus curam & sollicitudinem de vobis, quam boni pastoris officium, & noster in vos singularis amor postulat. Ac quòd vos in eisdem literis, numeratis aliquot fidei sanctæ articulis & illis & reliquis fidem vos habere, & in eis firmiter hærere significatis, gratum admodùm nobis est, ut ingenuè & simpliciter, ac quemadmodum veros Christianos decet, est prolatum. In quo verò à simplicitate disceditis, & in eo subest fraus non vestra, sed seductorum vestrorum, cùm aliter interpretari, ac majores vestri, sanctißimi viri pleni Spiritu sancto interpretati sunt, contenditis, nobis grave & molestum est, suscipimúsque dolorem, quem desiderium vestræ salutis in nobis excitat. Ipso enim Domino testante, prius se missurum, postea-

que mittente, sanctissimis Apostolis, & eorum successoribus, Spiritus sanctus datus est, quo praeeunte pleraque, quae in sacris codicibus seriatim perscripta non erant, instituta sunt, sanctaeq; Catholicae Ecclesiae data est divinitus ordinandi & sanciendi singula, authoritas; cui qui se non submittunt purè & liberè, quique simplicitatem Apostolicae locutionis sua calliditate pervertere conantur, hi jam sunt de fidei rectae observantia, in uno inprimis necessario articulo, heretica opinione deturbati, cui etiam errori ille alter accedit, quod sejungunt se à communione Sanctorum. In quo vos, filij dilectissimi, videte per Deum immortalem quid agatis. Tot jam seculis, tot Concilijs, tantorum praeceptis & auctoritate Sanctorum retenta & observata sunt, cùm alia multa ad veram fidem spectantia, tum ipsum inprimis sanctissimi corporis & sanguinis Dominici Sacramentum, quod nos maximè Deo conjungit, firmatque in nobis spem, fidem & charitatem. Ab hac fide vos & institutione cùm disceditis, Sanctorum ne communioni adheretis? *Quanquam hac non ita à nobis scribuntur, quasi in sancto Evangelio apertè & dilucidè non sit positum,*

tum, hoc esse corpus & sanguinem Dominicum, quæ verba ita clara sunt, ut interprete non indigeant, à quorum verborũ recto & sincero sensu, & Catholicæ Ecclesiæ authoritate, cùm vos disceditis, quo authore id facitis? Non ullo certè ex ijs, in quibus Spiritus veritatis & sapientiæ est locutus; sed vanißimis quibusdam seductoribus animarum vestrarum, qui dum sibi auram popularem appetunt, de vestrarum animarum pernicie non laborant, efficiúntque, ut vos parum grati Filij & patres, avos, majorésque vestros erroris, ignorantiæq; in fide Catholica damnetis, & ab omnipotenti Deo ipso damnemini. Vides, Pontificem in Majoribus nostris nihil acerbius reprehendisse, quàm destructum Numen panaceum, quod *Maozim* quidam, *forte, robustum*, appellant. Sic ergò prima illa Heterolatrias species suos habuit fautores & Hyperaspistas. II. Est μαριολατρεία, quæ, ut modò diximus, novis confirmata fuit miraculis. III. Αγιολατρεία, quæ alimenta sua habuit ex Canonizationibus novis. Sed & ad alios, hoc à Pontifice privilegio nondum munitos, confluebant magno numero homines superstitiosi. An. Chr. 1503. S. 12. *Raymundus Cardinalis, Apostolicæ*

licæ sedis Legatus Francofordia post Comitium Principum Germaniæ discedens, per Vangiones & Nemetes Basileam usque progressus certior factus est de miraculis minimè contemnendis, quæ creberrima fierent ad sacras reliquias trium sanctarum Virginum, Kunegundis, Viberadis, & Mechtildis. Itaque misit ad pagum Elchsel, in cujus parochiali Ecclesia eæ virgines conditæ servabantur (est autem is pagus Constantiensis Diœcesis) Jacobum Merbolt, Bambergensis Diœcesis clericum, ut rei veritatem inquireret. Ubi is eò pervenit, tria insignia miracula ipso inspectante edita sunt. Nam & fœmina uno orbata lumine sanitati restituta est, & paralytica quædam curata est, & mutus linguæ usum recuperavit. Hæc ubi Cardinalis rescivit, jussit sacras Virgines, licet nec dum solenni ceremonia & ritu in Divorum numerum relatas, haberi in honore, *Sur. Bzov.* 1503. S. 12. *Basel.* add. IV. Αγγελολατρεία in precibus ad Angelos ubique habitis. V. Λειψανολατρεία, qua doctissimi etiam viri penè insanierunt. Hinc desiderium illud *Ximenij* in reliquias Ildefonsi, de quo *Gomecius* de reb. gest. Xim. & *Bzov.* a. Ch. 1505. Sect. 7. *Cùm autem Ximenius esset religio-*

nis

nis & Divorum eximius cultor: secúmque semper aliquid versaret, quod hunc tam pium affectum incenderet, in memoriam revocavit Divi Ildephonsi corpus Zamoræ asservari, quam Senticam olim appellatam esse nonnulli existimant, & XVI. millibus passuum à Tauro distat. Incessit ergò illum mira quædam cupido visendi & venerandi reliquias viri Sanctissimi, qui & Deiparæ virginis munere, & alloquio perillustris est, & Ecclesiæ Toletanæ Pontificatum adeò integrè & vigilanter tempore durissimo, dum Schismata & hæreses vigebant; administravit; ut divinos sibi honores (NB) inter Divos relatus comparaverit. *Dolebat, Toletanam Ecclesiam eo thesauro esse spoliatam, & nihil magis ex illa calamitosa Hispaniæ devastatione, quam sub Roderico ultimo Gothorum Rege sustinuit, in familiari colloquio deplorabat, quam sanctissimi Ildefonsi corpus,* vestémque sacram per virginem Matrem cœlitus ad eum deductam, *quæ in Ovetana Ecclesia est, à Toletani templi adytis per alienas sedes exulare. Peropportunus ad eam rem gerendam Petrus Biverus visus est: tum*

quòd

quòd equestris ordinis Zamoræ civis esset, & in Sacerdotum civiúmque Senatu per multos cognatos & amicos, quorum id opera & patrocinio fieret, habebat; tum etiam, quòd intimus & charus Ximenio, optimam operam esset patrono navaturus, ut voti compos fieret. Ejus ergò auctoritate & cura id duntaxat impetrari potuit, ut quam dissimulanter id fieri posset, Ximenius Francisco Ruictio sodale & duobus à cubiculo ministris comitatus, totidémque anteambulonibus Zamoram de nocte occultus veniret. Accepit conditionem læta fronte Ximenius, gratijs pro tam sedula cura Bivero actis. Cùm omnia jam apparata essent, subitò Zamorenses mutatis animis, ne se Tauro moveret per eundem Biverum renunciant. Neque enim de ea re tam arcano consilio potuisse tractari, quin ad notitiam multorum dimanaverit, qui tam graviter & molestè tulerunt, ut universa Zamorensis civitas fortunarum omnium discrimen, suorumq; civium internecionem subire parata fuerit potiùs, quàm facultatem ullam dare Ildefonsi corpus cernendi. Tam subitæ mutationis

tionis excusationem aliqui præ se tulerunt, religione se prohiberi: scil. vocem humana augustiorem è penetralibus, ubi Ildefonsus asservatur, prodeuntem audivisse, quæ animam sanctissimam solicitare vetaret. Miseri mortales, qui sic turbari credunt defunctorum animas: artibus potius his exercitati Institores cavent, ne αὐτοψία fraudem prodat. *Sed verisimilius est, potentissimi & intrepidi hominis ingenium timuisse, ne quid de possessione quondam sua tentaret, aut graves lites intenderet sanctissimis reliquijs conspectis. Aegrè id Ximenius tulit, qui delusus à Zamorensibus videbatur, & illorum sententia cognita:* Quantum, inquit, privati hominis conditio Principis fortunæ præstat! Nam si ego, detrito ut olim solebam sacco indutus ad Zamorensium Ecclesiam venissem, sine ullo negotio, quod frustra rogavi, essem assecutus.

[g] Supposititia habebant I. *Numina*, seu *Divos*, Christophorũ, Georgium &c. II. *Reliquias*. Fraudem hanc detexerunt a. Ipsi illi, qui reformationis tempore λειψανοθήκας aperuerunt. Quid *Tiguri* acciderit, diximus in præf. P. III. ὁδηγοῦ. Verè Majores nostri ἄνθρακας venerabantur ἀντὶ θησαυρῶν. Magna devotione ossa, opinione πρωτομαρτύρων Tigurinorum *Felicis* & *Regulæ* (tertium enim, *Exuperan-*

perantium Aquisgranum à Carolo magno deportatum tradunt, eidemque insignem ibi Ædem extructam) colebantur. Destinatæ illis erant annuæ processiones, tantis civium agminibus celebratæ, ut vix pontibus ferri possent. Unde an Ch. 1375 fracto ponte solennitas illa 8. hominum vita constitit. Certabat etiam ob πρωτεῖα in illa processione τιμῆς Abbatissa cum Præposito & Canonicis. Nam & hæc, & illi reliquiarum aliquam suam habebant partem. Sed ubi, Reformationis occasione, theca aperta, & ipsæ reliquiæ penitius inspectæ fuerunt, *carbones, cineres, fragmenta latericia, avellana cassa* cum pauculis admodùm ossibus reperta fuere. *Genevensium* thesauros recludit celeberrimus D. *Spanhemius*, orat. de Genev. restituta p. 23. *In hac ipsa,* inquit, *in qua jam verba facimus Petri Aede, in pretiosa pro tempore, reliquiarum aliarum supellectile, Antonij quoque brachium, velut gaza inæstimabilis habebabatur. Nihil theca illa tanti boni custode vel sanctum magis videbatur, vel magis invidendum. Prostabat ad adorationem diebus festis, nonnisi multis lustrationibus prævijs oscula illi figebantur. Quin & in rebus magni momenti ad thecam illam sacramentum dicebatur, quod fallere piaculare erat, & nullis ignibus purgandum scelus. Religio-*

nem

nem Idoli & formidinem plebis accendebat spreti Numinis vindicta, quam multa cera in manuum aridarum formam effigiata, & è tholis delubri suspensa, undiquaque spectantium oculis ingerebat. Superstitione, per Dei gratiam, anno D. 1531. abolita, theca illa excussa ludibrium debuit acerrimis etiam Romanæ Theologiæ patronis, quum viderent omnes, pro divite illa gaza & Antonij brachio nihil præter inguen vel veretrum cervinum in eximio illo reliquario reperiri: Priapeum revera sacrum & pudendum, non Christianum. In hac eadem Petri Aede ad altare majus sub hoc ipso, sub quo loquimur, fornice aliud Deorum munus pretiosum scilicet & augustum ostentabatur plebi, quod cerebrum Petri vocabant homines lepidi. Id in dubium vocare hæreticæ pravitatis fuisset, negare blasphemum, non colere impium & profanum. Excussis illis quoque, post Reformationem, forulis, pro cerebro Petri pumex repertus, & nihil nisi pumex siccus, aridus, exesus, à pumicibus, imò stipitibus cultus, & à stellionibus insigni fraude ad cultum prostitutus. Neque melior Sangallensium

sors fuit. Crucem habebant argenteam, quæ Sanctorum reliquias tenere credebatur: Vnde & in λειψανοθηκείῳ ceteris eam anteferebant. At qua plane fuit, defęcatâ tantùm resinâ, paucis quibusdã in ipsa antehac urbe cusis adjunctis nummis, quos *agnos* vocant, referta. Sed & cornua duo eburnea in templo asservabant, quorum alteri inscriptum fuit: *Lapis ex sepulchro sancto.* Verùm ne hæc quidem verisimilitudinis speciem fraus habuit. Non lapidem, sed cochleam, qui indagini præfecti erant, repererunt. Qua quidem re Legatus quidam Helvetię, Pontificius, ita offendebatur, ut fraudis pertęsus Papismo repudium miserit. Refert hæc ex diligentissimo Historiæ Reformationis Sangallensis scriptore Ioh. Kesslero, Venerandus Ecclesiæ illius Decanus, *D Ioh. Iacobus Hofmannus*; amicus multis mihi nominibus observandus, concione, in cap. 10. v. 14. 15. *Deut.* de Reformatione Sangallensi, habita. Idem ex *Stumpfio* & aliis habet *Scult.* Añ. T. II. p. 192. De Idolo fictitij Christi sanguinis Suerinæ aliquot seculis culti libellum dedit Ægidius Faber, quem præfatione munivit Lutherus. Donaverat illam sanguinis guttam, seu potius cinnabaris grumum Iaspidi inclusum, Collegio in templo Suerinensi, Henricus Comes Suerinensis, Guncelini filius, magni thesauri loco acceptam à Legato P.P. Pelagio Cardinale Albanense, cùm inter cæteros viros militares Henricus, ad recuperationem urbis Hierosolymæ profectus, egregium virtutis & fortitudinis specimen edidisset, quod singulari præmio or-

ornandum esse Legatus censuerat. Is sanguinis grumus singulis diebus Veneris certâ horâ monstratus, aperire se, & in tres partes diduci ac rursus coire spectantibus videbatur. Quare magno hominum concursu annos amplius trecentos cultus est: donec Henrico Duce Megalopolitano seniore mortuo, Iohannes Albertus, fratris filius, solus Ducatum Megalopolitanum gubernans, ditionum suarum Ecclesias omnes ab Idolis & cultibus Pontificiis repurgans, hunc quoque sanguinem removeri jussit ac comburi. *Id.* Ib. pag. 324. b. *Reliquiarum admiratores & Patroni.* Cùm an. Ch. 1518. Cives quidam Bernenses Societatem seu Fraternitatem S. Annæ instituissent, literis ad ipsum Galliarum Regem scriptis, solicitè petierunt, ut authoritate sua Abbatem Insulanum moneret, ne devotionem hanc suffocaret, sed aliquid reliquiarũ S. Annæ (ibi enim sepulta dicebatur) benignè concederet. Legatus erat Albertus vom Stein/militiâ clarus, qui cum Lugdunum pervenisset, familiaritatem ambivit Custodis illius Cænobii, quâ, muneribus extorta, cranium tandem obtinet, serico involutum, quod Annæ fuisse impudens Monachus mentiebatur. Reliquiæ hæ Losannam primùm, deinde & Bernam deportatæ, omnium cum applausu & devotione excipiebantur: Munera jam & oblationes advolabant: unde novæ patronæ res mirum quantum creverant. Argenteum igitur ei κιβώτιον paraturi Fratres, novo terrentur nuntio. Scribit ipse Insulanus Abbas, fraudem esse. Monachos spe lucri & præmii, calvariam ex osteodocheio depromtam, novo hoc no

mine & schemate induisse: Ne agyrtis fidem haberent, in quos, propter imposturam, graviter animadvertisset. Atque sic fraternitas hæc in risum & fumum abiit. *Stettl.* l. 11. pag. 576. Et certè, Institores hujus monopolij Romani non fraude modò sed & ludibrio sæpe incautos emtores mulctarunt. Philippus Burgundus, post Episcopus Vltrajectinus, Legatus à Maximil ad Iuliū II. missus, reversus, inter alia fassus est, *Cardinales quosdam primi nominis, dum sacræ reliquiæ populo, & præcipuè Germanis nostris venerandæ ostenderentur, exertis linguis ac digitis turpem in modum compositis, nostrorum simplicitati insultâsse*; *Læt.* Comp. Hist. univ. pag. 514.

III. *Miracula*, quale fuit Dominicanorum Bernensium, de quo supra. Tangit hoc ulcus fortiter *Frid. Spanhem.* Gen. restit. p. 25. *Restat techna alia, quæ dissimulari non debet. In templo hujus urbis San-Gervasiano sub altari primario corpora Nazareni, Celsi & Pantaleonis condita ferebantur. Quærebatur pretium merci, & lucellum illius institoribus & propolis. Et quia illi minorum Gentium Sancti adhuc habebantur, præstigijs, populum adoriendum, & manum ei lepidè adeundam, è re Sacerdotum visum. Sparsus rumor, Sanctos illos de sede mutanda, pristinam pertæsos,*

ſos, cogitare: Juſſa plebs admovere aures foramini loculo inciſo (quo beata ſcilicet corpora illa, magnorum quondam hoſpitum domicilia, excepta) & mirari confuſum quendam hominum velut inter ſe colloquentium ſtrepitum, qui aures admotas è concavitate ferebat. Iubebatur quin etiam ibidem loci demittere ſphærulas & corollas (quibus ſuperſtitio preces ad calculum Deo admetitur) quæ vix demiſſæ, neſcio qua occulta & magnetica vi detineri videbantur, adeò integrum non erat injectos orbes expedire, & abditum quid manum retrahentis occulto pondere & vi arcana morabatur. Miraculo id ab omnibus deputatum, & ſandapila illa inter prima Genevenſis Eccleſiæ decora relata, cives, peregrinos, omnes in occultam ſui admirationem rapiebat. Sed & hoc myſterium cum tempore evulgatum, impoſtoribus odium publicum, plebi attonitæ ludibrium peperit. Loculo enim excuſſo, reperti tubi quidam & meatus ſubterranei, tanta arte inter ſe commiſſi, ut excitatum ab adſtantibus ſonum & ſtrepitum ſtatim exciperent, & exceptum ſecreta quadam mugi-

natione, quæ colloquentium speciem habebat, redderent. Deprehensum quin etiam, tubos illos uncis & harpagonibus undiquaque confixos & constratos ad obvia quæque excipienda, & arctè stringenda fuisse, quibus immissa hærerent. In Augustinianorum quoque cœnobio, Idolum B. Virginis superstitioni fovendæ repetitis præstigijs adhibitum, aniculis quibusdam deludendis matribus mutuas operas sacrificulis locantibus, quarum arte effectum, ut inflatis infantum corporibus plumæ labijs ferali etiam pallore albentibus admotæ velut subsultare viderentur. Eorundem opera adhibitis fomentis quibusdam subdolis, humor in exanimi & exangui corpore sæpe velut exsudare videbatur, & ad tempus illa egeri per artem, quæ per naturam non poterant, quo tingi adhuc possent infantes, velut B. Virginis beneficio ad exiguam lucis usuram revocati, qui cruda & subita morte ante sacram Baptismi tincturam intercepti, pro temporum Theologia, æterno exilio obnoxij videbantur: Quæ technæ Senatus authoritate retectæ & revictæ 11. Maji, anno 1535. cum Im-

Impostorum & Idoli contemptu evanuerunt. Persuasum quin etiam populo, inquietas animas Purgatorij sedibus evocatas noctu templa & cœmiteria pererrare, & Missarum ac suffragiorum pia subsidia tremulis ignibus à cognatis sibi capitibus efflagitare. Hinc dulce lucellum sacrificulis, & spolia opima. Sed & his spectris propius vestigatis animæ crustosæ & testaceæ deprehensæ, & pro illis cancri cum Ellychnijs succensis suorum dorsorum crustæ alligatis, templorum & cœmiteriorum angulos, sacrificulorum operâ perreptantes. Plura exempla non θαυματουργίας, sed ῥαδιουργίας Pontificiæ dedimus in nostro ὁδηγῷ P.II.p.289. & deinc. Calculum his addimus diligentissimi Scriptoris Britannici, *Ioh. Foxi*, ex rerum in Ecclesia gestar. Comment. P.I.p.154. *Sequens* (erat 39. superioris seculi) *annus nulla ferè re insigni erat memorabilis, nisi quòd peregrinationes Idololatricæ publicis legibus sublatæ sint. Cuculliones ad vestes commutandas adacti, multæque præstigiæ circa divos patefactæ. Inter quæ erat sanguis Haliensis, qui multos ante annos apud vulgus hominum venerationi habitus*

est, tanquam pro ipsissimo sanguine Christi, cùm tamen per Cromelium longè diversas res fuisse deprehenderetur. Apud alios item alia erant Idola, quibus oculi volubile motu circumagitari occulto religiosorum artificio, quasiq; vivere conspicerentur: alia quæ sudoris quasi speciem oculis præ se ferrent intuentium. Hæc, quia nota satis erant Anglis, levi tantum brachio *Foxus* attigit; nobis, vel ex unius exempli pleniori enarratione, major accedet lux. Epistola, quam a. Ch. 1538. *Rodolphus Gualtherus* Bullingero nostro scripsit, hæc inter alia habet: Nova quæ ex Anglia accepi, hæc sunt. Iohannes Hokerus Meidstanensis, (quæ urbs est Cantiæ) & pietate & eruditione insignis vir, sic scribit: Repertus est nuper Cantianorum Deus, ligneus divus, pensilis Christus, qui cum quovis Promethei figmento concertare posset: Nam & capite nutare, minari oculis, barbam concutere, iucurvare corpus, adeuntium aversari & audire preces scitissimè noverat. Hic, cum Monachi sua causa caderent, repertus est in eorum templo plurimo cinctus anathemate, linteis, cereis, agricis, urbicis, exteris ditatus muneribus. Subodoratus est fucum cordatus vir, Patricii nostri frater, affixum parieti è vestigio solvit, apparent artes, apparent imposturæ: mirus ac polypeus pervestigator. Erant foraminoso corpore occultatæ passim fistulæ, in quibus ductile per pinnulas ferrum, à mystagogo trahebatur, lami-

minis meatus artificiosè celantibus. Hinc factum est, ut totam Cantiam, imò Angliam totam, jam seculis aliquot magno cum quæstu dementârit. Patefactus, Meidstanensibus meis (gaudeo patriæ) spectaculum primitus dedit, ex summo se culmine confertissimo ostentante populo, aliis ex animo, aliis Ajacem risu simulantibus. Delatus hinc circulator Londinum est, invisit aulam, Regem ipsum novus hospes novo salutat more. Conglomerant audiri, Barones, Duces, Marchiones, Comites: Adsunt è longinquo ad hoc spectaculi, circumstant, circumspectant, intuentur, vident. Agit ille, minatur oculis, aversatur ore, distorquet nares, mittit deorsum caput, incurvat deorsum corpus: Annuit, renuit; vident, rident, mirantur, strepit vocibus theatrum, volitat super æthera clamor. Rex ipse, incertum, gavisus ne magis sit ob patefactam imposturam, an ex animo doluerit magis, tot seculis deludi miserum vulgus. Res ad Consiliarios delata est. Habita est post aliquot dies Londini concio: Prædicat è suggestu Roffensis Episcopus, stat ex adverso Danieli Bel Cantianorum, summo erectus pulpito, ita ut videri ab omnibus commodè posset. Hic denuo sese aperit: Hic denuo Comœdus fabulam scitè agit, minantur, indignantur, stupent, pudet tam turpiter fuisse ab Idolo delusos. Cùm jam incalesceret Concionator, ac Dei verbum occultè in cordibus eorum operaretur, de præcipitio demolitus est ligneum truncum in confertissimos auditores. Hic varius auditorum diversorum clamor, capite laceratur, frustillatim conscinditur, in mille

confractus partes tandem in ignem mittitur. *Hæc ille.* Generosum Hockeri facinus, quod sine vitæ discrimine patrari vix poterat. Notum enim est, quid furiosa nonnunquam plebs tentârit contra eos, qui in discernendis miraculis judicium paulò requirebant solidius. Exemplum occurrit memorabile in Iudęis Olysiponensibus νεοφύτοις καὶ νεοφωτίστοις, quam ex *Osorio* & *Maffæo*, *Bzovii* verbis recitabo. Ita ille, an. Chr. 1506. S. 9. Hoc tempore (mense Aprili) Olysiponæ in Lusitania ingens civium in Iudæos recens baptizatos tumultus concitatus est, quo parùm abfuit, quin omnes, qui ad Christi fidem conversi fuerant, fœdè perirent. Res autem ad hunc modùm gesta fuit, ut scribit Osorius. Maxima pars civium propter pestilentiam aberat. Illis fortè diebus multi ex Gallia Belgica & Germania Olysiponem naves cum mercibus appulerant. Vigesimo nono verò die Aprilis non pauci ex iis, qui in urbe manserant, in ædem Divo Dominico celebrem, ut rebus divinis operam darent, convenere. Ad sinistrum latus templi est sacellum sanctum, & mira omnium religione celebratum, quod Iesu sacellum appellant. In eo supra aram est imago Christi crucifixi collocata, in cujus latere vulnus illud assimilatum, operculum vitreum contegebat. Cùm multi in vulnere illo oculos & mentem defigerent, ex eo splendor emicuit. Conclamant igitur omnes, ingens esse miraculum, cœlesteque numen præsentiam suam signis admirandis ostendere. *Quidam ex Hebræis illis, qui non*

ita

ita pridem Christo nomen dederant, maxima voce miraculum esse negavit : nec enim esse verisimile, ut aridum lignum miraculum ederet. *Quamvis autem multi de veritate miraculi dubitarent,* non tamen neque tempus, neque persona, neque concio erat satis apta, ut quisquam ex illo genere deberet tunc in errore illo, intimis hominum sensibus penitus insito, depellendo operam frustra consumere. Multitudo igitur natura præceps & inconsiderata, & species quadam religionis attonita, cùm audiret hominem Hebræum miraculo fidem derogare, fremere cœpit, Iudæum perfidum & sceleratum, religionis proditorem & Christi hostem immanem appellat, extremóque supplicio & cruciatu dignissimum. Cùm ad hunc modum probra multi congererent, exarsit iracundia concio, & impetum in hominem facit, & in capillum involat, & raptat & vexat, & in forum quod ante illud templum est, pertrahit, & crudelissimè necatum dilacerat, ignemque repentè facit, in quem cadaver illud conjiciat. Ad hunc tumultum plebs universa confluxit. Ibi Monachus quidam orationem satis popularem habuit, qua multitudinem ad Christi vindictam nimis acriter incitavit. *Multitudo satis sponte sua furens, ea oratione vehementius efferata est. Duo verò Monachi crucem sustulerunt, maximísque vocibus populum ad cædem concitârunt : & altero quoque verbo hæresin, hæresin, dicebant,*

bant, nefandam vindicate, gentémque ſceleratam extinguite. Galli & Germani, qui in navibus erant, in terrâ deſiliunt, & ſe ad Luſitanos, qui jam cædem immanem faciebant, adglomerant. Quingentos homines fuiſſe conſtat illos, à quibus facinus hoc immaniſsimum fuit inſtitutum. Ruunt igitur amentia & ſcelere flagrantes, & in gentem miſeram ferociter invadunt, multósque trucidant, & in ignem ſemivivos abjiciunt. Erant ad eam crudelitatem pyræ ſatis frequentes extructæ eo in loco, ubi primus ille, qui multitudinem offenderat, crematus extiterat. Servi & homines etiam viliſsimi ſummo ſtudio & alacritate materiam undique convehebant, ne ignis poſſet tanto facinori perficiendo deficere. Mulierum luctus & lamentationes, & virorum implorationes acerbiſsimæ, omniumque miſerabiles ejulatus ejusmodi erant, ut hoſtes immanes miſericordia frangere poſſent. Illi tamen, qui cædem faciebant, ita humanitatem exuerant, ut nulli neque ſexui, neque ætati parcerent, ſed in omnes absque ullo diſcrimine crudelitatem ſuam exercerent, & eo quidem die ſupra quingentos homines ex Hebræo genere fuerunt necati atque combuſti. Sequenti die cùm immanitatis illius rumor latè diſsipatus fuiſſet, homines ex pagis ſcelere & audacia furentes, ſupra mille in urbem convenere, & ſe ad reliquos ſicarios aggregavere. Itaque cædem inſtaurant: Et quia omnes Hebræi generis formidine perterriti in domibus ſuis latitabant, fores perfringebant, & in domos irruebant: viros, & mulieres, & virgines immaniſsimè jugulabant:

bant: pueros aut infantes ad parietes allidebant, omnesque partim spirantes pedibus trahebant, ut in ignem conjicerent. Multi simul concisi quidem vulneribus, vivi tamen adhuc eodem igni consumebantur. Ingens eo jam die stupor adeò miserrimæ gentis sensus oppresserat, ut ne lamentari quidem cladem illam, & deplorare miseriam suam possent. Qui se occultabant, quamvis filios, aut parentes suos ad supplicium abripi viderent, ne lugubri gemitu proderentur, vocem emittere non audebant. Sic autem eos metus exanimaverat, ut vivi non multum à mortuorum similitudine distarent. Domus interim diripiebantur: Sicarii aurum, argentum, & pretiosam supellectilem coacervabant: Galli prædam navibus imponebant: eoque prædandi studio factum est, ne multo plures eo die occiderentur. *Eo autem progressus est hominum perditorum furor, ut in ædes sacras absque ullo Numinis metu invaderent, & inde pueros & senes, & virgines, quæ ad aras confugerant, crucibus & hominum sanctorum imaginibus affixas, & Christi fidem miserabiliter implorantes evellerent, quos repentè crudelissimè necabant, aut vivos in ignem projiciebant.* Multi specie quadam & similitudine cùm Hebræi existimarentur, summum vitæ periculum adierunt, & aliqui etiam ob eam causam interfecti sunt: & quidam antequam explorari posset, sibi cum Hebræis ullam esse necessitu-

situdinem, plagis atque vulneribus deformati fuere. Multi, cùm in inimicos inciderent, eos Iudæos esse dicebant, qui antequam falsum testimònium refutare possent, sanguine suo inimicorum crudelitatem satiabant. Magistratus non tantum animi habebat, ut multitudinis furori se opponere auderent. Multi tamen honesti viri, ad quos Hebræi confugerant, eos summa fide tuebantur, & clanculum è periculo crudelissimæ necis educebant, & in tuto collocabant. Eo tamen die supra mille ad hunc modum interierunt. Tertia rursus die ad eandem cædem sicarii, mente prorsus alienata, redierunt: sed neque quem occiderent reperiebant. Omnes enim ferme, qui ad Hebræum genus pertinebant, aut fuga sibi salutem pepererant, aut in domibus proborum hominum latitabant; aliqua tamen cædes facta fuit. Illis tribus diebus circiter duo hominum millia ex Hebræa gente ad eum modum occisa sunt. Cùm tamen advesperasceret, Arius Sylvius, & Alvarus Castrensis, viri apprimè nobiles, qui tunc Regiis Iudicum Decuriis præerant, cùm præsidiis in urbem se contuleruunt: eorum adventu rumor repressus est. Galli & Germani se confestim in naves cum præda magna recipiunt, datisque velis in patriam ea qua potuerunt celeritate confugiunt. *Emanuel, ubi nuncium de tam insigni facinore accepit, ira nimis acriter exarsit, & continuò Jacobum Almeidam, & Jacobum Lupium viros primarios cum summa authoritate Olyssiponem misit, qui tantum scelus*

lus debito supplicio vindicarent. Magnus hominum numerus extremo supplicio pœnas immanitatis & amentiæ dedit. Monachi verò, qui sublata cruce hortatores cædis extiterant, sacerdotij primum dignitate solenni ritu privati sunt, deinde strangulati atque combusti. Qui verò segnes se præbuerunt in furore populari comprimendo, partim honoribus privati, partim pecunia mulctati sunt: & civitas ipsa multis ornamentis spoliata fuit. Vides, aleæ periculosissimæ plenum opus fuisse superstitiosos de errore monere? Vides zelum Monachorum pro conversione Iudæorum? Facem reliquis præferunt & crucem ad internecionem eorum, quos fovere & paterno sinu amplecti debuissent: Vides tumultuantem catervam rasam & unctam furere, ne fraudes, quibus famam sibi acquirebat & farinam, detegantur, ipsæq; adeò artes Ordinum frigeant? Sed & hoc vides, benevole Lector, ne Lusitanos quidem religioni duxisse, Monachis pacis publicæ turbatoribus debitam infligere pœnam.

[*b*] Ipsi certè in Papatu laici de ea conquerebantur. Audiamus *Bernhardum Hüßlinum* Secretarium, de quo *Bebel.* in facet. p.m. 14. *Cùm nuper in Monasterio ad duplices aquas, vulgò Zuifalda, mentio facta fuisset de variis mortalium*

lium fortunis, atque Pontificum Sacerdotúmque divitijs, surrexit Bernhardus Hüsslin Nyssensis Scriba Abbatis, atque in hac verba locutus est: Sacerdotes & Pontifices omnino oppresserunt nos laicos, atque ad omnem servitutem redegerunt. Primum enim excogitaverunt modum, ut secreta nostra cogamur eis dicere, per confessionem; cogimur item intrare fana Deorum, & cum hoc eis pecuniam offerre, ipsi autem non intrant nisi cum salario, & cùm intraverint solius laboris, quod cancere debent, ad relevamen excogitaverunt campanas quas vocamus, ut eo minus cogantur cantare &c. Hoc unum adhuc superest, ad quod noctu diúque laborant, ut pro eis descendamus ad inferos. Hinc & aliorũ, Reformationis tempore, gravissimę querelæ. Et certè, quo eruptura tyrañis fuisset, nisi obicem posuissent Reformatores, candidè satis *Abbas Neubusanus* in Vangionibus, edixit. Si Lutherus, inquiebat, non venisset, facile tandem Clerus à suis obtinuisset, ut stomachum latrantem fœno placarent. *Scult.* Dec. 1. p. 16. Vnde etiam Lutherus in primo statim παπομαχίας conflictu hoc tyrannidis Idolum demoliri cœpit; & cùm an. Ch. 1521. VVormatiæ coram Cæsare juberetur de scriptis suis judicium ferre, agnoscat ne pro suis, eos-

eósque defendere paratus sit, ait, *quibusdam se Pontificum reprehendere tyrannidem, quos revocare non possit.* Sunt alii (inquit apud *Sleid.* l. 3. p. 24 b.) libri, quibus Pontificatum Romanum, & Pontificiorum doctrinam reprehendo, qui maximis incommodis Rempublicam Christianam afflixerunt. *Quis enim non videt, quàm miserè hominum conscientiæ legibus vexentur atque decretis Pontificum? Quis negare potest, quàm fraudulenter & insidiosè provincias omnes, inprimis verò Germaniam expilârint, & ne nunc quidem adhuc suæ rapacitatis finem aut modum ullum faciant? Si nunc & hos libros aboleam, tyrannidem illam confirmavero.* Confer etiam *Bal.* Centur. p. 646 ex Mantuano. Omnia tyrannidis Pontificię, tormenta quibus & in famam, & fortunam, & ipsam etiam optimorum quorumvis vitam crudelissimè sæviebant, non enumerabimus. Specimina quædam exhibuimus tum in hac ipsa Hist. hinc inde, tum in Diss. nost. de Necess. Refor. p. 47. In duo autem hominum genera potissimum gladium suum Pontifex, ejusque exemplo Clerus, strinxit, quorum *illud* temporalem Pontificis potestatem vellicavit, *hoc* jurisdictionem spiritualem: *illud* focis, *hoc* aris suis nimis molestũ esse arbitrabatur, *illi* hæreseos crimen publicè impingebant, Monarchię Pontificiæ assertores, quoties vel leviter eam labe-

actare tentabat. Insignis hac de re querela occurrit apud *P. Venet.* Hist. Inquis. pag. 47. *Accedamus,* inquit, *ad nostri Seculi contentiones, quæ fuere inter Pontificem Paulum IV. & Philippum II. Hispaniarum Regem, merè temporales erant. Hic Pontifex, tam in Consistorio, quàm cùm ageret cum Legatis Principum, & cum cujusvis generis hominibus, semper ingeminabat, Regem & Imperatorem, Patrem ejus, esse hæreticos. Quemadmodum etiam nuperrimè scripti libri pro causa Sereniss. Reipub. prohibiti fuère ab Inquisitione Romana, & ab alijs Ecclesiastici Status, sub velamine hæreseos, quanquam res quæ tractarentur essent planè temporales, consuetudines receptæ apud omnes Reges Christianos. Et Cardinalis Bellarminus ante aliquot annos librum evulgavit, in quo Principes, quo ad res temporales subijcit Pontifici, & audacter omnes tanquam Hæreticos reijcit, qui dicunt, Principem in temporalibus nullum agnoscere superiorem, quàm solum Deum, etiam si vix quinta pars Catholicorum credat.* Magno certè conatu hæc agebantur, suá sedulò locante operam Inquisitione, cujus tamen abusus adeò, ipsis monentibus Pontificiis,

ficiis, manifestus & intolerabilis fuit, ut, cùm Helvetii an. Ch. 1581. à Carolo Borromæo libertati suæ jugulum peti animadverterent, masculè se opposuerint, apertè dicentes, si quem Inquisitio in vincula conjecerat, Legatum, vinctum tantùm audivissent, liberatum non item, *Cardinalem ipsum fuisse incarceraturos.* Ita loquitur *P. Venet.* l.c. ubi Historiam paulò fusiùs recitat. Minorum gentium Dii, Monachi, Plebani, Sacellani quo animo in omnes fuerint, qui quæstum illorum restrictum volebant, probat Tragicus ille casus *Ricardi Hunni Londinensis* an. Ch. 1515. in carcere obtruncati, hac ferè de causa, quòd defuncti infantuli lodicem funebrem (mortuarium vocant) Decuriæ illius parocho noluerit permittere, ratus, infanti nihil fuisse proprium, aut suum, quod is vel tribuere, vel alter sibi vendicare posset. Atque hinc Tragœdia illa orta, de qua *Fox.* Comment. P.I. pag. 119. qua nobis occasione ingenium tyrannicorum illorum hæredipetarum graphicè ita depingit: *Est hoc Sacerdotum genus, cùm per se natura sævum & irritabile, tum verò omnium maximè, sicubi de quæstu & dignitate, periculum sentiat; tum ita inter se conjuncti, ceu Dodonæi lebetes, ut si unum attingas, omnes moveris.* Sic authoritati suæ & commodis temporalibus cavebant. In *dogmatibus* dissentire, emendationem vitæ suadere piaculum erat, carceribus & igni eluendum. *Ioh. Vitrarius* Franciscanus, cùm inquodam so-

rorcularum cœnobio ad castius vitæ genus eas hortaretur in concione, octo ex earum numero deploratæ, in ejus necem conspirabant, atque in locum semotum pertrahebant, ut injectis fasciis præfocarent. Sed divino adjutorio maleficarum evasit manus. *Ioh. Hilten*, etiam Franciscanus, Isenaci in Turingia quosdam reprehendens abusus Monasticos in carcerem conjectus fuit ac demum interemptus. *Ioh. FlecKen*, Minorita quoque, in Steinlausicensi cœnobio accusatus pigritiæ, quòd nunquam voluisset Missas celebrare, dicebat, aliam ejus rei esse causam, nempe Idololatriæ detestationem: Sed & ille à suis fuit oppressus. *Paulus Scriptoris Vuilensis*, & ipse Minorita, Transsubstantiationē non modò negavit, ut sup. Sec. pag. 1021. monuimus, sed etiam erroneum esse asseruit, quicquid scriptura non probet: unde etiam pro veritate in exilium à Monachis fuit ejectus. Obijt, 1504. *Bal.* Cent 8. pag. 644. cujus, testis αὐτόπτυ, & hoc est: *An. Ch. 1507. Thomas Noris, de Brocforth in Sudovolgia, exustionem sui corporis est Nordovici passus, quòd mortuos sanctos & imagines invocare, ac precatione Dominica salutare contemserit. Et eodem anno, ultore Deo, est ea civitas tota ferè incendio absumta.*

[1] Atque hoc sacrilegum πιερασπεες βείας vitium ubique invaluit. De quo quidem aliquid diximus *sup.* p. 262. & 131. *Specim. Philos. Hist.* p. 117. & in *Dissert. de neceß. Ref.* pag. 51. Quæ omnia fuse con-

confirmantur ab Henrico Stephano lib. 1. *Apol. pro Herod.* cap. 25. & sequentibus aliquot. At, quia hæc Theologiæ Practicæ calamitas totam pressit & afflixit Ecclesiam, non abs re fuerit, aliis eam documentis in apricum à nobis proferri. *Primò* enim, si eos, qui familiam inter Concionatores ducebant, respicias, Σπερμολόγοι plerunque erant & histriones. Sylvam habet *Bebelius* in facetiis suis, quæ si non satis faciat, *Erasmum* audi, ut plurimum αὐτήκοον, & quàm petulanter illi, quibus concionandi munus erat commissum, consueverint lineas transilire, adeóque ineptè ἐξορχεῖσθαι, ex *Ecclesiasta* ejus disce. Tribus liber doctissimi scriptoris absolvitur partibus, nulla tamen est, quæ non seculi illius infelicitatem seriò deploret, Concionatorùmque temeritatem flagellet. Vbi de dignitate, puritate, prudentia, cæterisque virtutibus Ecclesiastæ agit, præter alia, requirit A. *mentem sanam, sobrietatem, & sacrarum literarum notitiam*, à qua quàm longè nonnulli abfuerint, querulis proponit verbis pag. 44. *Nunc mihi quæso perpendas, quantum sit periculi, cùm citra delectum in suggestum admittuntur juvenes natura plusquam semifatui, rerum imperiti, nullo Judicio, nec humanis, nec sacris literis eruditi, interdum, quòd non raro vidimus, cibo potúque onusti, atque, ut absit crapula mentis vigorem obfuscans, nihil adferunt ad di-*

cendum, nisi vestem religiosam & impudentiam. Audivi quosdam concionantes, qui jam non multum aberant à manifesta deliratione, sicut à populo cum risu descererentur.

B. Requirit frequentius *studium pietatis*, quàm γυμνασίας σωματικῆς, in qua tamen nonnulli usque adeò superstitiosi fuerunt Concionatores ut vel percolârint culicem, & deglutierint Camelum, vel immoderata vitæ ἀσκήσει se planè reddiderint inutiles. *Videmus & olim factum esse, & hodie* (scripsit autem *Eras.* librum an. Chr. 1535. adeóque eo tempore, quo de tollendo periculosissimo hoc errore, satis jam moniti erant) *fieri, ut non aliunde magis intumescant homines, quàm ex illis externis justitijs, quæ se venditant oculis hominum. Superstitio varijs obrepit modis, veluti, cùm hæc animo judaico observantur, quasi cibi genus per se purificet aut inquinet hominem: aut quum ista sibi quisque præscribit, non ad usum, sed ad superstitiosum affectum. Veluti fuerunt quidam olim, qui pro vino & aqua succum herbarum non bibebant, sed sorbebant, idq; non è poculo, sed è concha, cùm & simplicius & utilius sit simplice aquam pro vino libere.*

re. Nec aberat à superstitione, quod à quibusdam numerabantur Jejuniorum dies, in triduum, in hebdomadem, in quadraginta dies, à nonnullis in omnem etiam vitam. Nec enim Jejunium adhibendum est ad præscriptum numerum ut in rebus magicis sed ad utilitatem corporis & Spiritus. Præpostero judicio peccatur, quoties plus tribuitur ijs quæ levioris sunt momenti, minus ijs quæ propius ad rem pertinent. Hujus rei exempla, quoniam undique obvia sunt, non opus est referre. Unum tamen indicabo, quo dilucidius sit quod dico. Multi valde perturbantur, si die Veneris per imprudentiam gustaverint carnes, at ijdem sibi non displicent, si calumnijs & famam proximi læserunt, & animum contristârunt. Miserè trepidant, si per occasionem sacrum amictum posuerunt; at non trepidant, si per temulentiam, avaritiam, odium, invidiam, abjecta veste candida animi quam Christus in baptismo tradidit, nigrum Satanæ pallium induerunt. In modo verò fortasse non ita multi peccant, quod hominum vulgus ad dulcia, quàm ad amara sit proclivius. Pec-

catur tamen & hic non leviter, interdum & à magnis viris, quorum de numero sunt Magnus ille Basilius & Gregorius Nazianzenus. Si quidem ut hic narrat, uterque sibi Jejunijs, hydroposiis, vigiliis, chameuniis, reliquaque vitæ austeritate parum moderata valetudinem miseram accersiverat: ut Basilio vita fuerit acerba, mors optabilis. Gregorius cogeretur Episcopi munus deponere, quod obeundis Episcopi partibus corporis vires deessent. Nec Divus Hieronymus dissimulat, inter Monachos fuisse quosdam, qui humore cellularum, assidua recitatione Psalmorum, ac parùm moderatis Jejunijs sic offenderent valetudinem, ut Hippocratis fomentis potiùs opus haberent, quâm ipsius præceptis. Quin ipse novi quum alios multos, quos immoderata vitæ austeritas ad omnem egregiam functionem reddidit inutiles, tum præcipuè Theologum quendam, virum alioquin bonum nec vulgariter eruditum, cui cùm post lauream Theologicam Parisiis acceptam, in Ecclesia quadam celebri Metropolitana datum esset Sacerdotium, sive, ut nunc vocant, prabenda concionatoria,

ria, statuissétque vir pius, licet mutata fortuna, de pristina austeritate, in qua fuerat educatus, nihil remittere, adeò factus est inutilis, ut intra paucos annos in lepram inciderit.

C. *Examen* in Concionatore *prævium*, id est, *ut inexploratus nemo admittatur. At nunc*, inquit p. 96. *in suggestum, hoc est, in cathedram, plus quàm regiam, insiliunt, nulla institutione ad hoc munus præparati, qui perfricta fronte volvant linguam, intendant vocem, detonantes quicquid in buccam venerit, aut quicquid eis præscriptum sit ab indoctis, aut quicquid humanus dictaverit affectus, ut ne interim eos commemorem, quos, heu nimium frequenter audimus, ita loquentes, ut illorum oratio nihil spiret nisi adulationem, gloriam ac quæstum, & quod his deterius est, odium & livorem proximi, idque tam evidenter, ut populus interdum quamvis crassus & rudis surgat, ac dicentem deserat.*

D. Queritur, veterum δοξολογίας *variis, deliris sæpe, mantißis auctas, & ignoti cantus introductione lectionem capitum Catecheticorum fuisse eliminatam. Olim* (scribit p. 261.) *certis diebus populus conveniebat. ad nihil aliud, quàm ad δοξολο-*

γίαν.sic enim appellant Græci & gratiarum actionem. Illic Propheta aut Episcopus magnificis verbis attollebat divinam in omnes creaturas bonitatem, populus psallebat hymnis & canticis spiritualibus Domino. Cujus generis extant aliquot Psalmi, & hos imitatus hymnus trium puerorum in camino, quædam item cantica à posterioribus facta, quorum est illud, quod ad imitationem puerorum Hebræorum canitur in die Palmarum, & aliud quod canitur feriis vernis: denique quod nunc ferme quotidie canitur in Missa ad imitationem Angelorum, qui Christo nato cecinerunt : Gloria in Excelsis Deo, *additi sunt hymni, qui nunc omnes precibus admixti sunt: inter hos primam laudem obtinent Ambrosiani. Utinam non accessissent complures indocti, ne dicam deliri. In hoc genere nonnulli sunt, qui nihil habent, nisi precationem. Accessit huc prosa, quam appellant* sequentiam. *Quo quidem in genere fateor esse quasdam eruditas ac pias, sed multò plures ineptas, ac divino indignas cultu. Quanquam hanc partem non recipit Ecclesia Romana, Germanis & Gal-*

lis

lis canendi studiosis concessit. Quibus adeò placent hæc accessoria, ut horum gratia prætermittantur præcipua. Symbolum decurtatur, precatio Dominica non auditur, & prosæ cantio nulli intellecta totam semihoram moratur populum.

E. *Fabulas abesse vult & τραπελίας à Concionatore Erasmus*; Idem tamen τὰ γελοῖα nimis trita Concionatoribus illius ætatis fuisse monet. *Nunc*, ait p. 266. *quum theatrici mores è templis ejecti sint, non tamen desunt, qui nimium frequenter, ne dicam impudenter imitantur fabulam, quæ jactatur de Demosthene, qui judices dormitantes in causa capitali excitavit, ex transverso inducto joco de umbra asini. Ut verum sit quod narratur, semel hoc fecit Demosthenes in foro, quod isti penè quotidie faciunt in templo. Nec ridicula tantum adferunt, sed interdum inepta, anilia, parumq; verecunda, nec habita ratione eorum apud quos loquuntur nec sui, nec loci, nec argumenti. E plurimis unum atque alterum proferam exemplum, cujus ipse fui testis. Quidam Franciscanus, vir ob vitæ sanctimoniam omni populo venerandus*

dus in Monasterio virginum à prandio disserebat de pudicitia. Is cùm videret aliquot è plebejis dormitantes, Rogo, inquit, expergiscimini, narrabo vobis lepidam fabulam. Maritus quidam ruri vivens, peregrè abiturus mandavit uxori, ipso absente curaret, ut reversus domum omnia reperiret ex animi sententia. Tum illa, mi vir, manda quicquid voles, senties uxorem morigeram in omnibus. Hic vir. Nihil, inquit, præscribo, mea lux, nisi unum quiddam, idq́; factu facillimum. Quodnam? Ne unquam abluas faciem ex hac aqua, ostendens lacunulam, in fimario, aquæ tetræ maléque olentis. Absente marito, quoties muliercula præteribat, sollicitabat animum illius admiratio, quam ob causam hoc unum diligenter vetuisset maritus. Neque enim aliud sibi persuadere potuit, quàm aliquid esse rei seriæ. Quid multis? Vicit tentatio, lavit, hoc est, contaminavit faciem: Consuluit speculum, displicuit sibi, & fætorem atque tincturam vix diebus aliquot potuit eluere. Maritus reversus, reperit uxorem subtristem & iratæ similem. Rogat, ecquid mali? Illa tandem

non

non continens stomachum expostulat, quod de aqua monuerat, & narrat eventum. Quid igitur? lavisti? Atqui ob isthuc ipsum vetueram ne lavares, ne tibi, quod evenit, eveniret. Hac denarrata fabula redijt ad laudem pudicitiæ, virtutis Angelicæ. Puer audivi quendam Dominicanum, eximia ac nativa linguæ gratia præditum. Is ut excitaret dormitantes hanc retulit fabulam, non absque specie nequitiæ. Nonna, inquit, quædam uteri tumore prodita est, habuisse rem cum viro. Convocato virginum cætu severiter objurgata est à Præposita, quam Abbatissam vocant, quod ad eum modum dehonestâsset sanctum collegium. Illa excusat vim juvenis, inquiens, venit in cubiculum meum, me robustior, cui frustra fuissem reluctata. Porrò vis non imputatur pro crimine, Tum Præposita. Excusari poteras, si clamâsses, quemadmodum admonet Scriptura. Hic virgo. Id quidem fecissem, sed res acta est in dormitorio, ubi solvere silentium religio erat. Sed desino, ne reprehendendo ineptias, ipse fiam ineptus.
In hunc censum *Erasmus* ea etiam rejicit, quæ mora

ra

raculorum aut Historiarum nomine apud plebem jactantur, eáque in *Ecclef.*p.684. exempla fabulola vocat. *Ab exemplis fabulosis* inquit, *quanquam & his, ratione quadam, utuntur oratores, Ecclesiastæ in totum abstinendum censeo, duntaxat apud promiscuam multitudinem. Video quidem fuisse morem nostra memoria, ut concionatores narrationibus quibusdam uterentur sub orationis finem, quæ videri poterant studio conficta ad terrorem incutiendum rudibus & obduratis, aut ut rem alioqui frugiferam persuaderent. Veluti de quibusdam impiè viventibus, qui à dæmonibus abrepti sunt: aut de Archidiacono, qui cùm audisset in templo recitari: Qui se humiliat exaltabitur, falsum est, inquit, si me dejecissem, huc dignitatis nunquam emersissem. Mox fulmen cælitus emissum, & blasphemam linguam & vitam abstulit. Simile est de lena, cui Diabolus pollicitus est par calceorum, si quendam virum sanctum, quem ipse multo tempore tentaverat frustra, ad incontinentiæ lapsum pertraheret. Lena perfecit, ac petiit mercedem ex pacto. At Dæmon illi calceos longa hasta*

st æ præfixos porrexit ultra fluvium, ipso facto confitens eam mulierem esse tam sceleratam, ut ipsis etiam Dæmonibus esset abominanda. Non referam plures formas, hæc dixisse satis est, ut Lector intelligat quid sentiam.

E. Vbi ad partes Concionum suo tempore habitarum descendit, in plerisque ostendit, οὐδὲν ὑγιές. 1. *Exordium* fere est a. *alienum*. Ita enim pag. 271. loquitur: *Inepte faciunt quidam horum temporum, qui nunquam conscendunt suggestum nisi cum accurato exordio, eoq; quod absurdissimum est, ab argumento alienissimo, ut potius sit nova oratio quam exordium. Atque hoc existimant esse melius exordium, quo fuerit alienius. Atqui doctis laudatur exordium quod e media causa sumtum, & quo ad fieri potest, argumento sit proprium, certe appositum & congruens. Non est opus hic exempla referre vitiosi exordij. Nimis obvia sunt, & abunde cuiq; sua suggeret memoria, qui modo conciones frequenter audire consueverit. Ipse audivi quendam, cui quotidie per totum quadragesimæ tempus concionanti fuit idem exordium.*

dium. Tribus nominibus laudabatur virgo Mater, verbi causa, quòd sancta, quòd virgo, quòd Prophetica: & quisque dies novum habebat ternionem, unde necesse fuit multos accersere terniones, nec fieri potuit, quin in his essent aliquot frigidi & coacti. b. Scurrile. *Non libet*, inquit pag.274. *hic referre fabulas, quibus traducitur quorundam temeritas, qui scurriliter in exordio lusisse dicuntur: Unum attingam, ex quo spectentur cætera. Quidam à nocturna compotatione semisomnis prosilijt in suggestum, expositurus mortem Dominicam. Auspicatus est his verbis, tanquam è Paulo desumtis: Ebrij sunt & ego, de se & compotoribus loquens. Apparet fuisse Gallum vel ex hoc, quòd ea Gens Hebræi pronunciat prima acuta, ut minimum absit ab ebrijs. Sed dum repetit ex more exordium, cæpit expergisci, sentítque errorem suum, ac protinus mira solertia, quod temerè dixerat, huc detorsit, quanta ebrietas habuit infelices Judæos, quum Christo Domino mortem moliebantur.* II. *Narrationes fictæ.* Exempla jam dedimus, cum quibus confer alia, pag.284. III. *Propositiones, novis & vetustati incognitis invocationibus au-*

cta,

tæ. Mirum verò, scribit pag. 302. *unde mos inoleverit, quo nunc plerique, perorato Exordio, salutant beatissimam Christi Matrem, idq. majori religione, quàm invocant Christum, aut illius Spiritum, appellantes eam omnis gratiæ fontem. Equidem non arbitror acrius insectandum, quicquid pio simplicíque geritur animo. Sed tamen hoc meminisse debent, qui nimium urgent eam consuetudinem, primùm esse præter Scripturæ authoritatem. Jacobus enim præcipit, ut qui indiget sapientia, non postulet à sanctis, sed à Deo. Dein, esse præter omnium veterum exemplum, quos magis oportuit imitari, quàm istos nescio quos, qui haud scio an blandientes sexui fæmineo, perperam imitati, Poëtas Ethnicos pro Musa substituerunt virginem Matrem. Hoc fit etiam ineptius, quoties argumentum non congruit Personæ virginis. Puta, si quis expositurus sit, libidinis species, aut quot modis perdatur virginitas. Congruentius est, quod Prudentius Vincentium celebraturus, non invocat pro Deo, sed tantùm orat, ut prosperet diem suum triumphalem. Ita tolerabilius esset.*

si, dicturus laudes Virginis, imploraret auxilium Virginis. Adde his omnibus, quòd isti, admonito populo, ut invocet B.V. nihil petunt ab ea, sed tantùm salutant verbis Angeli & Elizabethæ. Idquum non sit cariturum ineptia, etiamsi quis Deum invocandum præfatus, nihil ab eo petat, sed laudet eum cantico Angelico, Gloria in excelsis Deo, multò ineptius est, pro precatione salutationem offerre Beatæ Virgini. Pium quidem est laudare Deum, sed cuiq; rei suus est locus, & ineptum videtur, quicquid non fit in tempore. Indignantur, convelli laudabilem consuetudinem: At alij justius indignentur tolli laudabiliorem. Johannes Gersonensis, vir pius, concione quadam in ipsa invocatione movet quæstionẽ; an virgo mater senserit primos motus ad vitia? Scio, repertam à quibusdam rationem, qua Virgo Mater dici possit fons omnium gratiarum, quia genuit Christum fontem omnis gratiæ. Hic nobis, opinor, occinent ex Aristotele: Propter quod quidque tale, & illud magis; vocemus igitur Aristotelis patrem

trem summum Philosophum, genuerit. Quanquam ne in Christum quidem competit hic titulus fons omnis gratiæ juxta naturam humanam, quam assumsit ex virgine. IV. *Partitionum partes non inter se cohærere. Sic enim,* refert pag. 313. *audimus nonnullos promittere. Primò loco exponam vobis parabolam Evangelicam, secundò proponam quæstionem Theologicam, tertiò referam vitam sancti Christophori, postremò adjiciam moralem Historiam ex Gestis Romanorum. Sic enim appellant opus quoddam ex manifestis mendacijs conflatum, à quodam, ut suspicor, qui voluerit irridere Theologicas allegorias, ad moralem sensum detortas. Hoc tamen fit tolerabilius, si quæstio ex Evangelij loco nascitur, & divi vita cum Evangelij loco congruit, alioqui etiam digna, quæ narretur in templis. Anilibus fabulis nusquam debet esse locus.* V. *Immoderatis nimis laudibus sanctum quemque evehere suum, & fictis etiam commendare plebi Ecclesiasticæ miraculis.* Hoc genus (laudandi per comparationem) censeo parcius utendum Ecclesiastæ, vel quia ignavum est, vel quia invidiosa est omnis comparatio, teste proverbio. Quo tamen nostris temporibus quidam

immodicè sunt usi, non sine gravi multitudinis offendiculo. *Accidit, ut dum Ecclesiastes D. Franciscum ad omnes cœlestis Hierarchiæ ordines deduceret, Confessores, Doctores, Virgines, Martyres, Prophetas, & Prophetis majorem Johannem Baptistam, denique ad ipsos Seraphicos Spiritus, atque ille ubique audiret, Ascende superius: Ventum sit denique ad sacratissimam Virginem, quæ filio assidet dextra, & hic audivit, Ascende superius: quum nihil superesset nisi Filius Dei, non ausus est vir pius Christum è throno suo depellere, & tamen clamabat, nondum esse repertum locum illo dignum. Hic cùm hæreret laudator, & subinde rogaret, ubi collocabimus Patrem nostrum, quidam è turba morosior: Si deest, inquit, locus, colloca illum in locum meum: simúlque abijt è concione.* Nec ulli laudibus invidiosius extulerunt Franciscum, quàm qui illius erant dissimillimi moribus & vita. Contrà, qui se vocant Augustinenses, efferebant Augustinum suum, nec à convitiis in Franciscum temperantes: Dominicani Dominicum, ac Thomam & Catharinam Senensem ultra æquum efferebant. Nimirum hic est affectus, quo quæque provincia favet sui patroni laudibus, ut Romani favent Petro, Græci Paulo, Parisienses Dionysio, Hel-

Helvetii Gallo, Germani Henrico Imperatori, Angli Georgio, atque item de cæteris. Nam hæc exempli gratia tantum volo dicta. Interdum rixa exit in pugnam. Non amant ad istum modum laudari sancti. *Jam illud non est recentis exempli, divos confictis miraculis affectibus imperitæ multitudinis commendare.* Et hac arte quidam magis inclaruerunt. Verùm, hæc gloria Divis ingrata est, qui hoc ipsum quod habent veræ laudis Deo transscribunt. Deforme exemplum est Pharmacopolarum, qui mensa in foro posita, ostentant dentes eductos, lapides è vesicis exectos, diplomata magnatum quos à morte revocârint, magnaque vanitate denarrant sua præclara gesta quæstus gratia. *Horum non dissimiles sunt, quos nimium diu tulit mundus, qui circumferunt reliquias ac statuas Sanctorum, summa impudentia jactantes miracula, quæ nunquam gesta sunt, & interdum plus quàm scurrili impudentia, fœnum aut stramenta ex latrina fortassis aut horreo sumta, offerunt simplicibus osculanda, ostendunt carbones è foco sumtos, mentientes his assum fuisse Laurentium.* Ab his exemplis oportet verum Ecclesiasten quàm longissime abesse. Plurimum enim decet interesse inter pastorem & impostorem. De Sanctis rarius loquetur populo, præsertim iis, qui divinarum literarum testimonio non sunt com-

mendati. Christus abundè fœcundus est, ut Ecclesiastæ non posſit deesse dicendi argumentum, etiamsi singulis diebus quater velit concionari. Occurrunt hæc *lib.cit.* p. 535. VI. *Quem in argumentis ordinem observârint Ecclesiastæ*, Erasmi tempore, ex eodem didicisse tutissimum fuerit. Olim, inquit, p. 527. quoniam Ecclesiastes ferè versabatur in enarranda Scriptura sacra, ipsa Scripturæ series suppeditabat ordinem. Verbi causa: Psalmus proponebatur. Primo loco titulus explicabatur, deinde Psalmus. Si Martyr laudabatur, ordo sumebatur ex præceptionibus generis demonstrativi, veluti cùm Chrysostomus celebrat Babylam, Basilius quadraginta Martyres. Beatus Paulus hunc ferè servat ordinem, ut primum doceat ac dissolvat difficultates quæstionum. Dein subjicit monita de motibus, quæ minus torquent lectorem: postremò salutationes, commendationes ac precationes. Hoc videtur imitatus Chrysostomus, qui post explanationem Scripturæ, excurrit in locum moralem, ex iis, quæ dicta fuerant occasione arrepta. In his velut in viridariis amænioribus requiescit ac reficitur auditor. Facit idem nonnunquam Hieronymus, ut quum è scopulis ac locis confragosis enavigavit oratio, ad amœniora devenit, vela pandens, & quasi celeusma canens, sic enim ille loquitur. *Recentiores, quoniam à veterum exemplis recesserunt, varias ordinis formas commenti sunt.* Quidam primùm orant tacitè, mox erecti signant se cruce, præfati nomen Patris, Filii

&

& Spiritus Sancti. Dein, recitant Thema, ut vocant, de quo quædam generalia proloquuntur, quod improbandum non est, si modo quæ præfantur auditorem præparent, vel benevolentia, vel attentione, vel docilitate. Post hæc comperio morem apud quosdam fuisse, ut recitaretur Evangelium lingua, ut opinor, vulgi. Deinde pro impetranda gratia, salutabatur illa gratia plena. Hinc repetebatur thema, mox divisione facta, sermo peragebatur. Vicani, & qui hos imitantur quibusdam in locis, primum attingunt nonnihil ex Evangelio, deinde recensent Divos, qui vel in eum diem, vel in sequentes incidunt, deque eorum laudibus nonnihil attingunt, postea denunciant, si quæ feriæ, aut si qua jejunia in eam incident hebdomadem. Denique, si quid monendum est, admonent, veluti si sublevandi pauperes, aut si quis quid amisit, aut si quid mali premat immineatve, ut pro illius depulsione Deum deprecentur. Compluribus peracta concione recitatur aliqua pars Symboli cum exomologesi & absolutione: Quod apud Italos fit post recitatum Evangelium, in quo agnoscas aliquod pristinæ consuetudinis vestigium. Nam olim, postquam Diaconus ad populum progressus, eoque salutato, jussu Episcopi pronuntiaret Evangelium, Episcopus enarrabat, quod lectum erat, mox reversus infra cancellos peragebat mysteria. Simile vetustatis vestigium vidimus in Ecclesia Anderlacensi, haud procul à mœnibus civitatis Bruxellanæ: Collegium est Canonicorum, pastor extra cancellos sacrificat populo, sic moderato tempore, ut Canoni-

corum cantiones finitæ sint, antequam ipse recitârit Evangelium. Mox eodem cultu, quo astabat altari, conscendit suggestum, docetq; populum: Eo facto redit ad altare, peragitque sacrificium, nec prius dimittitur populus. Hæ sunt prisci moris reliquiæ. Post ubi jam Sacerdotes imperiti occupaverunt Ecclesias, ne nihil referrent vetustæ consuetudinis, pro enarratione Scripturæ, recitant exomologesin & absolutionem. Quod meritò supervacuum videatur, quum exomologesis peracta sit ante Missæ exordium, quem introitum appellant. Sunt qui concioni & alteram addant Coronidem. *Recitant multa nomina defunctorum vel ægrotantium, vel parturientium, vel alia quapiam de causa periclitantium, & pro singulis nominatim expressis exigunt* Pater Noster, *&* Ave Maria, *ipsi pro singulis accipiunt assem aut drachmam.* Quis neget esse pium orare pro laborantibus? Sed quid opus est tot nominibus? Quid necesse est ita viritim partiri orationes? Tum quid opus est concionem tot appendicibus extendere? *Audivi, qui proposito Themate, præfationis loco, quædam narrarent, quæ à Themate erant alienissima: his peroratis, & invocata virgine matre; themata repeterent, quod ipsum erat vulgare, id est, ad quodvis argumentum æquè quadrans:*

drans: Post hac exponebant ejus diei Evangelium, sed in transcursu, velut obiter. Tum proponebatur ex abrupto quæstio Theologica: postremo loco addebant narrationes vel miraculorum, vel fabularum, quibus imperitè fictis, afficta sunt similes allegoria, dignum, ut ajunt, patella operculum. Hic scilicet illorum est excursus ad reficiendos jam lassos auditorum animos. Hic ordo tametsi non est concionis, veluti corporis, tamen tolerari poterat, si nihil esset ineptum aut frigidum, & si qua ratione inter se congruerent, thema, Evangelium, quæstio, & exhortatio. Quæstionis accesio videtur è Scolasticorum ostentatione orta, unde & illud inductum arbitror, quòd quidam rei, de qua dicturi sunt, summam Latinè præfantur, admirante turba non intellectam eloquentiam: hoc dicunt se tribuere auribus eruditorum, in quo bis peccant mea sententia. *Quid enim opus est lingua Latina, cùm docti, qui adsunt, etiam calleant vulgatam? Præterea plerumq; frigida sunt quæ præfantur, nihil habentia ponderis, neque subtilitatis, tantùm ut consuetudini satis fiat.* Aliquid esset, si quæ Latinè proloquuntur ejus generis sint, ut Lingua populi vix posint exprimi. Audivi qui illud præscripsisse sibi videbantur, haud scio unde haustum: Intermiscebant orationes quasdam elaboratius, & exquisitis verbis

compositas,multumque dissimiles reliquæ dictioni: Non aliter, quàm in Græcorum Tragœdiis admiscetur chorus,ut hinc ducta videri possit imitatio. Aliis hoc studio est, ut concionem è variis disciplinis velut emblematibus contexant partem adferentes è Theologia vetere, partem è Scholastica, partem è Philosophia, partem è jure Pontificio, partem è jure Cæsareo: nonnihil aspergentes è Poëtis: quæ res,præterquam quòd speciem habet inanitatis, inconcinnam reddit orationem, præsertim cum id affectatò fieri vel illud arguat, quod perpetuò fiat. Apud Italos quidam partiuntur orationem non eodem modo, sed non minus inepté. Prima pars datur exponendo Evangelio, altera Iudæis confutandis,si adsint, tertia Prophetiæ, quam sibi complures illic vendicant. Quorum de numero fuit Hieronymus Savonarola: *& ipse Romæ quendam audivi tum quidem primi nominis, qui palàm cum religiosa testificatione, sibi assereret Prophetiæ donum. Nonnulla pars dabatur Danti aut Petrarchæ, quorum rythmi voce canora,plenisq; ut ajunt, tibijs, & insigni corporis gesticulatione pronuntiabantur. Dixisses aliquid dici sacratius Evangelio. Hujusmodi commentitijs novitatibus magis indulgent, qui religionis titulo commendantur, quàm ij, quos ideo Seculares appellant, quòd Monachi non sint, nimi-*

mirum gratificantes affectui multitudinis potius, quàm judicio consulentes. Audivi quosdam, qui paradoxa in speciem absurdissima proferrent apud concionem: & in his involvendis verius, quàm explicandis venditabant acumen ingenii, quo negotiatoribus, quorum liberalitatem solicitabant, fidem facerent, se in scholis non omnine lusisse operam &c. Hujus varietatis exempla etiam habes in *Manual. Curat*, l. 1. *Consid.* 7. *De variis modis prædicandi*: Item] *Consid.* 12. Lib. 2. *Consid.* 1. & 16. *De variis consuetudinibus Ecclesiarum, quo ad prædicationem, & alia, quæ in parochiis fieri solent.* Recitabo locum, ut, qui festucas nostras vident, suas etiam trabes observent. Diversitas consuetudinum, *inquit*, pro loco & tempore, dummodo non sunt veritati contrariæ, non est reprobanda, ut in Canone, *Scit Sancta Romana*, XII. dist. Et C. *Novit*, & C. sequenti; Imò consuetudo illorum, cum quibus conversabatur quis, si non sit perversa, semper est observanda, ut XII. Dist. C. *Illa*. Vnde in Ecclesia Collegiata Parochiali Petri Majoris Basileæ, in qua ante tempora Canonicus & Decanus extiti, talis modus in usu est. Facturus sermonem Plebanus vel alius, inprimis legit schedulas quas reperit in Cathedra seu ambone: Et si postea inter prædicandum venirent schedulæ, reservantur usque ad finem sermonis, ne sermo interrumpatur. Deinde pronunciat schedulas citationum, monitionum, & excommunicationum, si habet. Postea indicit festa per futuram hebdomadam celebranda: & statim sub-

subjungit anniversaria fundata vulgariter Gestifft Jahrzeit. Item pagina Dominicalis, liber vitæ (aliâs vocatur litera, charta vel cedula defunctorum: liber animarum seu defunctorum, propterea quod inscribuntur communiter in eo libro, in quo anniversaria defunctorum fundata, & ultimæ voluntates inscribi solent, &c. *Id.* Consid 7.p.88.) seu Fraternia vivorum & mortuorum legitur hoc modo. In una Dominica nomina mortuorum, in alia Dominica nomina vivorum, vel pars una in una Dominica, alia in sequenti. Et in quatuor angariis seu Dominicis angariam sequentibus simul leguntur omnia. *De illis Plebanus habet pro salario suo 2.sch. pro uno nomine: & dum cessant dare, cessant pronunciare.* Consequenter pro omnibus gradibus & statibus Ecclesiæ universalis ac totius Christianitatis exhortatio ad orandum fieri solet: & circa finem illius aliqui subjungunt: Quia oravimus pro vivis, & mortuis, ne simus propriæ salutis immemores, dicat quilibet mecum Pater noster, Ave Maria, & Credo. Et sic in Teutonico dicit illa coram populo, & aliquando decem Præcepta subjungit, ut juniores addiscant. Quibus peractis proponit thema & ordinatur sermo, & deducitur usque ad pulsum, qui fieri solet, & tunc cessando dicitur generalis confessio, & commendat se orationibus populi. Tunc incipitur cantus in choro. In Ecclesia verò Parochiali S.Leonhardi manè intra septimam & octavam horas, vel citius canitur una Missa, quæ dicitur Parochialis, & post ejus eleva-

vationem Sacerdos ascendit cathedram. Et primò indicit Festa. Deinde librum vitæ & nomina defunctorum, anniversaria, schedulas citationum, monitionum, & excommunicationum (das wäre wol ein erschrockenlich zedelin lesen: quibus enim excommunicati injuriis fuerint expositi, habet *Id.* p. 122.) & alias schedulas: deinde thema proponitur, prædicatur, & in sermonis generalē confessionem pronunciat. Ita *Surg.* Hac circumstantiarum varietate res non stetit; in Scripturæ etiam explicatione in diversas itum fuit sententias, magno cum imperitorum scandalo *Si fortè*, scribit *Idem*, Consid. 20. Caut. 11. *aliquando & rarius necessitas exposceret aliquam materiam opinatam intrare ex causa, ut materiam assumtionis B. V. si corpore & anima sit assumta? vel aliam Problematicam inter Doctores, videndum est, qua opinio saluti populi magis conveniat. Et tunc clarè dicere seu distinguere inter materias Theologicales certas, & opinatas, & pro meliori persuadere, quosdam Patres & doctos viros sic dicere &c. & illud Christiana religioni congruum esse. Alioquin plus obesset, quàm prodesset apud simplices, opinatas materias tractare, cùm non sint capaces, imò scandalisantur & hasitant de sacra Scriptura dicentes: Unus*

Do-

Doctor dicit sic; alius sic. Vel alia verba grossiora, puta, flectunt Scripturam sicut nasum cereum, æstimantes simile esse de certis & non certis, opinatis & non opinatis. Dixit ad me quidam antiquus Vinicola de populo parochiæ meæ, superioribus annis, cùm audivisset Prædicatores de una materia diverso modo prædicantes, ut puta de materia conceptionis B.V. Quomodo est, inquit, quod vos Presbyteri, & religiosi diversimodè prædicatis Scripturam? videtur mihi, quod sitis imprudentiores, quàm nos rustici: habemus artifices, puta currifices, qui currus & rotas sic faciunt, quod ubique terrarum ad omnes orbitas valeant, & nihil exorbitant, vos autem mirabiliter exorbitatis: *Et satis bene dixit.* VII. *De memoriæ exercitio quid multa dicere attinet?* Illud tamen mirari subit, memoriam, quam vocant artificialem, tam operosè fuisse commendatam. Legatur *Manuale Curat.* Ioh. Vlrici Surgant, lib. 1. Consid. 20. ubi prolixè admodum agitur *1. de memoria. 2. natura memoriæ. 3. Differentia inter memoriam naturalem & artificialem. 4. Tribus utriusque memoriæ requisitis. 5. Fundamento artis memorativæ. 6. Diversis modis præparationis locorum. 7. Numero, quantitate, qualitate, distantia, & ordine locorum. 8. Locis per meditationem assiduam animo imprimendis, ita tamen, ut non debeant ima-*

imagines novæ scribi, nisi deletis antiquis. 9. Imaginibus ipsis, quales debeant sumi. 10. Virginibus rerum corporalium & incorporalium simpliciter apprehensarum. 11. Imaginibus rerum compositarum. 12. Colligantia imaginum. 13. Memoria artificiali per catenam habenda. 14. Quatuor notitiis omnium materiarum pro reformandis imaginibus. 15. Verborum memoria. 16. Memoria terminorum Substantialium & Accidentalium. 17. De memorando propositiones, auctoritates & versus. 18. Artificiosa memoria argumentorum. 19. Artificiali memoria orationum prolixarum præmeditatarum vel auditarum ab alio. 20. Utilitate hujus artis: quod quidem artificium (verba sunt Eras. pag. 532.) *si quis exactius perdiscat, & anxie respiciat ad locos & imagines, meo quidem judicio, plus adfert impedimenti, quàm adjumenti. Primum enim hebetius reddit ingenium, ac dicendi calorem refrigerat anxia cura, deinde nativam memoriæ vim, quæ plurimarum rerum est capacissima, præsertim si ad naturam felicem accedat intelligentia, cura, exercitatio*

&

& ordo: quum ijs, qui anxiè observant artem, interdum eveniat quod solet illis, qui machinis nimium operosis aliquid moliuntur, ut plus sit negotij in apparanda machina, quàm futurum erat in opere vulgari modo conficiendo. Ita citius edi scas quæ velis meminisse, quàm singula in locos & imagines digeras, ut jam duplici sit opus memoria, rerum de quibus paras discere, & locorum atque imaginum, quas subinde novas fingere oportet. Magna certè seculi infelicitas, qua per ambages tantum, imò spinas & sentes incedendum fuit. Quasi beatum nihil aut solidũ haberi posset, quod non esset perplexum mille difficultatibus.

VIII. *Gestus* restant, quibus multi se moriones potius, & histriones, quàm Evangelistas prodiderunt. Non negat hoc *Eras*. l.c.p.621. *Vidi*, inquit, *qui per turbam ad suggestum euntes cuculla tegerent faciem, quasi vir pius non posset habere vultum & oculos compositos, nisi tegantur utrinque, quemadmodum equis petulantioribus aurigæ solent affigere coria, ne quid videant nisi viam à fronte. In suggesto sic procumbebant oraturi, ut illisione genuum ederent clarum strepitum. De alio audivi, qui suggestum petens pallio totum contexit ca-*

caput, nec huic quicquam placebat, quod esset cum alijs commune. Non dignabatur in templis concionari, sed sub dio, nec cuiquam faciebat sui copiam privatim, etiamsi à Principibus rogaretur: humi cubabat, nec victus erat dissimilis, nempe panis & aqua, corpus macie confectum, cadaveri quàm vivo homini similius, per interpretem loquebatur, mirisque gestibus & clamoribus territabat multitudinem, interdum fune distringens collum, oculisq; stupentibus præfocatum imitans, pectus subitò nudatum, pugno tundebat, inclamans misericordiam, misericordiam, misericordiam: *Nam Italus erat. Ad tam insolitum spectaculum etiam è longinquo confluebant, non amore pietatis, sed studio novitatis. Acerrima vociferatio erat in aleas, in chartas, in tympana & plumas. Hæc igni cremabantur. Cuidam aulico, qui fortè proximus astabat suggesto, plumam è galero detraxit, & dilaceratam sparsit in populum, horribiliter vociferans in superbiam. Hunc quidam nimium bene imitatus, posteaquam strenuè clamârat in hominum scelera, quibus Chri-*

stum iterum crucifigerent, proferebat imaginem crucifixi, sed affixis folliculis, quibus attactis sanguis erumperet, & in turbam spargeretur. Huic affine est, quod quidam per imagines movent affectus, aut per ostensas sanctorum reliquias, quorum neutrum convenit gravitati loci, inquo consistit Ecclesiastes: neque enim legimus unquam tale quicquam factum vel à Christo, vel ab Apostolis. Video, quosdam, ad affectus concitandos, abusos narratiunculis quibusdam, plerisque ut arbitror, in hoc ipsum confictis. His subsidijs, adjutis, quid mireris, minus laborandum fuisse? Iactant se aliqui (scribit *Ioh. Vi. surg.* Man. Cur. l. 1. consid. 12.) *quòd in una hora velint se disponere ad unum sermonem, quantumcunque longum, qui stultitiam suam in publicum mihi prodere videntur. Nam valentes & famosos Doctores ac Prædicatores egregios vidi, qui dicebant ad minus tres horas se habere necessariò oportere, pro quolibet sermone in studio. Vidi etiam Doctorem, qui in cathedra dixit, ad octo vel plures, imò quatuordecim dies pro uno sermone studuisse.* Mittemus examen praxeos, ubi breviter præmiserimus, calamitatem hanc fundi Theologici auxisse contemtum non modò sacræ Scripturæ, sed & linguarum originalium. Vnde factum, ut non modo è Biblijs, sed Traditionibus etiam,

tiam, ut postea audiemus, textus depromerentur. Accidit etiam, ut Textus ex corrupta, & innumeris scatente erroribus Editione vulgata lectus, um docenti fraudi fuerit, tum discentibus. *Quot seculis*, clamat *Erasm.* in Eccles. pag. 805. *in templis canitur ex Psalmo 41. Ita desiderat anima mea ad Deum fontem vivum, pro fortem vivum, quemadmodum verterunt LXX. & habet Hebraica veritas. Augustinus hanc particulam non attingit, fortem, & vivum appellat, ut distinguat à Simulacris mortuis, quæ non possunt homini conferre salutem, & à malis liberare. Quot seculis ex Epistola ad Hebræos privatim ac publicè legunt; Fide quidam placuerunt Angelis hospitio exceptis: pro, latuerunt Angelis hospitio exceptis? Germanam lectionem scriba depravavit, non agnoscens Græci sermonis proprietatem. Et hujus generis sunt innummera.* Hinc licentiosior secu ἀλληγορομανία, quâ, sensu literali Scripturę oberato, immania profecto portenta festivi illi Deagogi sculpserunt. Hoc Augiæ stabulum jam on everremus; speciminis tamen loco audire plat ea quæ *Eras.* l. c. pag. 776. ea de re posteritati requere voluit. Extant, inquit, commentarij cujusam, nomini parcetur, qui, quo est apuod Prophe-

tam Abacuc: *Turbabuntur pelles terræ Madian*, quod juxta literam dictum est de tentoriis Æthiopiæ, juxta moralem intellectum applicari potest ad impios, quorum, conscientia tandem perturbanda sit terrore judicij, *detorsit ad Bartholomæum excoriatum nimis impudenter, etiamsi vera fuisset historia: nunc etiam hoc impudentius, quod Ecclesia eam ut fabulosam rejicit.* Quis enim sic loqueretur de Apostolo excoriato, turbatas esse pelles illius? Quod nunc referam nec legi, nec ipse vidi, sed ab homine minime vano, qui præsens audivit, accepi. Locus tacebitur ne quis offendatur morosior. E Schola quidam prodijt jam aliquem gradum adeptus in Theologia, in urbe totius regionis celeberrima, in frequentissima concione sui specimen daturus. *Is edidicerat duodecim signa Zodiaci, eaque magno studio ad allegoriam detorquebat, multis admirantibus, subridentibus nonnullis, quibus erat plus nasi. Quàm inutili labore vir ille se torserat tribus aut quatuor mensibus? Nam ante tantum spatij solent præmoneri, qui certis diebus eo loco dicturi sunt, quo veniant præparatiores. Narrabat idem, alium Theologiæ Doctorem, non è multis unum, sed ut in Scholastica Theologia, ita in disciplinis liberalibus omnibus insigni-*

signiter eruditum (nam mihi familiariter fuit notus) in eadem urbe, loco omnium celeberrimo, post trimestrem meditationem, ex infimis Grammaticæ rudimentis conatum docere mysterium sacræ Triadis, eam accommodando ad congruentiam nominis & verbi. Cum eo Theologo quum commentarer de variis Similitudinibus, per quas docti conati sunt aliquam Triadis imaginem ostendere, dixit, *nulla ex re aptius proferri similitudinem unius Essentiæ in tribus personis, quàm in figura Trianguli Mathematica, in qua sunt tres lineæ æquales eadem superficie.* Quod tamen ridiculi causa non commemoro, præsertim quum in privata confabulatione dictum sit. Prius illud in tam celebri frequentia nimis erat frigidum. Quid multis? Hæc licentia paulatim eò processit, ut ista à magnis Theologis pro summa laude cœperint affectari. Ipse audivi Theologiæ Doctorem Parisiis laurea donatum, Ordinis divi Dominici, profectò doctum insigniter & humanum, qui per totam quadragesimam aliquid admiscuit ex Evangelica parabola de filio prodigo, jucundè magis quàm graviter affingens, quid illi accidisset discedenti à Patre, quid revertenti, ad hunc modum: *Ubi nunc est noster filius male frugi? Quid rerum gerit? Venit ad molam aquatilem. Ibi*

restat. Hic proferebantur è Scripturis testimonia de rotis molæ versatilis, & ad aberrantem accommodabantur. Postero die. Ubi nunc noster prodigus? Quid agit? Reperit popinam. Quid illic? Vescitur. Quid eduliorum. Appositæ sunt illi linguæ incoctæ crusto triticeo, artocrea vocant quidam. Hic ad hibebantur testimonia de linguis hominum perniciosis. Singulis item diebus tale quoddam figmentum adferebatur; nonnulla fortasse cum titillatione aurium populariium, quanto cum animorum fructu nescio. Atqui divina Scriptura fœcundior est, quàm ut hujusmodi fabulis oporteat horam eximere. Et si delectandus est auditor, habet Scriptura sua viridaria, in quibus liceat decentius reficere animum. Iam compertum habeo inter eos, qui vitam profitentur contemplativam, ac sibi tales videntur, haberi libellos, in quibus simili studio fictis narrationibus addebantur allegoriæ. Vnam exempli causa ponam. Viator quidam lassus, videns arboris truncum, insedit. Non erat autem arboris truncus, sed draco convoluto corpore dormiens. At bestia pondere insidentis & calore excitata, erexit caput, ac viatorem devoravit. Hinc affingebatur allegoria. Viator est omnis Christianus, qui cupit in hoc mundo conquiescere, sed ubi quietem quærit, mortem invenit. Proinde qui tutò vult iter suum absolvere, à mundo se se subducat, & fiat Monachus. Quanquam hoc

quoque tole rabilius, quàm quòd quidam manifestò falsis affingunt allegoricas interpretationes. Ipse meis auribus audivi quendam non eruditum, sed religionis opinione commendabilem, atque ob muneris authoritatem gravem, qui in fine concionis feriæ, erat enim Dominicus dies quadragesimę, quo tempus expleret, adjecit aliquot fabulas, quarum unam exempli causâ narrabo. Ajebat, in regione nescio qua, esse avem *ἀνώνυμον*, pulcherrimis plumis decoram, eas plumas illi certis anni temporibus defluere, ac jam deplumem, miserabiles edere voces, nec finem omnino facere, donec plumæ renascerentur. Hic allegoria. *Avis* illa designat hominem, cujus plumæ sunt virtutes, quæ cùm deciderint, lamentis pœnitentiæ revocantur. Templum erat Auditoribus differtum, inter quos erant eruditi plures quadraginta, & in his Doctores non nulli. Evangelium erat ex Iohannis capite nono, quomodo Iesus ceco nato restituerit oculos. Evangelistæ narratio tam prolixa est, ut hujus commoda expositio potuerit totam occupare horam, ac populum attentum retinere. Hæc si dissimulantur quid superest, nisi ut Ecclesiastes in suggesto narret interpretetúrque sua somnia. Hæc *Erasmus*, quorum omnium compendium ex eodem *Erasmo* dedimus, sup. pag. 130. & deinc.

II. Vidisti *Praxin*, ipsam accessurus *Theoriam* paucos habes, qui concionandi regulas & Canones præscripserint; si qui tamen sunt, vel ex usu Seculi 1. *Ecclesiæ authoritatem in Thematibus concionum eruendis ne Scriptura quidem inferiorem* esse existi-

mant. Iob. Vlr. Surg, L. 1, Consid. 10. *Thema debet esse authenticum, ut contineatur de verbo ad verbum in Sacra Scriptura, vel saltem communiter ab Ecclesia cantetur. Nam ritus ipsius Ecclesiæ à Scriptura & traditione Apostolica, & à consuetudine sancta pullularunt, XI,* dist, c. Ecclesiasticarum, & c, Catholica. *Unde qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* C. Nemo de judi. *Et August. lib. 11. contra Faustum, inquit*; Ego Evangelio non crederem, si me Catholicæ Ecclesiæ authoritas non commoveret. *Præterea* ij ij quæ IX. Maximam, *inquit*, auctoritatem habet Ecclesia, quæ ab omnibus est æmulanda, in qua plus standum est, quàm in Hieronymo, vel Gregoris. Hinc Greg. ait: Peccatum paganitatis incurrit, qui Ecclesiæ Sanctæ per inobedientiam contradicit. *Et sic ex illis jam dictis sequitur, quod Thema de Biblia non solùm sumi oportet; sed etiam de carmine divinæ laudis assumi poterit. Sed diceres, qualiter fiet allegatio in tali Themate extra Bibliam sumto? Respondetur; taliter: Sic scribitur in hodierno officio, vel, sic scribitur in carmine divinæ laudis. Vel, sic habetur in officio præsentis festivitatis, & est verbum Sanctæ matris.*

Ec-

clesiæ, materiam hodiernæ festivitatis in se complectens, & in caput hujus sermonis bene congruens; aut alio modo placent. Eandem Ecclesiæ & consuetudini virtutem tribuit in probatione controversiarum. Si, *inquit* consid. 17. veritas illa sit corroboranda, quòd beata Virgo sit singulare refugium peccatorum volentium quidem resipiscere, non autem volentium in sordibus remanere, & non occurrat auctoritas nisi illud verbum de carmine divinæ laudis, scil. illud de Ann. *Alma redemtoris Mater: Succurre cadenti surgere qui curat populo.* Hæc particula deprecatoria non asserit, nec dicit, nec sonat præcisè illud, quod corroborandum est: quare nisi per apertam circum locutionem præviam adducatur, non rectè, sed ineptè ad propositum adduceretur. Dicatur ergò sic: Cujus jam dictæ sententiæ indicium habemus in hoc, quòd sancta Ecclesia eandem Beatam Virginem non pro perseverantibus, sed pro resipiscere cupientibus & curantibus rogat & deprecatur, cantans in ann. ejusdem Virginis sic: *Succurre cadenti, &c.* Hoccine est, juxta Petri monitum proferre τὰ λόγια τοῦ θεοῦ; Imò verò hoc fuit velificari licentiæ Concionaturum, quâ factum, ut non Ecclesiæ tantùm, sed & Aristotelis, vox, aliique μῦθοι σεσοφισμένοι pro suggestu audirentur. vel 2. *sapientiam*, non sine ambagibus ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων sed per intercessionem Beatæ Virginis, Concionatores solicitare suadēt, *consid.* 12.

lib. 1. & lib. 2. *consid.* 1. Quæ quidem consuetudo quàm longè à veterum exemplo, & Scriptura ipsa abeat, suprà jam, *Erasmi* verbis, monuimus. vel 3. *Vitia nonnulla attingunt quidem & reprehendunt*, sed aut non satis, aut sine fructu. Quid enim illi, qui fabulas ostracismo quasi damnare, & cathedrâ exigere volebant, monitis suis profecerint secuta mox ætas & quotidiana praxis abundè probavit. Idem *Ioh. Vlr. Surg.* Consid. 16. *Fabulis*, inquit, *hujusmodi rarissimè uti debet Prædicator, & cum cautela, ne auditores in errorem inducat. Non Salvatorem nostrum nusquam has fabulas seu parabolas me legisse, populo prædicâsse memini. Posset autem Prædicator aliquotiens uti aliquo tali fabuloso exemplo, quando deprehenderit auditores somnolentos vel attædiatos, ad excitandum eos & sublevandum eorum tædium: & tunc aliquid subjungere debet per quod Auditores intelligere valeant, illa non sic realiter fuisse.* Sed his ne artibus veternus somnolentis excutiendus? Hac facilitate & ϛυγχωρήσει quam turpiter & nequiter multi fuerint abusi, paulò ante, ex Erasmo, evicimus. Sed & ipse *Surg.* candidè satis & ingenuè fatetur, non in obscuris modò sacellis, sed in ipso Papæ Sacrario nugas ejusmodi triumphare. Negat has delicias palato suo sapere.

Re-

Reprehensibiles sunt, inquit consid. 23. Cant. 3. *illi Prædicantes, qui ridiculosis proverbijs, aut alijs truffaticis, jocosis aut ridiculosis utuntur verbis & sermonibus, quibus magis provocant homines ad risum, quàm ad devotionem, vel compunctionem, quæ ad illam rem non pertinent. Et talium Prædicatorum sermones plus audiuntur causa vanæ delectationis, quàm causa devotionis, quod utiq; multum derogat dignitati & utilitati verbi Dei. Sunt pariter reprehensibiles, qui nulla necessitate seu utilitate poscente lubricas seu turpes materias in ambone pertractant, ubi magis silentio prætereundæ essent, ut aliqui circa festum conceptionis de seminibus, conceptu & embryone, ejus coloribus & dispositionibus prioribus & posterioribus dicere solent, quod satis horrendum est.*

Vel 4. *Sobria quidem & sana tradunt præcepta, à quibus tamē & ipsi recedunt, & in devia alios abripiunt.* Idem *Ioh. Vlricus Surgant*, in Manual. Curat: I. consid. 3. ita scribit: *Circa quæ docenda verò debeant insistere Prædicantes; dicendum est, quod circa quinque:* Primò *circa credenda, sicut articulos fidei:* Secundò *facienda & servan-*

vanda,sicut præcepta: Tertiò *fugienda,sicut peccata:* Quartò *timenda,sicut mors æterna:* Quintò *appetenda,sicut gloria. Unde Apostolus, 1.Cor.c.14.inquit: In Ecclesia volo quinq; verba magis loqui,*id est,*pauca,*sensu meo,id est, *ut intelligam & ab alijs intelligar, & sic eos instruam,quàm decem millia verborum in lingua,* id est, *quàm maximam verborum copiam sine hujusmodi intellectu. Dicit ergò Apostolus specialiter,se loqui velle* quinque *verba, quia Prædicatores Ecclesiæ debent annunciare* dicta quinque, *scil.credenda,agenda, vitanda,timenda,speranda, & ista omnia habentur in S.Scriptura. Congrua igitur materia Prædicationis est sacra Scriptura. Semel enim loquitur Deus (inquit Job) & secundò idipsum non repetit.Loquitur autem Deus in Scriptura Sacra,* & ita copiosè contra omnia tentamenta, & omnes casus contingibiles,& omnia opera virtutum, *ut exponit Gregorius 22.Moral.* quòd non oportet Deum loqui aliquid nobis necessarium, cùm ibi omnia habeantur. *Et hæc Scriptura aptè dicitur* verbum *vel* verba,*ut Apostolus dicit* quinque verba:

Di-

Dicitur enim verbum, *quasi* verum boans, *id est*, sonans: Ipsa enim SCRIPTURA EST, QUÆ SOLA SEMPER SIT VERA in aliis omni sui parte. *Doctrinæ enim Philosophorum & Gentilium cum veritate falsitates habent admixtas.* Doctrinæ etiam Doctorum Catholicorum aliquando deficiunt à veritate, vel saltem dubitabiles sunt, quia omnis homo mendax, scil. ex se. *Ratio hujus diversitatis est, quia doctrinæ hominum innituntur lumini naturali, quod deficere potest à cognitione veri. Sed Doctrina S. Scripturæ innititur veritati divinæ, quæ infallibilis est. Spiritu enim Sancto inspirati locuti sunt omnes sancti, inquit Petrus in Epistola, & loquitur de Auctoribus Scripturæ sacræ. Unde Augustinus ad Hieronymum:* Si in Scripturis sanctis admissa fuerint vel officiosa mendacia, quid in eis remanebit auctoritatis? Quæ tandem de Scripturis illis sententia proferetur, cujus pondere contentiosæ falsitatis observetur improbitas, ut IX. Dist. C. Si ad Scripturas, & c. seq. Idem dicit: Quis nesciat S. Scripturam Canonicam tam Veteris, quàm N. Testamenti certis terminis suis contineri, eamque posterioribus omnibus Episcoporum literis ita præponi, ut de illa dubitari omnino & disceptari non posit, utrum verum vel utrum

utrum rectum sit, quicquid in ea scriptum sit, vel constiterit esse. Episcoporum autem literas quæ post confirmatum Canonem scriptæ sunt vel scribuntur, & per sermonem fortè sapientiorem in ea re cujuslibet peritioris, & per aliorum Episcoporum graviorem auctoritatem doctiorem atq; prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid fortè in eis deviatum est à virtute. Hæc ibi. Quoniam igitur permaximè prædicans debet in prædicatione uti veritate: Nam scienter prædicando mendacium, peccat mortaliter, secundum Petr. de Palu. in Quarto. Et ideò debet potissimè prædicare verba sacræ Scripturæ. Vnde in Cap. Nolite timere, XI. q. iij. dicit Chrysostomus: sicut Sacerdos est debitor, ut veritatem, quam audivit à Deo liberè prædicet; sic Laicus est debitor, ut veritatem, quam audivit, à Sacerdotibus probatam in Scripturis defendat fiducialiter, quod si non fecerit, proditor est veritatis. *Hæc ille.* Confer *consid* 18. & 20. pag. 63. ὑπόμνημα Rhetoricæ Ecclesiasticæ non minus utile quàm necessarium. Sed quotusquisque monstratam semitam hanc calcavit? Tot utique de fabulatoribus querelæ non extarent, si major Scripturæ fuisset apud Sacerdotes authoritas. Author noster, statuæ instar Mercurialis, viam monstrat, quam & ipse deserit, & deserere alios cogit. Ipse enim, ut modò diximus, materiam Thematum, seu concionum non ex Scriptura tantùm, sed etiam ex Ecclesiæ penu depromi posse, judicat. Mangonium hac ratione paratur omnibus contra verbi Dei authoritatem introductis superstitionibus. Hæc licen-

centia quantam malorũ invehet Iliadem? Ipse etiam Scripturæ verba in fidei Christianæ principiis mutilat. Decalogum aliquoties recitat, Latinè, Gallicè, & Germanicè; At præcepti secundi de cultu imaginum nunquam meminit. Vide l.2. *Considerat.* 5. p. 80. & 81. Alii quid fecerint, cùm non modò ipse non semper consulat fontes, sed altera tantùm iis manu panem ostendat, altera lapidem porrigat? Bibliotheca enim Ministerii candidatos instructurus, eos nonnunquam ponit authores, quorum magnam partem ipsos postea puduit Pontificios. Promam cornucopiæ hoc ipsiusmet verbis, quæ occurrunt *lib. 1. c. 25. de libris amminiculativis hujus artis. Quæritis, qui libri vobis sint utiliores seu necessarij pro primis, cùm non possitis habere plures ab initio? Hoc vobis pro responsione do consilium, ut habeatis Postillam Guilhermi Parisiensis Episcopi super Evangelijs & Epistolis: Sermologum Thesauri novi de tempore & sanctis: Textum sententiarum, & Rationale divinorum officiorum: Compendium Theologiæ cum speculo exemplorum: Si tamen potestis habere summam Domini Antonini Archiepiscopi Florentini cum ejus Chronica. Concordantias majores, & Bibliam nunc Basileæ impressam, cum Glossa ordinaria, & Nicolai de Lyra: Lumen animæ: Librum similitudinum, valde proderit vo-*

vobis. Præterea, si aliquoties sermones Discipuli aut S.Vincentij perlegeritis, multa ibi popularia seu populo accommodata seu utilia haurire possetis. Per hoc tamen libros originales sanctorum videlicet Hieronymi, Augustini, Ambrosij, Gregorij, illorum, seu etiam aliorum Doctorum Sermologos; juris Canonici volumina, super Magistro sententiarum scripta, Thomæ de Aquino, Petri Aureoli, Scoti, Bonaventuræ, Richardi, Alberti magni, Francisci de Mayronis, Petri de Aquila, Petri de Palude, Petri de Ailiaco, Petri de Tharantasia, Thomæ de Argentina, Stephani Brulifer, & aliorum Doctorum nequaquam spretos esse velim. Sunt & alij plures Sermologi infra notati, quos impressos vidi, scil. Augustini, Ambrosii, Alberti, Antonij Bitonti, Antonij de Vercell. Abbatis Vercellensis Vade mecum intitulatus. Ailiaco, Antonij, Bonaventuræ, Bigæ salutis, Bernhardi, Bernhardini. Compendij moralis, Dormisecure, Dinckenspuhel, Discipuli Deflorationes Evangelij æterni. Francisci Mayronis, Florum Theologiæ. Gothschalci præceptorum. Guilhermi Parisiensis, Gerson.

Hu-

Hugonis de Prato, Haselbach, Herpf. Jacobi de Voragine, Jordani, Jacobi Carthusiensis, Itinerarij. Leonardi de Utino, Laudum Mariæ, Lochmayr. Mariale. Martini, Meffret, Michaelis de Ungaria, Michaëlis de Mediolano. Nider. Ortuli. Parati, Posnoniensis, Pomerij, Peregrini. Quintini, Quadragesimalia multa. Roberti de Licio. Sensati, Socci, Stellarij, Summa prædicantium. Turre cremata, Thomasina, Vincentij. Unno, VVann. &c. Iudicia expectas de singulis? Fortè non deessent, nisi brevitatis studio compendia quæreremus. Aliquid tamen tentabimus. Ac *primò* quidem suum Patribus in hac Theologiæ palæstra locum non de negamus; sed cur fontibus commiscet Paludes, & Χρυσοστόμους, Σιδηροστόμοις? Basiliis, gregarios? *Possem* scribit *Eras.* de rat. veræ Theolog. pag. 14. *exemplis innumeris declarare, quàm frigidè, ne dicam ridiculè ineptiant, quidam, quoties est encomio celebrandus Divus aliquis, aut hymno, alióve scripti genere utendū, quod splendorem & affectum desiderat. Hujusmodi Theologis debemus hymnos quosdam & cantica, quas vulgus Sequentias appellat, quæ nemo doctus vel absque risu, vel absque nausea legat.*

Verùm, in præsentia non hoc nobis agitur, ut cujusquam inscitiam traducamus, sed ut ad optimam studij rationem invitemus adolescentes. Tantùm illud dicam in genere, si quis hujus rei promtum aliquod argumentum requirat, veteres illos Theologos, Origenem, Basilium, Chrysostomum, Hieronymum cum hisce recentioribus componat conferatque, videbit, illic aureum quoddam ire flumen, hic tenues quosdam rivulos, eósque nec puros admodùm, nec suo fonti respondentes. Illic tonant oracula veritatis æternæ, hic audis hominum commentula, quæ quo propius inspicias, hoc magis similia insomniis evanescunt. Illic solidis Scripturarum fundamentis innixum ædificium surgit in altum, hic futilibus hominum argutijs aut etiam adulationibus non minus inanes, quàm immanes, superstructa machina, tollitur in immensum. Illic velut in felicissimis hortis affatim tum oblectaberis, tum explebéris, dum hic inter spineta sterilia dilaceraris ac torqueris. Illic majestatis plena omnia, hic adeò nihil splendidum, ut pleraque sordida, parúmque digna dignitate Theo-

Theologica: ut interim à comparatione morum abstineam. Sacrilega *deinde* Cucullionum illorum temeritas est, qui, ut vetustatis se, concionesque suas, nomine commendent, larvas obtrudunt, & ἐκτρώματα χθὲς ἢ πρώχθες nata, tantisque adeò Patribus planè indigna. Malè hoc habuit Erasmum, aliósque narium emunctiorum censores, quòd observârint, pro libidine quemque sua ea Patribus affinxisse, quæ fortè ne per febrim in mentem iis venerunt. Ita suum sæpe fecerunt Augustinum eloquentissimum, balbi & barbari Augustiniani: quam audaciam dignè exagitat *Eras.* in Eccles. p. 545. De cæteris quid tibi pollicearis? Plerique planè sordere postea cæperunt, vel saltem non eo loco haberi, quem Curatus noster *iis* assignat. Iohannes Gersonensis, scribit *Eras.* in Eccles. p. 257. minimum juvabit Ecclesiasten, duntaxat ad dicendi facultatem. Dissecat omnia, & hinc frigus: (idem etiam de Nicolao Lirano, & plerisque sentit Scholasticis pag. 306.) frequenter affectat affectus, sed eos in se sensit magis, quàm movet in aliis. *Thomas* ad dicendum non fuit natura ineptus, si sese perinde hic exercuisset, ut exercuit in Philosophia & in argumentando. Scotus & hujus similes ad rerum cognitionem utiles sunt, ad dicendum inutiles. Sequutum est postea concionatorum genus, fortassis aptum suo theatro, sed prorsus ignarum artis, nec ita multum præ se ferens prudentiæ. *Ab his prodierunt nobis sermones de Paradiso, sermones Jordanis, sermones Voragi-*

nis, sermones Roberti de Licio &c. qui nunc suapte sponte abierunt in oblivionem; ut jam nihil sit opus quempiam ab horum imitatione deterrere. Et tamen hos omnes, pluresque alios, tanquam ἀντάξιους ἄλλων, commendare nobis audet *Doctor* noster. In *Vincentio Valvacensi*, sive *Beluacensi*, *Antonino* (cujus scripta nimis magnificè extulit superior ætas; vide Sec. 15. p. 49.) item, suo Divo, multum collocat præsidii, cùm *tamen uterque*; ipso *Cano* teste, loc. comm. l. 11. p. 337. b. *non tam dederit operam, ut res veras certásque describeret; quàm ne nihil omnino præteriret, quod scriptum in schedulis quibuslibet reperiret. Ita ad Historiam unamquamque existimandam, momentóque suo ponderandam non artificum statera, sed ne populari quidem trutina usi sunt. Iacobo de Voragine*, aureo aureæ legendæ schemate nomen quærit & favorem: *sed cur auream appellet, cùm scripta sit ab homine ferrei oris, plumbei cordis*; miratur *Ludovicus Vives.* vide *sup.* pag. 260. *Robertus de Licio*, Italorum penè oraculum fuit, sed an hic veri fecerit officium Evangelistæ, dicant, qui audent. De vita hominis, scribit *Eras.* in Ecclesf. l. 3. pag. 608. nihil effutiam, tantùm illud dicam, quod ad hanc rem pertinent, si vera sunt, quæ de illo, rumore publico jactantur, nihil aliud

aliud erat, quàm homo miris naturæ dotibus, ad dicendum instructus. Ac primò fuerat de sodalitio eorum, qui se plausibili Observantium titulo secernunt à cæteris, quibus cum posteaquam illi parum conveniebat, demigravit ad eorum contubernium, qui vulgò dicuntur Conventuales, quod horum vita videretur liberior. Is quum in convivio, in quo simul accumbebat vicarius quidam de grege Observantium, vir eruditus, pius, gravis, jactaret, se posse, quoties vellet, auditoribus excutere lacrymas, ex eo refutare cupiens, quòd alter objecerat, infrugiferas esse conciones illius, quod nec oratio ex animo proficisceretur, nec vita congrueret cum Oratione. Quibus, inquit, vicarius, tu excuteres lacrymas, nisi fortè pueris, aut ineptis mulierculis? Ad quæ Robertus, tu igitur vir tantus, cras adsis concioni meæ, eo loco consistens, quem Tibi designabo, ut mihi sis in conspectu: si non excussero lacrymas, victus dabo lautam cænam; sin excussero, tu victus nobis eam parandam curabis. Nam illi generi contingere æs signatum religio est. Et commodùm repertus est inter convivas Francisco benevolens, qui vicarij nomine fidejuberet. Conventum est. Adfuit vicarius, stetit ubi jussus erat. Ibi Robertus cùm multis modis amplificâsset Dei erga homines charitatē ac beneficentiā, rursus hominum erga Deum ingratitudinem duriciémq; qui nullis invitamentis emolliri possent, ad pœnitentiam atque amorem mutuum, fecit apostrophen ad cor hominis, Dei nomine. O cor, plus quam ferreum, ò cor adamante durius! Ferrum

igni liquescit, adamas sanguine hircino vincitur, ego cùm nihil non faciam, non possum ex te vel unam extundere lacrymulam? Nec desiit hanc urgere Apostrophem magnis clamoribus, donec vicario erumperent lacrymæ. Id simul ut vidit Robertus, porrecta dextra, vici, inquit. Hoc populus sub persona dictum existimabat, quòd aliquot essent in ea concione, qui lacrymas non tenerent. In convivio verò epinicio, quum Robertus jactaret suam victoriam, non inscite tergiversatus est vicarius. Non tua, inquit facundia mihi excussit lacrymas, sed mea misericordia, reputanti, quàm indignum esset, quod tam felix natura mundo serviret potius, quàm Christo. De eodem narrant (*id.* pag. 618.) quòd magna dictionis vehementia Principes ac populos adhortatus adversus Turcas aliósque Christiani nominis hostes, ubi ad summum impetum efferbuisset oratio, deplorare cæpit, quod nulli se ad rem tam piam duces offerrent. Si isthuc, inquit, obstat, ecce me, qui nihil verebor hanc Francisci vestem abjicere, & vel militem vel ducem vobis exhibere. Simúlque cum dicto, summam vestem abjicit, intus planè miles erat, bysśino sago, accinctus prælongo gladio. Hoc habitu dimidium horæ sub persona Ducis concionatus est. Accitus à Cardinalibus, quibuscum habebat familiaritatem, quid hoc esset novi exempli, respondit, id esse factum in gratiam amicæ, quæ familiariter fuerat confessa, nihil in Roberto displicere, præter vestem fraternam. Tum ille, in quo cultu sum tibi totus placiturus? In militari, inquit. Cras igitur fac adsis in concione. Simili

mili novitate fertur Cardinalibus ac summo Pontifice exprobrâsse fastum ac delicias. Erat apud illos dicturus, quos cùm videret strepitu plusquam regio ingredi, denique & Pontificem gestari hexaphoro, & ab omnibus adorari, ubi tandem consedissent, jámque expectaretur vox hominis, is nihil aliud prolocutus, phy Sanctum Petrum, phy Sanctum Paulum, subinde cum excerantis voce expuens, nunc in dextrum, nunc in sinistrum, nec aliud addens, è medio proripuit se se, relinquens omnes attonitos, alijs suspicantibus eum esse versum in furorem, alijs dubitantibus, num in hæresin quampiam aut Iudaismum, Paganismúmve prolapsus in eas blasphemias erupisset. Quumq ageretur de homine conjiciendo in vincula, Cardinalis quidam, qui propius noverat ejus ingenium, atque etiam amabat, persuasit, ut prius ad Pontificem evocaretur, paucísque Cardinalibus testibus audiretur. Rogatus, quomodo in tam horrendas blasphemias erupisset, respondit, sibi longè aliud argumentum fuisse præparatum, & paucis summam orationis exposuit. Cæterùm, ubi spectarem, inquit, vos tanto strepitu, tantísque in delicijs vivere, simúlque reputarem, quàm humilem, laboriosam & inamœnam vitam egerint Apostoli, quorum vices geritis, colligebam, aut illos fuisse dementes, qui tam spinoso itinere contenderint in cœlum, aut vos rectà ad inferos proficisci. Sed de vobis, qui tenetis, claves regni cœlorum, nihil malæ suspicionis in animum inducere potui. Supererat, ut illorum stultitiam detestarer, qui, cùm licuisset ad istũ

modum splendidè suaviterq; vivere, maluerint per omnem vitam jejuniis, vigiliis ac laboribus discruciari. In vulgus nota est hęc *Roberti* parrhesia, exemplò tam luculento demonstrata, cui tamen repugnat (nisi fortè mentem post seriam Cardinalium ἐπιπολὴν ηξιν mutârit) ejusdem sermo 33. c. 1. ubi hęc inter alia leguntur: *Ex quibus omnibus deprehendere possumus, quàm reprehensibilis sit multorum ignorantia, temeritas & malitia, qui Prælatos Ecclesiæ, præcipuè Pontificem maximum despectos, viles, contemptibilésque inspicerent. Nam ut de Papa loquar, ipse à nemine est judicandus, nisi A FIDE DEVIET, ut patet quadragesima distinctione, Cap.* Si Papa. *Et debet quandoq; ornatus corona & vestibus preciosis populo se monstrare, ad honorem & gloriam Christi, quoniam Papæ Silvestro & ejus successoribus Imperator Constantinus dedit palatium suum Lateranense, & coronam capitis, & vestimenta Imperialia.* D. 96. C. Constantinus. *Et licèt Beatus Petrus non legatur cum tanta magnificentia sedisse, tamen id fuit, quia persecutio recens & ingentissima impugnabat Ecclesiam.* Vereor, ne Roberto, *postquam Episcopatum Aquinat. consecutus erat*, idem

quod

quod Magistello illi, fortè acciderit, qui cùm semper detonaret in beneficiorum pluralitatem, alio mox animo esse cœpit, ejusdem commodis animadversis. Exemplum dedimus suo loco ex *Fascic. temp.* Sec. XI. p. 397.

Atque sic Pontificii de supellectile illa libraria judicant: Eam excutere magni quidem, sed non inutilis laboris esset, modò ad manum haberentur libri omnes, qui hominũ memoria penitus ferè exciderunt. Quia tamen aliquos ex iis, veteris barbariei testes, studiosè conquisitos obtinui, non sine ratione gravissimos authores Pontificios judicium illud, quod modò audivimus, de fidei suæ sociis, tulisse, demonstrandum nobis erit. Id quod fiet, cùm ex farragine sequenti seculi infelicitatem plenius paulò cognoverimus. Ec quodnam, amabo, studiorum genus, quæ literarum condimenta, quæ dogmatum fidei fundamenta, per sermologos istos, ut vocant, non violata, & concussa fuerunt?

I. Infelices certè erant *Philologi*, in examine vocum & rerum Orientalium inepti & insulsi. Non quidẽ hæc talia semper à Præcone requiruntur, ubi verò, ne postulata quidem sponte obtrudantur, sed sine cerebro, sine ratione & authoritate, ludunt utique mangones illi, nugis ne dicam, an mendaciis? & ridicula Philologiæ κακοζηλίᾳ ex quolibet fingunt quidlibet. Originem vocis ἐπιφανίων vel illi nôrunt, qui Græca à limine salutârunt. Sed non placet Doctoribus illis, compositio quærenda Hebræo Græca. *Ex hoc*, inquit, *F. Ungarus*, auth.

Bigæ salutis Serm. 21. *istud festum dicitur bethphania*, *à* beth *quod est* domus, *&* *phanos* apparitio, *quod hodie in domo nuptiarum apparuit Christus Deus, in mutatione aquæ in vinum. Unde propter prædicta tria canit Ecclesia: Hodie, inquiens, tribus miraculis ornatum diem festum sanctum colimus. Hodie stella magos duxit ad præsepium: Hodie vinum ex aqua factum est. Hodie Christus à Johanne baptizari voluit*. Nec puduit stentores illos publicè clamare, non carere mysterio, quòd verbo *Ave* Archangelus Beatissimam θεοτόκον compellârit. *Idem*, serm. 33. *Ecce quàm optimè nuncius cœlestis eloquitur cœleste mysterium dicens*; Ave, *id est*, sine væ. Fusè jam agit de triplici væ, *miseriæ originalis, culpæ actualis, & pœnæ gehennalis. Væ miseriæ originalis triplicari, nam ex peccato originali venire in nos væ miseriæ nascentium, væ parientium, væ morientium & incinerantium. Primo væ nos omnes nasci filios iræ. Ab hoc væ fuisse immunem B.V. quæ sine originali concepta & nata extitit. Væ parientium esse ex peccato originali, à quo etiam excepta sit B.V. Ita similiter*

etiam

etiam væ morientium & incinerantium ex peccato provenire ⁀. *Neque huic subjici B.V. quæ, licet subierit mortem temporalem, nexibus tamen mortis deprimi non potuerit, teste Psal. & dicente: Surge Domine scil. Jesu Christi in requiem tuam, tu, & arca sanctificationis tuæ i.e. mater tua, quæ per arcam significatur. Sicut enim arca de lignis imputribilibus facta fuerat; sic caro virginis non vidit corruptionem: ut tenent communiter Doctores.* Alibi, Kabbalistica Temurah sive permutatione, Eva in Ave, eadem de causa, permutatum vult, *ser.* 34. *Angelus*, inquit, *nomen Evæ permutat, dicens Ave, i.e. sine væ originali, actuali & veniali culpæ.* Non sufficiunt hæc *Pomerio*, quo nomine Surgant *Pelbartum de TemesVVar*, Franciscanum Vngarum intelligit, sed altius assurgit, multùmque se torquet, *cur non potiùs Angelus* (qui tamen, Syriacè locutus fuit; quod vidit & agnovit postea Maldonatus in C. 1. Luc. v. 19.) *dixerit salve vel gaude, cùm Ave dicat remotionem pœnæ*; Salve *præsentiam boni*; & Gaude *pertineat ad perfectos.* Quid usitatius est, quàm *Mariam* vertere *stellam maris*, indéque tot elicere mysteria? *Big. sal.* Serm. 34. *Dicitur ergo Maria, quòd Hebrai-*

braicè interpretatur Stella maris, quæ navigantibus viam indicat. stillam maris fortè appellare possemus (quamquá, qui oculatiores sunt, nullam hic agnoscunt vocis compositionem, sed vocabulum simplex Hææmanticum, excelsum, sublimen significans) stellam ne per vim quidem, sed Amanuensium ἀβλεψίαν, quibus, Linguæ sanctæ ignaris, facile fuit *i* mutare in *e*. Et tamen, cur stella, sancta *Miriam*, Θεοτόκος appellari debuerit, operosè quærunt: *Big. Sal.* Serm. 82. Sed sit stilla maris, ex *mar* & *jam*, cur perdita litera radicali Mem mysteria Monachi venantur in terminatione Latina Maria? Nota enim sunt eorum Notarica, sive *Roscbe thebbot*; M. Mater universorum, A. Advocata peccatorum. R Regula salvandorum. I. Iacula inimicorum. A. Auctrix meritorum. *Biga Sal.* Ser. 74. vel M. Mater misericordiæ, A. Advocata afflictorum, R. Refugium redeuntium. I. Inventrix justitiæ. A, Amica Angelorum; vel: M. Mediatrix. A. Advocata R. Reparatrix, I. Illuminatrix, A. Adjutrix. De quorum verborum sensu ex *Bernh. de Bust*, & *Pellar. de Temes.* prolixè actum in ὁδηγῷ nostro P.II.p.184. Egregium Philologiæ Monasticæ specimen occurrit in Serm. de laudibus Sanctorum Roberti de Licio, Minor. & Episcopi Aquin. Serm. 9.c.3. Dicuntur ergo *Magi*, id est, Sapientes. *Unde* Magi, *quasi* in sapientia magni. *Nomina verò propria istorum, secundum aliquos, in Hebræo sunt Appellius* (portenta verbo-

borum) *Amecius, Damascus: In Græco Galgalath* (atque hæc Hebraicam originem speciosius præ se ferunt) *Malgalat, Sarachim; In Latino Caspar* (hæc demum verè Chaldaica sunt) *Balthassar, Melchior.* Quibus Grammaticam Philologiam tractare nec licuit, nec placuit, Rhetoricam in subsidium vocârunt, & variis schematibus, fabulis, & allegoriis, fidiculis extortis, Auditorum demulcendas suaserunt aures. Primæ debentur hic authori Moralisationum, κεφαλῇ ἄπερ ἐγκεφάλῳ; de quo judicium Erasmi supra jam audivimus p.707. Sed & nobis degustandæ sunt hujus Archimagiri dapes. Vocationis gratuitæ beneficium, quod solius Dei εὐδοκίᾳ Christianis obtigit, habet ne tantam obscuritatem, ut à Iudaismo & Saracenismo in speciem vix possit distingui? At hoc modo nobis ἀλληγορεῖται, c, 89. *Miles quidam erat, qui tres filios habebat, qui cùm mori deberet primo genito suo hæreditatem legavit. Secundo filio thesaurum. Tertio filio annulum pretiosum, qui plus valuit, quàm totum, quod legavit aliis duobus: etiam pater dedit annulos duos non tam pretiosos. Omnes annuli fuerunt ejusdem speciei. Post mortem patris dixit primus filius. Ego habeo annulum patris mei pretiosum.* Se-

Secundus filius dixit, tu non habes, sed ego habeo. Tertius verò dixit, non est justum, quod vos habeatis, is, qui senior, habet hæreditatem, & alius thesaurum, ergò ratio dictat, ut ego annulum pretiosum habeam. Ait primus, probemus in facto, quis annulus sit pretiosior, & melior. Ait ille: mihi placet, statim adducti sunt infirmi diversi varias infirmitates habentes, primi duo annuli nihil operati sunt; sed annulus junioris omnes infirmitates curavit. Moralisatio. *Charissimi: Iste miles est Dominus noster Jesus Christus, qui tres filios habebat,* scil. Iudæos, Saracenos (ergo ne Iudæi blasphemi & Saraceni filii sunt Christi Servatoris? unde hęc illis υἱοθεσία?) & Christianos. *Judæis dedit terram promissionis: Saracenis dedit thesaurum hujus mundi, quantum ad potentias & divitias. Christianis dedit annulum pretiosum, scil. fidem, quod per fidem Christiani possunt varias infirmitates & languores animæ curare.* Lepido cumprimis μύθῳ Æsopus hic indignos verbi præcones perstringit. Ita habet: *Erat quidam Rex, qui miro modo parvos caniculos dilexerat, die ac nocte bene latrantes, in tantum, quod in gremio suo eos*

eos quiescere permisit, & ibidem pavit. Illi verò sic consueverant in gremio ejus dormire & comedere, quod vix alibi esse volebant. Et quandoque circa collum Regis pedes ponebant. Et sic Rex solatium magnum & ludum cum eis habebat. Erat tunc quidam asinus, qui cùm omnia ista vidisset, in corde suo cogitabat: Si ego cantarem, & ante Regem saltarem, & circa collum Domini mei pedes ponerem, Rex daret mihi omnia fercula ad comedendum, & gremium suum ad quiescendum. His cogitatis extra stabulum saltavit, aulam intravit, coram Rege cantare cepit. Deinde hinc inde saltavit, & post hoc ad Regem cucurrit, & pedes circa collum ejus posuit. Servi hoc videntes credebant asinum in furiam conversum acceperunt eum, & egregiè verberaverunt, & sic ad stabulum reduxerunt. Ἐπιμύθιον *sive* moralisatio. *Charissimi. Rex iste est Dominus noster Jesus Christus. Caniculi bene latrantes sunt Prædicatores, qui verbum divinum bene pronuntiant. Unde dignissimi in gremio cœlesti quiescere. Asinus potest dici, qui præsumit officium Prædicatoris asumere,*

re, verbum Dei pronuntiare, tamen literaturam, nec gratiam, ad hoc habet. Et ideo timendum est, ne talis sit verberatus, hoc est, à Domino & à populo repulsus. Neque verò hi lusus in moralibus tantùm τῷ ἀλληγορισμῷ placent; ad dogmatica etiam inviti torquentur, necessitatem præsertim confessionis auricularis, & satisfactionum. Huc refert Historiam Lucretiæ c. 135. cui moralisationem sequentem subjicit. *Charissimi. Lucretia nobilis domina, est anima à Deo per baptismum lota, & Deo conjuncta. Sextus est Diabolus, qui nititur minis & muneribus animam violare: domum ejus intravit, quando peccato consensit, scil. cor suum, quod est domus animæ: pectus ejus opprimit, quando homo totaliter consentit: Et eam violat, quando malum consensum actu complet. Post hæc Lucretia, scil. anima dolens vocat patrem & maritum. Sic & tu charissime debes vocare patrem, i.e. Confessorem; Maritum, i.e. Christum per opera misericordiæ & sanctos, cum devotione bona; & ostendere vitam tuam per veram contritionem & confessionem, quid & quantum contra Deum deliquisti. Et tunc cum gladio pœnitentiæ occide teipsum, i.e. vitia, peccata.*

ta, extirpa, & sic corpus deferatur Romam, i.e. sancta Ecclesiam ad ostendendũ, in qua forma publicè vel occultè Deum offendisti. Tunc Diabolus & omnes sui sequaces erunt expulsi & recedent confusi, & tu manebis salvus in bona vita. Confer etiam c. 38. & 58.

II. In *Historiis* auctores plerunque sequuntur fidei subleſtæ. Et ut Sermologi isti Themata sæpe tractant ætatis sequioris, ita ad exornationem eorum in subsidium vocant quicquid uspiam obvium est. Divorum seu Sanctorum προσωπογραφίας ex affectu quisque suo contexit. Exempla etiam, sive miracula, tam systematicè conscripta, quàm ipsis Homiliis intertexta, quid, quæso, aliud, ut plurimum, sunt, quàm cento fabularum puditissimarum? Nec enim meliori loco habentur ab ipso *Melch. Cano*, Loc. comm. l. 11. c. 6. p. 333. *Dolenter hoc dico potius, quàm contumeliosè, multò à Laërtio severius vitas Philosophorum scriptas, quàm à Christianis vitas Sanctorum, longéque incorruptius & integrius Suetonium res Cæsarum exposuisse, quàm exposuerint Catholici, non res dico Imperatorum, sed Martyrum, Virginum & Confessorum. Illi enim in probis, aut Philosophis, aut Principibus, nec vitia, nec suspiciones vitiorum tacent, in improbis verò etiam colores*

virtutum produnt. Nostri autem plerique vel affectibus inserviunt, vel de industria quoque ita multa confingunt, ut eorum me nimirum non solum pudeat, sed etiam tadeat. Hos enim intelligo Ecclesiæ Christi tùm nihil utilitatis attulisse, tum incommodationis plurimum. Nominibus parco, quoniam hujus loci judicium morum etiam est, & non eruditionis tantùm, in qua liberior potest esse censura. Nam quæ morum est, hæc debet profectò esse & in vivos cautior, & in mortuos reverentior. Certum est autem, qui fictè & fallaciter Historiam Ecclesiasticam scribunt, eos viros bonos atque sinceros esse non posse, totámque eorum narrationem inventam esse aut ad quæstum, aut ad errorem, quorum alterum fædum est, alterum perniciosum. Ita Canus, non minus candidè, quàm verè. An verò semper, quas agyrtæ isti fecerunt fabulas, placuerint populo, alibi indicavimus.

III. Nunc, quam in *rebus ipsis* hi publici Doctores & Ductores observârint Methodum, inspiciamus.

A. De DEO & S.S. Trinitatis mysterio curiosè potiùs, & scholasticè, quam sobriè & ad captum vulgi multa scripserunt. *Robertus de Licio* sermonum suo-

ıorum initium facit de Deo, sed quanta cum plebis Ecclesiasticę utilitate, alij viderint. Dubia vocat conionum suarum partes; qualia sunt: *Utrum Deus it nominabilis? Utrum Deus sit nominabilis pluribus nominibus? Utrum hoc nomen Deus inveniatur in Scripturis expressum.* In quarum quæstionum examine non Aristoteli minus & Scholasticis Doctoribus, quàm Sp. S. locus est. C. 2. Quęrit: *Utrum sit una paternitas filij DEI & creaturæ? 2. Utrum hoc nomen pater, per prius dicatur in Deo respectu filij ab æterno geniti, quàm respectu hominis & creaturæ? 3. Cur in divinis maternum nomen taceatur, paternũ exprimatur?* Quid verò necesse fuit moveri dubia in cerebro nostro nata? Id potius demus operam, ut, quæ in sacra Scriptura occurrunt, difficultates, eas solvamus. Ita etiã de Servatore nostro Christo quid juvabat vexari plebem, quęstionibus sive dubiis: *An etiam, si Adamus non fuisset lapsus, carnem Christus induisset?* Robert. Lic. Serm. 3. c. 1. Thes. nov. Ser. 7. *An Angeli sciverint Christum incarnandum?* Vtilius: *An Adam sciverit Christum incarnandum fuisse?* Thes. no. Ser. 5. *Cur Christus noluerit potius baptizari in mari rubro, quàm Jordane?* Robert. Serm.

10.c.2. *Cur Idem non semper jejunârit, aut vitam austeram duxerit?* ib.Ser.11.c.1. *Utrum claritas illa, quam Christus ostendit in facie, fuerit in corpore tanquam in subjecto? Cur Christus non statim post lapsum fuerit incarnatus?* Ser.26.c.1. *Utrum Christus dilexerit Johannem secundum quod Deus? Utrum Christus plus dilexerit Johannem quàm Petrum? Utrum Christus debuerit ita intensè Johannem diligere?* Id.Serm.35.c.1. De fine potius ἐνανθρωπήσεως, & fructu passionis Dominicæ erudiendi erant miseri, & proprio hominum merito fascinati mortales. In exaggerandis Christi vita & miraculis quàm crudi fuerint & ridiculi, habes ex *Menoto Gallo* apud *Hen.Steph.* l.cit.pag.434: Multum superior ætas detulit *Gabrieli Barcletæ*, Dominicano Italo, quem *Benedictus Brixianus*, in præf.Serm.ejus ita comendat: *Unum, hoc in loco illud affirmavero, eo dictandi genere, in quo ille versatus est, divinas ac sempiternas laudes (Bareletam) meruisse. Quotus enim quisque, modò purgato stomacho ac recta lance rem pensitet, & cum aliis id genus scriptoribus conferat, animadvertet profectò, & me verba non effutire, & quantum homo homini præstet.*

His

dic ut solidissima in ea arte, qua versari in-
stituerat, fundamenta jaceret, plurimum in
aturali ac morali Philosophia temporis
ontrivit. In Theologia divi Thomæ, cæte-
orúmque Theologorum, pro varietate au-
ientium, consuetudine familiarissime uti-
ur. Hac una (ubi Sacra Scriptura?) Præ-
icatori demta, non Prædicatorem sed nugo-
em appallaverim. Is sibi eam maximè ven-
icavit. Et tanta facilitate eos in testes ad-
ucit, præsertimque Theologos, quorum do-
trina, sui natura, solet esse, tum gravis, tum
bscura, ut doctissimum quémque stupore
fficiat, fitq; ut absque ullo labore ediscan-
ur. Illud autem maximè observare nititur,
uo auditorem attentum suspensumq; red-
at. Alta proponit, conclusionum, senten-
iarum variarum, exemplorum quorumvis
mirificè adstantes ciet, insueta affert: Sales
uosdam, quod non sine maximo artificio ab
o factum esse judico, nonnunquam insper-
it, quorum suavitate audientium mentes
demulceat. In exagitandis verò vitijs huc
uque non inveni neque accommodatiorem
eque vehementiorem. In efferenda autem

virtute totus est vigilans, totus ardens, totus indefessus. Sed quid dicam de ejus exordijs? Quid namque sublimius? quid elegantius? concinniúsve excogitari possit? Hic, cùm alios omnes cunctis in rebus excelluerit, hic se ipsum totum superavit. Neq; minore laude ejus in Evangelia explanationes æstimandæ sunt. Quas equidem cum lego, me iterum atque iterum acutissimis suis inventis sanctissimísq; declarationibus ad relegendum invitant. Nemo retroactis temporibus extitit, quanquam permulti sermones texuerint, qui præter hunc unum, ac Voraginem nostrum, de B.V. laudibus omni Sabbatho sermonem habeat. Hic tantæ Virginis ardentissimus observator, sicuti & ordo noster verarum ejus laudum semper extitit promulgator, quemadmodum quòd & solus ab ea habitum suum habuisse gloriari potest, immortali cum laude assecutus est. His encomiis effertur homo non quidem nullius ingenij, aut lectionis, sed judicij parum in multis Theologici. Si enim mysterium salutis, & oeconomiam officij Mediatorij ad exactiorem animi trutinam revocâsset, libidini tantum suæ, & comicæ potius, quàm sacræ periphrasticæ libertati nun-

nunquam indulsisset. Hiccine cæteris anteſtet omnibus, qui res ſacras & ſublimes, hiſtrionica loquacitate & deturpat? *Dominic.* 1. Advent, Serm. 2. p. 5. ſcribit inter alia. *Unde poſſumus contemplari, quod, quando voluit incarnari & relinquere ſuos cives, Angelici Spiritus miſerunt ambaſiatores. Venit prima ambaſaria, quæ miſſa fuit à prima Hierarchia dicens, incurvando ſe: Domine Deus noſter, quid eſt homo, quod magnificas eum? Dotâſti eum lumine rationis: Ad tuam imaginem creâſti. Potuiſſes eum lignum, lapidem facere; Et nunc vis ad illum ire & induere Sclavina. Reſpondit eis, amore langueo. Secunda ambaſaria miſſa eſt. Secunda ambaſaria dicit. Cur vis, ò bone Magiſter, ire ad homines malos & prophanos. Verè, ſi ibis, eris malè contentus. Te percutient, te ad columnas ligabunt, oculos imbindabunt, te cruci affigent, pedes perforabunt & manus. Reſpondit illud verbum* Prov. 8. Delitiæ meæ, eſſe cum filiis hominum i. e. *ſunt cum filijs hominum. Tertia ambaſaria miſſa à tertia Hierarchia. Vera amicitia fundatur in aliquo horum bonorum, aut in bono utili, aut delectabili, aut honeſto, ut habet* Tull. lib. de amicit.

& Thom. ij. ij. q. 22. *art.* 1. & Philosoph. 8. Eth. *Sed dic nobis, quam utilitatem habebis de homine? Ille est, qui te millies blasphemat, qui falsa Sacramenta capit. Est saccus vermium, mendicus, tibicen, &c. Respondit eis Christus: langueo amore.* Fer. VI. Parasc. Serm. 53. pag. 117. *Devenit tandem Bethaniam ad castrum Marthæ.* In hoc possumus videre, quod mortem propria voluntate sustinuit. Vnde de hoc adventu duplex impleta est Prophetia. Prima Es. 53. Oblatus est, quod ipse voluit. Secunda Davidis in Psal. 39. Facere voluntatem tuam, Deus meus, volui. *In Bethania erat mater sua; quod videns ait: Bene veniat filius meus, quem non vidi jam pluribus diebus.* Simon verò leprosus, quem Dominus sanaverat, fecit Christo, Apostolis, & Lazaro convivium grande, in quo erant plures Iudæi, qui illuc venerant, ut Lazarum suscitatum viderent, *& audirent aliquid de alia vita. Lazarus autem loquebatur de alia vita: De Paradiso, inferno, & similibus: Et Christo existente in cœna cum Apostolis Maria Magdalena accepit vas unguento pretioso plenum, & effudit super caput Jesu, & unxit pedes ejus, & extersit capillis suis, & domus impleta est mellifluo odore illo.* Sed quæritur dubium. Cur Magdalena non fecit

fecit hanc unctionem ante cœnam, vel post? *Respondeo secundum August. lib. de verbis Domini, quia Judæi, qui venerant ad videndum Lazarum, ipsum interrogabant de alia vita, & de morte. Etsi dolor mortis erat ita magnus, juxta illud Philosoph. 3. Ethic. Mors est ultimum terribilium. At Lazarus dicebat, quod non est creatura vivens, quæ posset imaginari illum dolorem. Tunc Christus audiens & sciens, quod citò deberet probare illum dolorem mortis, fortiter cepit sudare & tremere, quod erat homo sicut nos, quo ad humanitatem, & quod Maria Magdalena* (cujus προσωπογραφίαν Monastico penicillo dignam dedit alter ille *Sermologus*, vel veriùs Σπερμολόγος, *Menotus*, Gallus, apud *Hen. Stephan.* lib. cit. p. 365.) *hoc viderat, accepit hoc unguentum, ut eum confortaret.* Ergò Christo, cùm ex Lazaro primùm didicisset, qui mortis essent angores, indeque deliquium animi passus fuisset, effuso oleo ad se redeundum fuit? Vno nomine ἐνταφιασμοῦ *Ioh.* 12. v. 7. Servator expressit, quo fine, & cui bono unguentum suum Maria effuderit, in cujus genuino indagando sensu meliorem operam author locâsset, quàm in periculosis ejusmodi ingenii lusibus. Audacior est ἐπεξεργασία illa, quâ de detrectando mortis supplicio ita Chri-

stum & Matrem beatissimam *Serm.53.* pag.119 colloquentes introducit. Sciens autem Iesus, quòd hora venit, ut transeat de mundo ad Patrem, & volens in Hierusalem ire ad Pascha comedendum cum Apostolis suis, Matrem secretè vocavit, dicens: *Mater mea dulcissima, audi me, oro, patienter, scis enim, quod impleri oportet, quod per oracula Prophetarum de me scriptum est. Necesse est me mori pro salute humani generis, & nunc est tempus immolationis meæ. Ideo, ô Mater mea, noli dolorem de me percipere, jam confidas, quod pro certo revertar ad te, & tertia die resurgam. In monte Sion crastina die faciam Pascha cum discipulis meis. Jam, Mater mea, consilium factum est à Judæis ut moriar, jam venditus sum à Juda 30. denarijs. Imò audiens hoc pia, clamare cæpit; O infelicissima Mater, quomodo hoc sustinere potero? Audi, fili mi, si placet. Tota concussa sum ad vocem istam, & cor meum dereliquit me: Video mortem tuam revocabilem esse, quod probo pluribus rationibus, nec te mori oportet.* Primò, ratione justitiæ. Iustitia jubet præmiare bonos & punire malos, ut patet 12.q.2.C. cum devotissimam, & ff. de justitia & jure l. justitia; & C. de offi. Rectoris Provinciæ. l. virtutum. Boni sunt remunerandi, mali vero punien-

niendi. Tu es sanctus & bonus, & nunquam malum fecisti, 1. Pet. 2. Qui peccatum non fecit. Et Ioh. 8. Quis ex vobis arguit? Non de peccato cordis, operis, omissionis, imò mori non debes, imò vivere cum honore propter tuas virtutes & tuam sanctitatem. *Secundò*, est ratione Scripturæ. Scriptura enim dicit Exod. 22. Innocentem & justum non occides; sed tu es innocentissimus. Igitur non debes mori, præcipuè morte violenta. *Tertiò*, ratione culpæ. Scriptum est Ezech. 18. Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur; sed tu fili nunquam peccâsti: Non peccato originali, quòd de Spiritu S. conceptus es &c non mortali. *Quartò*, ratione famæ. Vnusquisque debet conservare famam suam quantum potest, Eccles. 21. Melius est bonum nomen, quàm divitiæ multæ, Eccles. 7. Melius est nomen bonum, quàm preciosa unguenta, Thom. 2. 2. q. 72, art. 2. Inter res temporales fama videtur pretiosior, & Philos. 6. Ethic. Omnes honorem appetunt, in lib. Icon. Multò gravius fert aliquis, si honore suo privetur, quàm si bona sua auferentur. Ad propositū. *Tibi maxima infamia erit. Et quæ fecisti cum tanto labore, erunt perdita. Quale scandalum erit de te? Ad hoc evitandum non oportet mori. Quintò*, est ratione reverentiæ. Scriptum est Ex. 20. Honora patrem tuum & matrem tuam Nam honor filii est honor patris & matris, & è converso. Confusio filii est confusio parentum, sicut de illis, qui in furca suspenduntur. Quale vituperium erit mihi, ô fili mi, si tanquam reus

reus eris crucifixus? Imò non debes facere talem mortem, ne matri vituperium sit. *Sextò* est ratione amicitiæ. Officium veræ amicitiæ est amico dare consolationem in tribulationibus non dolorem, ff. de offic. Præsidis. l. Divis. Afflictio non est danda aflicto; sed potiùs ejus miseriæ miserendum est. Igitur, si ad mortem properas, fili mi, adjungis dolorem dolori matris tuæ. Istis sex rationibus non videtur, quod mortem subire debeas. *Audiens autem Christus talia matris suæ, voce lachrymabili dixit, quòd matrē videbat mæstam. Mater mea, opus est ut moriar, quam opportunitatem tibi ostendo sex rationibus contra tuas.* Recitat eas ordine petitas. *1. A misericordia Dei. 2. Sapientia. 3. Patientia. 4. Apertione portæ Paradisi. 5. Ratione spei. 6. Ratione impletionis; quibus auditis*, inquit, *Virgo acquievit. Christus autem lachrymas continere non poterat: unde genibus flexis petijt benedictionem divinam. Da mihi, ô mater, benedictionem! Et Virgo videns, filium velle ab eis recedere cum Apostolis, cum lachrymis dixit: Sit benedictum caput istud, quod prædicavit, quod docuit, quod tanta miracula fecit, &c.* Ita scenā agitatur sanctissimus Servator, cum Matre θεοτόκῳ, longè tamen mox eadem, alio induta schemate, pro-

producitur, & quæ modò rationibus Dominicæ passioni intercedere voluit, jam ad proprium jugulandum filium se offert. *Quia tempore passionis.* (sic scribit) *quamvis sui dolores essent intensi, videndo filium affligi, tamen volebat filium mori pro humani generis salute. Et ut dicit Archiepiscopus, si alius modus non fuisset, ipsamet filium proprium occidisset. Quia non minor erat charitas sua, quàm Abrahæ, qui filium suum erat paratus occidere.* Cùm ad Sacerdotes duceretur, fingit *Barel.* *picturas & imagines Prophetarum & Patrarcharum, quæ erant super muros Hierosolymitanos*, Christo assurrexisse, p. 122. a. Sententiam Pilati contra Christum latam noluit *Barel.* p. 123. plebi suæ simplicibus Evangelistarum verbis proponi, forensi stylo eam Prætor noster ita proponit: *Nos Pontius Pilatus, paritérq; Senatus Populúsque Romanus in Hierosolymis, universaq; Judæa locum tenens generalis, sedens pro tribunali ac volens Cæsaris Augusti, mandatísque totius populi Romani obedire ac decreta servire, JEsum Nazarenum conspectui nostro astantem, quem Scribæ ac Pharisæi crimine læsæ Majestatis accusârunt, ac id per testes idoneos ritè*

rite juratos, interrogatosq; comprobârunt, condemnamus. Ducatur itaque ad locum justitiæ solitum, & postquam eum multis verberibus cæciderit is, cruci appendite tali modo, ut anima ejus à corpore separetur. Hæc ille. Imo, hæc tu, funge. Nesciverit enim Pilatus, Augustum Cæsarem fatis jam cessisse 19. ætatis Christi anno? Quid ergò illi negotij cum supplicio Christi, quod in Tiberij Imperium incidit? Ejusdem farinæ est, quod sequenti mox columna subjungit: *Maria autem de domo Pilati versus montem Calvariæ vadit tota lachrymabilis, & eundo sanguinem filij sui sparsum in terra videbat. Antequam ad locum devenissent suæ occisionis, mater ejus afflicta & mæsta obviam illi processit volens ipsum tangere. Quam ut filius aspexit, moerore confectam, in terram cecidit fatigatus sub cruce. Ipsa etiam mater benedicta quasi mortua, in terram cecidit. Ob quod in loco illo, in hujus facti memoriam, capella à fidelibus constructa est, quæ Sancta Maria de spasmo nuncupatur. In se autem reversa filium non agnoscens dicebat Joanni: Qualis est, Johannes, filius meus? Respondit Johannes: Ille, ò mater benedicta, est.*

est, qui est sanguinolentus, &c. Ridicula cum primis est narratio, quâ Resurrectionis Historiam solatij & mysterij plenam, ὁ βωμολοχὸς fabulosissimè explicat. *Contemplari possumus: Expectabat resurrectionem, sed ignorabat horam, utrum in nocte media, an in aurora, &c. Maria tota læta, notificat Magdalena: Præparant locum filio. Altercatio facta est, quis debebat ire ad matrem nunciare hanc resurrectionem Adam dixit: Mihi incumbit, quòd fui causa mali, & ita è converso. Respondit Christus. Comedisficus, fortè in via morareris. Abel similiter: Respondit Christus: Non verè, quod invenire Cain posses, qui te, &c. Noe, mihi incumbit. Non ibis, quòd bibis libenter. Venit Johannes Baptista, Ego ibo. Non verè, quod habes indumentum de pilis. Et latro; ad me pertinet. Non, quod habes tibias fractas. Missus est Angelus, qui cantare cepit, Regina cæli lætare, Alleluja: Resurrexit, sicut dixit, Alleluja. Et statim Christus affuit, cum omnibus Sanctis. Virgo flexis genibus adorare cœpit: O caput Sanctum, ò brachia, ò pedes, ò membra deli-*

filius tuus nobis promisit mittere Spiritum sanctum. Hodie sunt decem dies quod ascendit, & adhuc Sp. S. non misit. Et virgo, non dubitetis quin hodie omnino mittet, nec ante mittere debuit. Et ratio: quando Deus traxit populum de captivitate Aegypti, quinquagesimo die descendit in forma ignis in monte Sina dando legem, fuit figura, quòd quinquagesimo die resurrectionis suae nos liberaret & vivificaret. Unde ponamus nos in oratione: Petrus cum alijs se ad unam partem posuit: Lazarus cum 72. ad aliam, & Magdalena cum alijs mulieribus ad aliam, & virgo Maria in medio. In coelesti palatio facta est dissensio inter Patrem & Spiritum sanctum. O Pater, inquit Filius, promisi Apostolis meis Paracletum & consolatorem, tempus advenit, ut promissionem attendam. Cui Pater; sum contentus; Indica Spiritui sancto. Cui Sp. S. Dic mihi, quomodo te tractavere? Cui Filius: Vide me per charitatem, & ostendit ei latus, & manus, & pedes perforatos. Heu mihi! sed vadam in aliam effigiem, quod non audebunt me tangere; qui descendit cum maxi-

mo strepitu &c. De legatione Patriarcharũ, Prophetarum, Regum, Sacerdotũ, Ecclesię; pro impetrando incarnationis beneficio; agit *Serm.* 70. Hi omnes cùm viderent, se nihil proficere, mittunt mulieres. *Primò venit Domina Eva, dicens: Ob nostram culpam tu me condemnâsti: sed Deus, ne respicias ad hoc; libera me à tenebroso carcere. Cui Deus; O Eva, tu peccasti, non es digna meo Filio. Secundò, domina Sara: O Deus, adjuva nos! Cui Deus. Non es digna, quòd infidelis fuisti de filio Isaac. Tertiò domina Rebecca. Cui Deus: Tu fuisti partialis in Jacob & Esau. Quarta fuit domina Judith, cui Deus: Fuisti homicidiaria. Quinta fuit domina Esther, cui Deus: Nimis fuisti vanè gloriosa poliendo te, ut placeres Assuero. Tandem missa est ancilla ætate* 14. *annorum, quæ oculis depressis tota verecundia dixit genibus flexis. Canta* (sic puto *Bareletam* alloqui concionatorem: solet enim de ipsis etiam gestibus nonnunquam eum monere, ut cùm *Serm.* 13. Fratrem, sententiam Christi de damnatis latam expressurum, jubet *inclinare caputium tantisper in oculis:* & seq. col. *ponere corrigiam ad collum, vertendo ad crucifixum faciem &c.* Cantare igitur jubet præconem)

ve-

veniat dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructum pomorum suorum. Hortus fuit uterus virginalis. Audiens autem Filius hoc verbum, dixit Patri suo: O Pater, hanc amavi, & exquisivi à juventute mea, & quæsivi eam mihi sponsam assumere, & amator sum factus formæ illius. Immediatè Deus Pater vocat Gabrielem dicens: O Gabriel, vade citò in Nazareth ad Mariam, & defer ei nunc & ex parte mea has literas, & dic ei, quòd ipsam eligo in sponsam meam. Et Filius subjunxit: Dic ei ex parte mea, quòd ipsam eligo in matrem, de cujus visceribus sumam mihi corpus, eróq; ejus filius, & ipsa mea mater; Da ei has literas. Tertiò Spiritus sanctus dixit: Et ego habitabo in ea, erítque templum meum; Da ei has literas ex parte mea. Ingressus Gabriel ad eam dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum; ab A, quod est sine; *& væ culpa &c.* Rident Pontificii, nobiscum, Talmudistarum & Alcoranistarum fabulas, quibus Veteris & N. Test. Historias nonnunquam indignissimè spurcasit; utrum verò in rebus seriis ipsi cautiores vel sint vel fuerint, & annon religionis Christianę sacra deridenda potius apertis Servatoris hostibus propinârint, quis, nisi

ἠλιθιώτερος κοροίβου καὶ πραξίλλης Ἀδώνιδος, non videt: Atque sic quidem versati erant in loco de Deo Patre, Mediatore Christo, & Spiritu sancto: In *cæteris dogmatibus* certum est, id pleresque, qui Postillis scribendis applicuerunt animum, magno studio nisos fuisse, ut ne receptis opinionibus contradiceretur. Hinc,

A. *Cultus Sanctorum, Crucis, imaginum &c. 1. ineptissima distinctione* δουλείας, λατρείας, *&* ὑπερδουλείας *fuit excusandus. Quadragesim. Big. Salut. serm. 6. Sciendum, secundum Sanctos, Bonaventuram, Thomam, & alios Doctores in 3. Dist. 9. quod triplex servitus est Deo vel Sanctis exhibenda, videlicet latria, dulia, & hyperdulia. Latria est cultus soli Deo debitus & exhibitus. Dulia verò reverentia est debita rationali creaturæ, distincta à latria, quod minor: Et iste cultus impendi debet Sanctis Dei. Hyperdulia verò sive major dulia est major reverentia, quæ impendi debet excellentiori creaturæ, sic Christi humanitati, & beatæ Virgini Mariæ.* Et quod majus est, non puduit illos plebi Ecclesiasticæ persuadere, ipsum *DEum velle adorari in quibusdam signis latriâ, puta in Eucharistia, imagine crucifixi, & sancta cruce*; *Id.* Serm. 7. in 1. Præcept. Confer de cruce *Rob. de Lic.* Serm. 14. c. 3. Imagines,

γυμνη

γυμνῆ κεφαλῆ defendebant origine Dominica. *Imo*; sic idem loquitur Catechista; *pius Christus, Deus noster, ut suam & suorum memoriam frequenter haberemus, & ipsius mores addisceremus, insuper ut pia devotione ipsi adhæreremus, suam imaginẽ primo impressam misit Abagaro Regi, similiter Veronicæ devotæ fœminæ, linteo impressam tradidit. Item sanctus Lucas imaginem Virginis Mariæ, & ejus filij pinxisse legitur.* Nonne hoc fuit *offendiculum ponere cæco*? Fabulis putidis, & ab ipsis sanioribus Pontificiis rejectis, teneras & satis alias ad Idololatriam pronas mentes, pro suggestu fascinare extremæ fuit impietatis. II. *Phrasibus hyperbolicis sæpe, sæpe etiam impiis, vel periculosis saltem, Sanctorum vitas, merita, & intercessiones ipsi hi authores ita commendârunt*, ut mirum non fuerit, si vel imperiti auditores in gravissimos, & ipsis Pontificiis intolerabiles lapsi sint errores, vel majori devotione coli cæperit creatura, quàm ipse *Elohim*, Numen σεβαςὸν. Vnde factum putas, quod vulgò jam opinio irrepserit, Beatissimam Mariam ex Spiritu sancto conceptã, absq; conjugali consuetudine natam fuisse? Tales enim verè extitisse, dubitare nos non sinit ingenua *Roberti de Licio*. confessio, Ser. 24. c. 3. *Nec admittenda est illa vulgi falsa sententia, quòd scil. Virgo concepta fuerit Spiritu*

sancto cooperante, sine virili semine, & absque viri & mulieris copula. Hæretica & perniciosissima opinio ista: licèt apparenter videatur ad Virginis laudem accedere; sed non eget Deus mendacio nostro. Vidi & ego in plerisq; locis depictas imagines Joachim & Annæ sese osculo obviantium inferiúsque rubricam continentem: Qualiter Anna accepto osculo à suo viro Joachim concepit in utero Virginem Mariam. Deliramenta sunt ista, quæ & Virgini summè displicent. Vnde verò hæc Vulgi persuasio? Ex immoderatis; dubio procul; laudibus eorum, qui B.V. à labe originali pronuntiabant immunem, quos inter agmen ferè ducunt Scriptores, Catalogo superiori à Curato exhibiti, *Bernhardinus de Busti*, à quo magnū habemus volumen sermonum B.V.M. *Pelbartus de Temes VVar*, author *Itinerarii*, qui quantum superstitioni indulserint, paulò distinctius proposuimus P. 11. ὁδηγȣ, c.2, eóque ferè toto. Vnde actum agere nolumus. Eadem ratio reliquorum est Sanctorum. Certatum ubique, ut suum quisque cæteris anteferret, Dominicum & Franciscum ostendunt conservatores quasi, mundi, cui Deus propter illos pepercerit; *Barel.* Serm. 18. p.42.b. *Franciscum* jactant voce Domini designatum Ecclesiæ reparatorem. *Egressus enim semel* (*Big.sal.* Serm. 86.)

ad

ad meditandum in agro, dum adhuc esset secularis, & deambularet juxta Ecclesiam quandam S. Damiani, quæ minabatur præ nimia vetustate ruinam, & instigante se Spiritu, eandem, orationis causa, intrâsset, prostratus ante imaginem crucifixi non modica fuit Spiritus consolatione repletus. Cúmque lachrymosos oculos intenderet in Dominicam crucem, vocem de ipsa cruce ad se miro quodam modo factam corporeis audivit auribus ter dicentem: Francisce, repara domum meam, quæ, ut cernis, tota destruitur. Et ut integras hi circumforanei Franciscanorum, omisso ferè in Postillis suis Dominico, dederunt conciones, Annunciationi; *Big. Sal.* Serm. 92. & stigmatizationi Patriarchæ sui; *Id.* Serm. cit. Ita & Dominicani, habitum se suum solos à B. V. habere, gloriati sunt. De hac μοναχομαχία actum est à nobis *libr. Vernac.* cit. p. 265. & deinc. Et quanquam multis in Papatu displicuerint peculiarium officiorum & patrociniorum inter ipsos sanctos partitio & distributio, authoritatem tamen habuit à Methodistis illis. *Barel.* Serm. 30. p. 138. *Applica Historiam Sancti cujuscunque cum isto notando Petr. de Palud. 4. d. 45, artic. 2. duplici ratione, Primo ratione devotionis. Secun-*

do patrocinationis, quod gratiam habent super mala, ut Antonius super ignem, Rochus super pestem. Addere debuisset, *Petrus super purgatorium*; qui tamen omnibus hoc loco vacare noluit. Karolinæ familiæ hoc privilegium est, si, quę ex fabuloso scriptore, Vincentio, habet auth. Big. Sal Serm. 28. vera sint. *Carolus Imperator nocte quadam sacra, diei Dominicæ, cùm post matutinum reiret pausatum, audivit vocem terribilem, dicentem sibi: Carole, exeat à te spiritus tuus, qui cùm exisset de corpore, duxit eum Angelus in vallem, quæ ex una parte erat tenebrosa, & velut clibanus ardens, ex alia verò parte erat amœnissima. Perspiciénsque Carolus contra tenebrosam partem, ibi vidit doliũ cum ferventi aqua, in quo vidit patrem suum Ludovicum usq; ad fœmora stantem, qui dixit: Noli timere Carole, quod permisit Deus te venire huc, ut videres, quid paterer pro peccatis. Nam uno die sum in pœna hujus dolij, & altera die mittar in suavissimæ aquæ dolio, & hoc precibus sancti Apostoli Petri, cujus precibus genus nostrum liberatur, & ad Paradisum perducitur.* Cavendum tamen sanctis fuit, ne nimis

mis importuni essent flagitatores, & suam ζυμπάθειαν cuilibet, damnato etiam, probarent. Id quod nonnunquam quidem successit, vix tamen sine Angelorum indignatione, aut ipsorum Intercessorum pœna. *Justitia* inquit Auth. Bigilet. Salut. Serm. 32. *liberat à morte, scil. æterna. Quod patuit in Trajano Imperatore infideli, diu ante B. Gregorium defuncto. Cujus filius, ex quo cujusdam viduæ filium per equum discurrendo interemerat, ipsi viduæ eum dederat in filium, & eam dotaverat. Dum semel B. Gregorius per forum Trajani transiret, & talis justitiæ recordatus fuisset, & ad S. Petri Basilicam venit, & amarissimè pro illius errore flevit. Tunc sibi divinitus est responsum: Ecce petitionem tuam concessi, & Trajano pœnam æternam peperci. De cætero autem diligentissimè caveas, ne pro damnato aliquo preces fundas. Et Angelus adjecit, quòd pro damnato orâsti, duorum tibi optio datur, aut in purgatorio duobus diebus cruciaberis, aut toto tempore vitæ tuæ infirmitatibus fatigaberis. Qui praelegit toto tempore vitæ cruciari infirmitatibus, quàm cremari in purgatorio duobus diebus. Unde*

factum est,ut dein febribus laboraret, & podagræ molestia.

B. *Iustificationis gratuitæ* solatium & beneficium sacrilegè pressis & mole peccatorum graviter oneratis conscientiis eripuerunt portentoso & monstroso dogmate; *Ex Christi passione regnum cœleste nobis quidem esse apertum, tamen propter debitum arrestari, à nobis donec solutum sit in purgatorio.* Ita *Big. Salut.* Serm. 12. Et quibus sola Christi satisfactio pro peccatorum pœna non placet, mixta & juncta aliorum sanctorũ meritis, & per Indulgentiarum Panaceam applicata, quasi inde suam infinitum illud lytrum haberet ῥοπὴν, placere potuit. Hoc verò vinum toties Romæ venale, quā commendari voluerint pro suggestu hedera, operæ pretium erit, ex eodem *Vngaro* cognovisse. Ita ergo telam modò cæptam pertexit: *Talis solutio potest fieri per Indulgentias, quæ sunt thesauri Ecclesiæ, super quos constituti sunt Prælati Ecclesiæ, dicente Domino Matth. 16. Tibi dabo claves regni cœlorum. Sed ad hoc quod ista redemtio debitorum fiat, quatuor requiruntur: Duo ex parte dantis, duo ex parte suscipientis. Primò ex parte dantis Indulgentias requiritur authoritas, ita quod habeat authoritatem. Nam Papa habet plenariam authoritatem*

in

in tota Ecclesia militante. Alijs autem Ecclesiæ Prælatis est limitata: Unde Episcopi quadraginta dierum Indulgentias largiri possunt. Secundò requiritur causa rationabilis, quæ, secundum Bonavent. in IV. Dist. 2. est duplex, sicut thesaurus Reipublicæ solet expendi, aut propter gloriam Principis, vel servorum ejus: Aut propter utilitatem communitatis, quando scil. communitas læditur, tunc stipendia dividuntur. Sic spiritualiter primò thesaurus Ecclesiæ expenditur, i. e. Indulgentiæ conceduntur propter laudem & gloriam Principis Jesu Christi. Laus verò ejus est in suis sanctis, qui honorantur in constructione Ecclesiarum, visitatione earundem, commemoratione virtutum, ut in sermonibus &c. Utilitas verò est Ecclesiæ defensio, vel populi Christiani, vel terræ sanctæ; aut promotio studij & similia, pro quibus rectè Indulgentiæ dantur. Unde Indulgentiæ sub triplici mensura conceduntur. Aut secundùm numerum dierum: aut secundùm numerum annorum, aut secundùm numerum peccatorum, & semper tantum valent, quantum sonant, secundùm

Ri-

Richardum super IV. Dist. 2. Secundùm numerum dierum valent, secundùm eundem Richard. ubi supra, tantum centum dierum Indulgentiæ, quantum centum dierum pœnitentiæ, & hoc secundum taxationem sive à jure, sive à sacerdote, sive à justitia divina. Et absolvitur à pœnitentia, quam facere debuisset per centum dies, & sic centum dierum Indulgentiæ non solùm tantū valent, quantum centum diebus debuisset puniri in Purgatorio, sed plus scil. uno die tantum posset pœnitere, quod centum dierum punitiones extinguere posset in Purgatorio. Hac autem Indulgentiarum assecutio, dicitur redemtio, quòd recipitur meritum passionis Christi benedicti, & Beatæ Virginis, ac aliorum Sanctorum, qui secundùm divinam justitiam plura bona fecerunt, quàm eis suffecisset, quorum merita in promtuario Ecclesiæ remanserunt. Similiter intelligendum est de numero annorum. Unde quando dicitur: Remitto tibi tertiam partem peccatorum, i.e. quantum deberes pro tertia parte peccatorum puniri, solvo pro te thesauro Ecclesiæ. Et qui (NB.) consequitur plenariam In-

Indulgentiam si statim moritur, statim evolabit in apertum cœlum. O magna misericordia Dei! O pietas infinita, pro modica re quàm magna pœna dimittitur? Sed ad hoc, ut quis Indulgentias consequatur, duo requiruntur, ex parte suscipientis. Primò ut sit in gratia, sine peccato mortali. Secundò ut faciat id pro quo datur Indulgentia secundùm formam concessionis, & si sic datur, quod visitet Ecclesiam, hic faciat, vel quod det unum denarium, vel candelam &c. Nam Fratres Minores nunquam consequuntur illam Indulgentiam, quæ sic datur: Quòd quicunque dabit unum denarium ad fabricam &c. Similiter alij pauperes qui non dant, pro quo Indulgentia est concessa. Quòd autem Indulgentia sit animæ redemtio, taliter patet. Sint duo homines, unus secundùm divinam justitiam deberet uno die tantum cremari in purgatorio, alius mille annis, & uterque consequitur plenariè Indulgentiam: uni tantum ad unum diem proficit, alteri ad mille annos, & nihil amplius: quia in cœlo nullum præmium dabitur pro Indulgentijs, licet pro bono opere, per quod

quod consequitur quis Indulgentiam, præmietur. Unde si tu habes pœnitentiam septennem, & consequeris Indulgentiam septennem, secundum Hostiens. sufficit tibi; sed consulit, quod non utatur homo Indulgentijs talibus hic, sed reservet pro redemtione pœnæ purgatorij, quæ acerbissima est. Conf. *Ser.* 12. Quam quidem acerbitatem quatuor suffragiorum modis sublevari posse iidem publicè docebant, *per intercessionem vid. capitis scil. Christi,* quo nomine oblationē altaris, offerendo Deo Patri dilectū Filiū, intelligebant. 2. *Per intercessionem membrorum;* i.e. orationes Sanctorum. 3. *Per modum redemtionis pœnæ,* id est, per eleemosynarum elargitionem. 4. *Per modum solutionis pœnæ,* per jejunium nempe, vigiliá &c. Eleemosynæ, i.e. munifica & liberalissima munera, Legata &c. multum poterant, modò nulla intervenerit mora. Etsi enim, definiente *Thoma*, ex retardatione nullum Eleemosyna passa fuerit detrimentum, ne tamē superstites cunctando hiantes corvos expectatione diutius fallerent, effectum Eleemosynæ, i.e. liberationem à pœna sufflaminari tradebant. *Tales hodie* (scribit auth. *Big. Sal.* Serm. 102. *de animabus in purgatorio;) clamant hodie; Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei. Et infra. Quare, inquiunt,*

per-

persequimini me &c. & carnibus meis, id est, bonis temporalibus, quæ cum sudore acquisivi, saturamini? de quibus dicit Dominus, Matth. 6. Amen dico tibi, non exibis inde, donec reddas novissimum quadrantem. Unde legitur de acerbitate pœnæ Purgatorij, quòd quidam frater petivit alium, quod statim, ut moreretur, Missam pro eo diceret, qui sicut promisit, ita fecit, qua completa, defunctus frater illi apparuit, & dixit: O frater, quare tuum promissum non servâsti, & me in igne annis viginti stare fecisti? Cui frater respondit. Adhuc non sunt tres horæ completæ, ex quo mortuus es, & Missam promissam celebravi, nec dum corpus tuum adhuc est sepultum. Ait ille. Certè nunc tot anni mihi visi sunt ex acerbitate pœnarum: Ego enim habui ex divina revelatione, quòd si una Missa diceretur pro me, protinus liberarer.

C. *Vbi vel Ecclesiæ Romanæ Majestas, vel Pontificis authoritas, vel Monachatus sanctitas, vel Sacerdotii dignitas* pro concione fuit proponenda, id potissimũ negotii datũ sibi existimârunt, ut hic suos aptarent acertos, a. Vnde Hæreticos pronuntiârunt, qui vel leviter sedis Apostolicæ præcepta violabat. *Tales,* scri-

scribit Auth.*Big.sal.*Serm.in Decal. *procul dubio, in Hæresin labuntur. Et imò omnes schismatici Græci sunt Hæretici, quòd non recognoscunt, Romanam Ecclesiam caput fore omnium aliarum. Nam recessus ab Ecclesia primò dicitur schisma, sed cùm pertinaciter inhæserit suæ secta, asserens, non esse obediendum Romanæ Ecclesiæ, est hæresis, quod peccat contra illum articulum fidei: Ecclesiam Catholicam.* b. Pontifici clavium potestatem asseruerunt. *Claves sunt duæ,* inquit *Id.* Serm.32. *quantum ad actum, scil. clavis scientiæ & potentiæ; in radice tamen sunt una. Unde clavis scientiæ non est habitus, nec actus sciendi; quamvis non debet claves Ecclesiæ recipere, nisi habeat habitum scientiæ sufficientem ad executionem potestatis. Actus enim clavis scientiæ est potestas discernendi in causæ examinatione. Clavis verò potentiæ est actus definiendi in causæ determinatione. Et istis clavibus Papa, & cui ipse concedit, solvit & ligat tripliciter. Primò judicando, scil. hominis conscientia examinata, judicat ei cœlum clausum vel apertum. Secundò aperit relaxando aliquam*

quam partem pœnæ debitam, & claudit, dum pœnitentem aliqua pœna sensus ligat, quam explere oportebit vel hic, vel in purgatorio antequam cœlum ingrediatur. Tertio claudit, vel aperit excommunicando, vel ab excommunicatione absolvendo. Adde quartum, quando de non contrito contritum facit vi clavium. Dicit enim Scotus super IV. Dist. 14. quòd attritus confitens, volens recipere Sacramentum pœnitentiæ, non ponens obicem peccati mortalis in voluntate, in ultimo instante prolationis verborum, in quibus est vis Sacramenti istius, recipit gratiam non de congruo, sed ex pacto divino, assistente Sacramento. Alioquin non appareret quomodo sacramentum pœnitentiæ esset secunda tabula post naufragium, si nunquam per ipsum, ut est sacramentum, gratia amissa posset recuperari. Unde qui ad confessionem accedit non contritus, sed solùm attritus, si confiteatur omnia peccata sua Sacerdoti, & ipsum contingat mori antequam Sacerdos verba absolutionis dicat, damnabitur, sed si post absolutionem mori contingat, salvabitur. Et hoc est, quod dixit

Salvator Joh.20. Quorum remiseritis peccata,remittuntur eis, & quorum retinueritis,retenta sunt. O clemens Christe, quàm facilem viam instituisti ad cœlum euntibus hominibus, Sacramentum scil. pœnitentiæ, per quod,facta confessione, nisi habeat voluntatem peccandi mortaliter, certus jam est de peccati remissione. Sic mulus mulum scabit. Magnificè Sacrificuli Pontificis Romani majestatem,nomine potestatis clavium,extollunt, ut & illi precariam,mutuatitiamq; suam aliis facilius commendent. Eam cumprimis, quæ in confessione auriculari consistit. Hic bene mereri poterant, qui excogitatis impudentissimis commentis persuadere aliis solebant, nec soli Deo peccata fateri tutum, neque confessionem,omnium peccatorum accuratissima enarratione non absolutam, sufficientem esse. Exempla vide in *Pomer*. Serm. Quadragesim. Ser. 36. & 38. Scripsit hic de sola confessione Sermões 38. Omnia Scholasticę perplexitatis, & commentorum plenissima; de satisfact. Serm. 10. c. Pari loco habuerunt Monachos cum Apostolis tum aliis de causis, tum verò, quòd omnibus relictis Christum sequantur. Auth. *Big. Salut*. Serm. 12. *Taliter etiam nunc emunt viri religiosi,qui omnia relinquentes nudi in cruce pœnitentiæ sequuntur nudũ crucifixum Christum. Idem ipsis sicut baptizatis cœlum apertum est.*

est. In signum hujus Johanni in Insula Pathmos apertum fuit regnum cæleste. Hinc dicit Bernh. de præcepto & dispensatione: Monasterialis disciplina meruit hanc prærogativam, ut secundum baptisma nuncupetur. Et infra. Hujus, inquit, professio amatores suos Angelis similes & dissimiles hominibus facit, imò divinam in homine reformat imaginem consignans Christo instar baptismi. Ex hoc verbo sumtum est quod intrantibus religionem de præteritis peccatis non est pœnitentia injungenda de pœn. Dist. 1. §. His auctoritatibus.

d Sacerdotiũ nimis hyperbolicis cõmendabant sermonibus. Vt enim cæteri Clerici seculares publicè à Monachis fuerunt traducti, usque adeò, ut frœnum iis aliquoties fuerit injiciendum (vide sup. 322) ita vicissim Sacerdotes ordinem suum & antiquiorem & sanctiorem, ut ibidem p. 276. diximus, anteferendum docuerunt. Neque tamen, magna pollere authoritate atque dignitate Sacerdotes, crebris etiam Monachorum declamationibus, postquam & illis publica sacrorum cura fuit demandata, fuisse assertum, inficiamur. Auth. *Big. Salut.* Serm. 27. *Sacerdotes habent magnam potestatem ex commissione, quòd à Christo Domino est ipsis potestas concessa in cælo, in terra, & sub ter-*

ra. In cœlo enim habent potestatem, quod cælum possunt aperire & claudere, juxta illud Matth. 16. Quodcunque ligaveris &c. Item in terra habent potestatem dimittendi peccata ministerialiter sive instrumentaliter in tantum, ut nullus adultus, nisi ex eorum ministeriis salvetur, ut dicitur Joh. 20. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur &c. Item habent potestatem sub terra, scil. in purgatorio, quòd iidem animas eripiunt per Missæ celebrationem, per peccatorum relaxationem, & per Indulgentiæ donationem. Unde Matth. 26. dicitur: Tibi dabo claves regni cælorum &c. & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, quod æternam pœnam commutat in temporalem. Item Christus Dominus commisit ipsis Sacerdotibus, quæcunque pretiosa habuit, quæ nec Regibus, nec Imperatoribus, nec aliis Principibus committere voluit, commisit enim potestatem conficiendi corpus suum verum, & sanguinem. Hinc canit Ecclesia: Cujus officium committi voluit solis presbyteris, quibus sic congruit, ut sumant & dent cæteris &c.

Tri-

Tribus deinde gradibus distinguit Sacerdotes: *in Sacerdotes inferiores; Episcopos & Pontifices maximos, quos omnes tamen superare vult potestatem Dæmonum, Angelorum & Virginum.* Istorum quidem, *quia, licèt unus Angelus possit cœlum movere; Sacerdotes tamen Creatorem omnium cœlorum moveant, dum sub specie Sacramenti verum Christi corpus elevant.* Harum verò, imò ipsius B.V. quòd, licèt B.V. *omnem puram creaturam excellat in hoc, quòd de suo corpore humanatus est Filius Dei; tamen hoc semel tantùm factum est, & amplius nunquam fiet. Sacerdotes verò non tantùm semel, sed multoties hoc idem sacerrimũ corpus Christi conficiunt.* Idem repetit in *conc. quadrages.* Serm. 18. de quarto præcepto. Vides unguem, ex quibus Leonem facilè fuerit dignoscere: neque enim angusti Methodi nostræ cancelli plura capiunt ex aliis Sermologis, *Pomerio, Michaele Lochmayr* Canonico Patavino, authore sermonum de Sanctis; *Paulo VVan*, Doctore, qui quadragesimale scripsit, sive tractatum de præservatione hominis à peccatis, *Postillis majoribus F. Gulielmi, Dionysii Carthusiani Homiliis in Epist. & Evangelia, Aurea legenda* Iacobi de Voragine, *Homiliario Doctorum* ex Bibliotheca Basil. per Ioh. Vlricum Surgant edito,

postilla Alberti M. & aliis nonnullis, quos ex Catalogo Curati nostri ad manus ipsi habere potuimus. Alius & otii est, & operis. Sunt hæc manifesta satis documenta & indicia magnæ calamitatis, quà majores nostri premebantur. Non negamus interim, ex Homelariis ejusmodi (hoc iis, qui conciões scripserant nomen erat) multa colligi posse, quæ Pontificiorum causam parùm juvant. Videamus potiora quædam, ne prorsus sine fructu hinc abeamus.

I. Thrasonicè sua ubique crepant miracula. At fatentur ipsi hi, quos Catalogo suo Ministerii Candidatis commendat, A. *Hoc penè donum inter suos expirâsse.* Pomer. Serm. 37. die Pentec. *Exemplum legitur, quendam dixisse Ludovico quærenti, cur non faciant miracula modò Episcopi, sicut olim Apostoli, & Episcopi primitivæ Ecclesiæ faciebant: Domine, inquit, olim eligebantur Episcopi per Spiritum sanctum, cujus est facere miracula, modò eliguntur per Reges & Principes non curando de electoribus legitimis, & ideò tales miracula facere non possunt. Licet autem talia externa miracula non fiant, nihilominus pro consolatione electorum hoc facit Spiritus sanctus interius, tantam suavitatem afferendo animæ, ut totum mundum desipere faciat, & Deum solum placere. Et ex hoc patet,*

tet, Christum & Spiritum Sanctum esse verum Deum, & super omnem creaturam. Nostra, hæc posteriora, sunt miracula, non religionis Pontificiæ, oculis potius & auribus, quàm animabus pascendis aptę. Aliquid dicit *Vngerus*, sed plenior quærenda (quamvis ne illa nobis sufficiat) diversitatis ratio, ne omnis iterū faba in solo cudatur ordine politico, qui quoties aliquas in Ecclesiastici muneris (non quidem ordinis, sed exterioris potestatis) cura sibi sumsit partes, atro atratorum carbone notatus fuit. Alius igitur audiendus, qui non tantùm cur hodierni Episcopi miraculorum varietate, sed & pietatis claritate ad veteres nō accedant, nos erudire queat. Ita ergo de hac re *Nider.* in Form. lib. 2 c. 2. *In me insurgit admiratio, cur non modò, sicut olim, sancti & devoti sint Episcopi.* Theo. *Causa hujus est, quòd jam non velut olim à Spiritu sancto ad apicem cathedralis culminis eorum fit vocatio, sed à vanè gloriosis, & ab avaris clericis & laicis crebra eorum fit promotio. Mox enim ac sedes aliqua vacare incipit, conspirant mutuo honorum cupidi Canonici, qui nobiles & Principes sub arratis aucupantur Epistolis, & per cognatos Hierusalem ædificare nituntur in sanguinibus, dirigunt plures statim ad Romanam Curiam, in qua copia re-*

peritur eorum, qui vendicatis supplicationibus, ut oculos tegant Domini Apostolici referre nôrunt ea, quæ nunquam fuerunt in esse, idoneos affirmant esse præsulatui, qui nulli bene præfuerunt statui, & ita falsis, vel cautelosis narrationibus ignarus, utinam non vitiosus, animabus præficitur millibus; quem multi agnoscunt nunquam aptum extitisse ad debitum regimen duorum hominum. Silentio pertranseo de sublimatis in Cathedras Pontificum ijs, qui duo obligantur scire testamenta per duo designata mitræ cornua, quorum nullus congruè novit loqui Grammaticam, prima puerorum rudimenta. Tales enim postmodum in regimine Ecclesiarum talibus clarent miraculis, qualia esse solent in secularium hominum perversis curijs. Unde tuæ quæstionis modum aliquando videtur solvisse (ut audivi) quidam Theologicæ scientiæ non ignarus, Regi Franciæ quærenti, ut tu movisti. Modò, ait, Domine mi Rex non miraculis vel divinis revelationibus, aut vitæ sanctitate pollent velut antea Episcopi, imò certè, quòd antiquitus hos, prævijs orationibus sanctis

crea-

creavit Spiritus sanctus in præsules, modò autem solis præmissis humanis favoribus, vos & Principes facitis Pontifices, qui vestris, nō Dei clarent miraculis, & prodigiis. Nam Sp. S. promovente Episcopos, à primitiva Ecclesia cæcis visum, claudis gressum, & mortuis dabant vitæ reditū, terris pacem, & super his cives advehebant cælestes. Nunc verò Episcopi vestri repleti spiritu Diabolico ejusdem clarent virtutibus, quod videntes oculis, gradientes pedibus, & sanos vita orbare soletis, dum de terra per vestras guerras pacē, & de cœlesti vita religiones tollitis. Piger. *Hæc, de quibus loqueris, malorum miracula, & vulgus clero obloqui videtur, in Alemannia crebriora sunt, quàm in quacunque mundi parte alia, fortassis ideò, quòd jam spinis rerum temporalium adeò nobiscum circumsepta sunt multæ Diœceses, ut in eis non animarum pastores, sed mundanæ militiæ principes vita, moribus, cura, & vestitu potius quàm Episcopi esse censeantur, quibus pompis tanto obruuntur, ut animarum saluti non possint intendere & providere.* Theo. *Vulgus non longè in hoc à veri-*

tate discedit,&c. Vides igitur, quorum artibus, vocatio ad ministerium Ecclesiasticum, tot olim injuriis fuerit exposita? Non laicorum tantùm, sed & clericorum, & horum quidem insolentiam intolerabilem fuisse, cur, tot edocti monumentis, ambigamus? Eo sanè paulatim res devenit, ut Laici non semel tantùm de Curtisanis, ineptissimis Papæ mancipiis, ex Italia in Germaniam missis conquesti fuerunt, supplicibus libellis à C.M. petentes, ut his tandem inutilibus terræ ponderibus natio Germanica sublevaretur. Et quidem ante Reformationem inter X. gravamina nationis Germanicæ, n.7. refertur, *Ecclesiarum regimina minus dignis (Romæ videlicet) committi, qui ad mulos magis, quàm homines pascendos & regendos essent idonei.* In conclusione & exhortatione ad Maximil. petunt Germani hæc, Curtisanis erepta, sibi restitui. *Nihil sanctius*, inquiunt, *nihil Deo gratius, nihil sempiterna memoria dignius efficere poterit Cæsarea Majestas, quàm ut tantas Germanicæ nationis molestias & exactiones moderetur, ut laicis clerum persequendi occasionem auferat, ut parochias (quarum aliquas Episcopatus Italicos AEneas æquare scribit) ex faucibus Curtisanorum, concionari, consulere, & consolari nescientium rapiat, ut divinum cultum augeat.*

geat, & avaritiæ & impietati Curtisanorum frænum imponat, ut jus Patronatus laicorum in utrisque, & nominationes Canonicorum, collationesque Ecclesiasticorum in ordinariis mensibus conservet. Quorsum tot medicamenta, nisi desperati ea morbi extorsissent? Neque verò inferiora tantùm subsellia à Clero Romano indignis fuerint concessa, ipse Pontificatus, Cardinalium cura & studio conferendus documento sit, quo conscientiæ sensu Curia Romana in gravissimis negotiis versata fuerit, & an causam habeat sufficientem, defectum miraculorum Laicæ imputandi ἀλλοτριοεπισκοπία. Cùm an. Ch. 1503 de successore Alexandri VI. purpurati laborarent, quibus quæso fraudibus, viam sibi ad hunc dignitatis apicem straverunt? Superarent fortè fidem, nisi Pontificii Pontificiam ægrè elevarent aut suspectam redderent. Ita ergo Bzov. an. cit. S. 6. Novi Pontificis creatio, tum quia defuncti exequiæ, ante quarum finem (sunt autem novemdiales) Cardinales ex veteri more locum suffragiis ferendis destinatum, quem conclave vocant non ingrediuntur, tum quod ad seditionis, in tanta rerum perturbatione, & tam gravi Principum dissensione occasiones & pericula vitanda: Cardinales, qui præsentes aderant, absentibus Cardinalibus veniendi tempus concedi voluerant: qui cùm venissent; Senatus, propter Valentini copias, & quia Gallicus exercitus tandem totus inter Nepet, atque In-

Insulam collectus, quique castra Romam usque extendere cogitabat, sive quòd, ne adversa factio Collegium ad libitum suum facere cogeret, vererentur, sive quòd Rotomagensis ad majorem sui securitatem, utque eis copiis ad Pontificatum consequendum se usurum speraret, Tiberim antequam novus Pontifex creatus esset, transire recusabat, electionem minimè liberam fore videbatur, quæ tandem post multas contentiones Collegio, se alioquin conclave ingressurum negante, hac ratione sunt composita, quod Rotomagensis, Pontificum Collegio, Gallicum exercitum Nepetis, atque Insulæ fines minimè excessurum, fidem suam obstrinxit, & Valentinus Nepet profectus est. Elusus est Rotomagensis præcipuè à Iuliano Cardinale. Is cùm & Valentini opera, & Gallorum vel studio vel metu videret aliquot voluntates in illum inclinare, ultrò adiit hominem: Et Pontificatum quidem, ajt, omnium suffragiis dari tibi fateor. Atque ego quidem haud diffiteor, vel pleraque me, tantam ut tibi dignitatem pararem, & simulâsse dolentem, & dissimulâsse volentem, tandem ut aliquando rem omnem ad effectum consilii perducerem. Hactenus tacui, cùm præmaturam denuntiationem officii, studiique intelligerem, etsi dolebam, cùm alios occupare possessionem Pontificatus videbam. Sed usque mihi temperavi, dum perducerem eò rem, ut dignum aliquid & dignitate tua, & Gallica expectatione efficerem. Id verò veremur amici tui, ne quod olim non ignoras accidisse, quiritentur exteri Purpurati, metu te Gallicorum armorum designatum:

no-

nováque habeant postea comitia de alio designando. Quin tu eos, cùm videas parata omnium in te studia, hoc metu liberas? Neque enim circumfusis patribus, armis Gallicis, vanè quis objecturus, Spiritus sacrosancti numine nos desertos. Itaque censeo, emittas mox omnes Gallicos milites urbe, Pontificatum minimè controversum, sine dubio adepturus. Hæc suadeo, ut non imperitus harum rerum, ita de studiis erga te Patrum non ignarus. Quæ erant necessaria in eo tibi parando honore, in eadem nec infidelem, nec segnem operam polliceor. Paruit Rotomagensis Iuliani consiliis, & Collegium multis militibus ad urbis præsidium conscriptis, & tribus Antistitibus conclavis custodiæ præfectis, si quem tumultum perciperent, eis aperiendi authoritatem dedit, ut singulis Cardinalibus liberam quocunque vellent proficisci facultatem habentibus, omnes eos cogendi spem amitterent. Decretum etiam à Patribus consensu ante electionem, ut quicunque confectis suffragiis Pontifex renuntiaretur, intra biennium proximum Episcopos in conventum generalem cogeret: quod repeteretur deinde singulis tribus annis, lege in omne tempus lata. Superioris temporis licentiam frœnare, sanare Reipublicæ vulnera erat Patribus propositum: Orbi universo id (NB) expetenti satisfacere. Ad Pontificatū quatuor competitores aspirabant, Rotomagensis, ut dixi, armis Gallicis potens. Resistebat Iulianus, alioqui Gallico nomini ad insaniam addictus. Sed in Pontificatus petitione neminem præferri sibi patiens. Bernardinum profectò Car-

va-

vajalium Magnus Consalvus sublevabat, parta de Gallis victoria, multisque ex eo adjunctis amicis, validus in quamcunque partem se dedisset, quo studio, ut Iohannes Columna Cardinalis ex Sicilia, ubi Alexandri Pontificis metu eatenus se tenuerat, ad comitia festinaret, gratia, authoritate, & ope effecit. Neapolitanus quoque Cardinalis spe & ambitione tribus, sed ex intervallo, proximus, conscendere Apostolicum solium moliebatur. Triginta novem numero Cardinales omnes Conclave ingressi sunt: ubi dissidium, quod aliis temporibus moram afferre solebat, in causa fuit, ut intra paucos dies novum Pontificem creârint. Nam propter illas singulorum competitorum cupiditates, & præcipuè propter contentionem, quæ Gallicæ factionis Cardinalibus cum Hispanis, vel Hispaniæ Regibus faventibus erat, non de homine convenientes, sed proprio periculo, cùm res Romana in tanto metu, atque tumultu esset, & casuum, qui tam difficilibus temporibus, interregno præsertim Pontificali, accidere poterant, cogitatione territi, Rotomagensi quoque Cardinale, in quo indies magis ejus adipiscendi spes minuebatur, consentiente, Franciscum Piccolhomineum, Senensem Cardinalem, quem, quia senex erat (*his rationibus Curia illa sancta in elevando suo Pontificatu ducitur*) & tunc temporis infirma valetudine, omnes brevissimo tempore, supremum diem obiturum, existimabant, ad decimum Calend. Octob. Pontificem creârunt. Hæc *Bzov*. Dignum Pontificatûs candidato

dato strategema! Os Iulianus Rotomagensi sublimit, eidémque, ut exercitum dimittat, persuadet, quo abire jusso, verba sibi data Gallus experiri, adeóque repulsam ferre debuit. Hæc audent in summo Ecclesiæ suæ fastigio Archiflamines, & tamen in laicos convitia ubique conjiciunt, quasi omnia falce sua in agrum Ecclesiasticum missa turbarent. Ex eo tempore, post tot querelas, vota & suspiria, rem meliori loco fuisse, quis credat? Quid superioris seculi decursu reliquo factū sit, *can.IX.* hujus sectionis excussimus. Novo etiam didicimus exemplo, partium studiis & simultatibus, omnia peragi, quæ misera plebs singularis Spiritus sancti regimini accepta ferre, ni hæreseos crimen subire velit, tenetur. Notius est Romæ, quàm ut dubitari posit, nuperi Pontificis electionem plurimis laborâsse nævis, & solitis φιλοπρωτευόντων artibus. Non Romæ tantùm, sed per universam Italiam constans spargebatur fama, à verbis deventum ad verbera. Decanus enim Collegii Cardinalium adeò ægrè tulisse fertur repulsam, ut juniorem quendam Cardinalem sibi minus obsequentem pugnis probè dedolatum, & livore notatum reliquerit. Ginetti verò quàm subdolè negotium fuit aggressus? Cùm fortè ipse semel collegio proponeretur, non quòd spes ulla esset ejus eligendi, sed ne omissus de injuria sibi facta quereretur, cum Mediceo primùm egit, ut curaret, sibi à factione illa 15. dari vota, cùm sciat, se à reliquis ne unum habiturum, atque vereatur, ne cum contemptu hoc suo conjunctum sit futurum, si nullum habeat de ipso bene sentientem;

cæ-

cæterum se ad hoc munus, cui se imparem fateatur, non adspirare. Petiit autem, postulatum hoc suum bona fide celari, ne fortè aliis patefactum, contemptus majoris causa existeret. Cùm spes illi facta hic esset, eadem fraude reliquos aggreditur factionum Duces, qui cùm simplicem esse hominem existimarent, operam suam promtè sunt polliciti. Vnaquaque ergo factione putante, se solam solicitari, factum est, ut omnium penè suffragiis nominatus sit. Aderat quoque jam tempus scrutinii, cùm conscius doli quidam ipsius Minister, rem in vado esse existimans, maturè nimis jactaret, Dominum suum Papam esse, quod ad cæteros Cardinales perlatum, suspicionem iis movit, & cùm senis illius petitionem quidam protulisset, dolo facilè detecto, omissum est scrutinium. Hi lusus sunt Romæ inter Cardines Ecclesiæ, quorum etiam votis & suffragiis turpissima Innocentii X. γυναικοκρατεία debebatur. In ipsam enim Olympiam, insolentis animi mulierem, adeò facilis fuit, ut Papam eam alii, alii Papæ Superintendentem, omnes Diaboli creaturam vocârint. Vnde factum, ut Itali ipsa in Vrbe, statuæ D. Petri de manu claves excusserint, reposito loco ipsarum colo, contrà statuam cujusdam vetulæ, quam lecto impositam in platea collocaverant, clavibus atque corona ornârint. Desinant ergò sugillare Magistratuum Christianorum curam pro Ecclesia, & Ministrorum electione, tanquam profanam, cùm tot illi modis peccent.

[b] *Miracula, apparitiones animarum, Vaticinia tot Dia-*

Diabolicis artibus & præstigiis esse mixta, ut ipsis etiam Pontificibus fraudi fuerint. Exemplum habemus in *Petro de Luna*, cujus *Nider.* in Formicar. l. 3. c. 1. hunc in modum meminit: *Sunt infiniti modi, quibus antiquus deludere solet incautos, quibus nonnunquam viros maximos decepisse comperitur. Nam ab Archidiacono Barcinonensi didici, D. Johanne, jure divino & humano multum notabili, quod ante tempora Constantiensis Concilij, schismate jam diu continuato, sub diversis summis, in sua obedientia vocatis Pontificibus, quorum quidam Romæ, alij, de adversa parte, in Avinione residebant, Petro de Luna ibidem residente, & per inimicos obsesso, per galeam in Rhodano mare intravit secretè fugiendo. Cúmque in quodam oppido, cujus nomen nunc non occurrit, super distanti portu maris per Abbatem quendam, oppidani, die adventus dicti Papæ avisarentur, ut scil. disponerent ad recipiendum dictum summum Pontificem, deridebant cuncti Abbatem, quod de Avenione secretissimè recesserat antea, nec Papa ullo modo intendebat dictum oppidum intrare, nec illuc quemquam*

præmiserat, sed per longi tractus spatium ultra idem oppidum navigaverat per 16. circiter milliaria, & ecce ventus contrarius galeam cum Papa compulit dictum intrare oppidum. Ubi cùm improvisè susceptus esset, Abbatis oraculum didicit, unde adventum suum præcisissimè inquisivit. Et responsum accepit ab Abbate; quòd Prophetiam istam dudum in quodam libro legisset, in quo continebatur, quod idem Papa plura passurus esset ab Adversarijs, quòd obsideri deberet, quòd ad oppidum prædictum venturus esset, quòd iterum in persecutionem intrare deberet, sed finaliter Romam iturus esset, & in unione Ecclesiæ ibidem, adepta pacifica possessione, & sedato schismate, quiescere deberet. In qua re, licèt omnia præcedentia penè verificata essent, tantum confidebat, ut citatus per Concilium generale Constantiense contumax fieret, & finaliter ibidem depositus esset. Nam tres pro summis Pontificibus se gesserunt, Gregorius, qui humiliter cessit, in Cagetha pro tunc residens, Johannes, qui Romæ sedebat, à Constantiense Concilio clam fugiens, juridicè depositus est à Papa-

tu

tu ibidem, in Constantia scilicet; Sed dictus Petrus de Luna, sive Dominus Benedictus. licèt vir apprimè eruditus in omni ferè scientia esset, tamen in prædictam Prophetiam fatuè confidens, ut præmisi, depositus à Papatu obedire renuit, in munitiunculam fugit, & tandem in exilio pertinax in sua opinione, vitam nec Romæ, nec in pace, sed in miseria finivit: Vides igitur (ita infert homo Pontificius) *quàm periculosum sit talibus faciliter credere. Tamen, ut aliqualiter tuo quæsito in apertis deceptionibus satisfaciam, scito, quòd triplex est in genere talium hominum doctrina à sana doctrina delirantium. Quidam sunt convicti ex avaritia. Alij possessi per Dæmones. Nonnulli decipiuntur per fantastica luminaria: Primi sunt periculosi, tertij magis quàm secundi perversi existunt.* Avaritia quid posit, *exemplis postea probat*, quæ præmisimus Sec. 15. p. 264. Sed & Dæmoniacos nonnunquam & fanaticos homines, mulierculas præsertim revelationibus, aliisque insolitis effectibus, Dei simias esse, quæ sub specie veri, falsa & vana proponunt, de quibus tamen non cujusvis γεγυμνασμένα αἰ-

ἀπηπειρία non habentis, sit judicare, ipsius experientiæ testimonio confirmat. *Venerabilis fratris, Henrici Kalteisen, Professoris sacræ paginæ nostri ordinis, & Inquisitoris relatione percepi; & alterius fratris, Arnoldi, nostri præfati ordinis, qui infra scriptis interfuit, quod nuper in Buscoducensi conventu antedicti ordinis, Juvenis, habens 13. circiter annos, fuit; qui per ejusdem ordinis habitum & doctrinam ad profitendum suo tempore disponebatur per præsentes. Hic, ut postmodum retulit, hortum conventus intravit; in folio caulium albedinem quandam vidit, & nulla benedictione præmissa delectatione victus folium abscidit, avideque comedit, ac Dæmonem quendam pessimum ignoranter deglutivit. Possessus igitur Juvenis gestus quosdam cepit habere devotos in orationibus, rapi eum fratres videbant, & privari omnibus exterioribus sensibus corporis, quibus restitutis loquebatur bonum Latinum, quod prius nescivit. Cordetenus proferebat multos Bibliæ passus, qui eum prius latebant: Gallicam Linguam expressit, quam nunquam didicit, se in cæ-*

m

mirabilia vidisse asseruit. Revelationésque quasdam, exprimendo mirabilia dicere præsumsit. Ex quibus nonnullæ fœminæ, quæ citò credunt, & leves sunt corde, satis putabant adesse divinum Spiritum, ubi Diabolus solum locum habebat. Fratres igitur qui Juvenem prius rudem nimis esse noverant, meritò hoc in malo interpretabantur. Attulerunt Juveni reverenter divinissimum Eucharistiæ sacramentum, & in horrore, quem obsessus habuit, manifestam Dæmonis agnoverunt tunc adesse præsentiam. Atqui ex hoc horrore multum suæ accedere portentosæ Transsubstantiationi, gratis homines miseri fingunt. Quasi ὁ πονηρὸς, qui ipsum Servatorem nostrum, dum in terris versaretur, aggredi fuit ausus, ad panem illum numularium contremiscat? aut quasi ὁ μυελοτέχνης dedidicerit artes suas veteratorias, de quibus graphicè Servator noster *Matt.12.v.43*. Cedit nempe τὸ πνεῦμα ἀκάθαρτον, ut possit παραλαμβάνειν μεθ᾽ ἑαυτοῦ ἑπτὰ ἕτερα πνεύματα πονηρότερα ἑαυτοῦ. Ejicitur nonnunquam corpore, ut occupet animas. Sed pergendum in Nidero. *Fuit pro tunc ibi, bonæ memoriæ frat Arnoldus, revera fidelis & integer sui ordinis observator & tentor, qui die statu-*

to Juvenem exorciſans, Dæmonem eundem loqui artabat, cauſas ingreſsûs dicere, & corpus miſeri dimittere cogebat, & manifeſtiſsimo dato ſigno tandem exivit. Juvenis autem ingenio rudis, prout antea relictus eſt: & ex præſentia horrendi Dæmonis usque modò aſpectum quendam præfert inſolitum, verius ingratilem & horribilem, quin imò tam hebes eſt ingenio, ut etiam diſpenſatione prævia ſatis dubium ſit, an literaturam attingere valeat, quocunque tempore Sacerdoti neceſſariam. Vides igitur arreptos per Dæmones, revelationes falſas & periculoſas habere. Hujus etiam fallaciæ Dæmonum, qua ſe defunctorum animas mentiuntur, *Robert. Licius* meminit Serm. 23. c. 3. *Meritò condemnantur hi, qui fallaciis Dæmonum facile credunt, quum ipſi quorundam vivorum corpora obſidentes ſimulant ſe eſſe animas defunctorum. Fuerunt hujusmodi deluſiones quam plurimæ diebus meis, ſicut ſcripſi in libr. de timore judiciorum Dei, de illa, quæ Neapoli obſeſſa fuit, & quam plurimos in errorem ducebat, dum Diabolus, qui loquebatur per eam, fatebatur eſſe ſe animam Jacob*

cobi Comitis Piccinini. Anno insuper Domini 1440. In partibus terræ Ydronti, & terræ Bari multi sic obsessi ajebant se esse animas quorundam, qui diebus illis ex hac vita migraverant. In urbe, prædicante me ibi, an. D. 1474. decapitatus fuit quidam Iudæus, eò quòd alium de suo genere interfecerat. Post paucos verò dies puella quędam Hebræa loqui cœpit, nunc in persona unius illorum, nunc in persona alterius. Et dum amborum partes concurrerent ad novum speculum, aperiebant multa secreta domus illorum, respondebantque ad interrogata sicut faciebant, dum viverent hortabanturque suos, ut se invicem pacificarent. Multaque confinxerunt mendacia, pollicentes Iudæis vitam æternam Tandem Dæmones ibi reliquerunt puellam, & sic cessavit rumor exortus in plebe. *Qualiter autem* (redimus ad verba Nideri) *sine arreptione, seu obsessione facta per Dæmones fantasticis luminibus quidam decipiantur, in sequentibus capitulis exemplorum de hoc copiam habebis.* Piger. *Vidi aliquando & audivi sæpius fœminas, ut videbatur, satis bonæ famæ, rapi, quantum visu perpendi potuit, ad interiora ab exteris sensibus veluti ecstasin quandam ex devotione paterentur. Vidi insuper aliam, quæ in publica prædicatione a-*

licujus de Christi charitate audita sententia, coram omnibus clamorem quendam in altum extulit, quasi non valeret amorem sui pectoris ad Christum clausum in antea retinere, & tamen à multis literatis tales pro fictis habebantur. Theol. *Lex generalis est, audivisti superius ex Apostolo, non omni spiritui esse credendum, sed probandi sunt spiritus, an ex Deo sint*, Aptissimè: Sed quæ hujus βασανισμȣ̃ regula, quæ cynosura? Sola utique Scriptura sacra. Vt enim, qui verbum Dei audiunt, ex Deo sunt; *Ioh.8.47.* ita quæ secundùm Dei verbum, quæ πρὸς οἰκοδομὴν, non πρὸς καθαίρεσιν veræ & Apostolicæ doctrinæ, quæ ad stabilimentum τῆς ὑποτυπώσεως τῶν ὑγιαινόντων λόγων miracula fiunt & apparitiones, ex Deo; procul dubio; sunt: cæteris anathema dicimus, etsi vel Angelici nominis coruscent splendore. Sed nec dum finem facit *Niderus* fraudum & impietatum, quas magnæ glorię Monasticæ segetem ex illo porrò recitabimus. *Non mireris*, inquit, *si prudentes & experti de quarundam fœminarum actibus fidem gerant modicam, quas flexibiles ad malum, inconstantes ad bonum, & pronas valde ad vanam gloriam esse agnoscunt. Vix enim aliquis novit, nisi expertus,*

quan-

quantum præfata in multis earum regnent facinora. Notitiam cujusdam Virginis habui, quæ in seculo omnium eam noscentium fama bona & devotione plena extitit, & ingressa reformatum Monasterium non minus in Dei obsequio videbatur sincera, quæ tamen in Monasterio victa per κενοδοξίας vitium, revelationem finxit & ecstasin, quam nunquam habuit, ut mihi coram suo superiore sponte propria fatebatur. Nam cùm audisset inmensa legi sæpius, quòd abstractæ priores Sancti & Sanctæ vixissent, ut de numero eorum esse censeretur, nonnunquam publicè merè ficta clamare cepit, voce alta & in jubilo, vel cadendo solotenus effigiare raptum vel mentis excessum. Multo tamē deinde elapso intervallo temporis, conscientiæ stimulis coacta & agitata, ut facinus illud sibi divina clementia dimitteret, rubore perfusa suo, & in sacramentali confeßione, qualis fuerit mihi & suppriori manifestavit. Audivi à sanctæ memoriæ Patre Conrado, primo Reformatore nostri ordinis Prædicatore in tota Alemania gratiosißimo, quod quædam fœmina apud popu-

lum magnæ reputationis existens in prædicationis devotæ audientia coram cunctis clamare, quasi in jubilo, cepit, quæ tamen fassa est sibi clàm, postmodum, quod illud non ex charitatis fervore, sed tantùm gestiebat ex inani gloria. Et cap. 11. hæc gloriæ animalia frontem impudentius perfricant. Fuit, *inquit idem*, paulò ante tempus Concilii Constantiensis propè Constantiam in Cellis oppido reclusa quædam magnæ famæ, contemplatrix alta, quæ multa dicebatur sanctitate pollere, sed ab his, qui nullatenus probare nôrunt spiritus, an ex Deo sint. Ad hanc velut ad matrem de Constantiensi clero seculari plures & devotiores Sacerdotes, & in vicinia similes refugium divinæ consolationis habere famabantur, quorum quosdam satis novi. Erant enim quidam ex eis non minimi status viri. Ostenderat autem se prædicta fœmina sæpe numero jacere velut in ecstasi, & in raptu ecstatico, à quo reversa & expergiscens suis postmodum secreta, quæ non noverat, dicere solebat. His dictis Sacerdotes quidam nimium mulierculis credentes, fidem de sanctitate reclusæ habere cœperunt. Venitque tempus, quo ab eisdem pro vero in Constantiensi civitate vulgabatur, & pro constanti, quod in reclusa prædicta, certa die quæ nominabatur, quinque Christi stigmatum insignia in manibus, pedibus, & in corde fœminæ certitudinaliter apparere prædicabatur. Super qua die, quæ futura erat, non paucæ, sed nota-

tabiles personæ seculares & Ecclesiasticæ de dicta civitate exeuntes in Cellas venerunt. Interfuerunt etiam huic spectaculo Sacerdotes Pseudo prophetissæ, magnificantes fimbrias, & advenas duxerunt pro videndis, ut ajebant, Dei mirabilibus. In locum igitur venientes, ubi jacebat velut in raptu immobilis fatua, nullum signum Christi stigmatum in ea viderunt, nec de prophetatis quicquam apparuit, licèt diu esset expectatum. Cúmque attædiatum videret populum, quidam novæ contemplatricis Sacerdos, voce magna clamavit, patientiam habete, expectate, quæso, respicite. Quo verbo murmur est coërcitum paulisper. Postremo diei spatio plurimo populo decedente, nihil nisi confusio maxima illata est omnibus, qui deliramentis fœminæ & suis revelationibus crediderunt. Nam omnes, qui aderant manifestum deprehendentes mendacium, se venisse erubuerunt. Fuit præsens his in parte piæ memoriæ frater, Henricus de Reinfeldia, nostri ordinis S. Theologiæ Professor, qui coram multitudine statim sermonem inchoavit, quàm multiplex esset spiritus erroris edocuit, & quàm fatuũ esset faciliter propriis ingeniis credere, in mirabilibus ambulare super se, & talibus insistere. Nec multò post elapso tempore ipsa fictrix, & unus de fictoribus tanquam suspecti de fide per Officialem Constantiensem in pœnitentiam ad revocationemque quorundam malè assertorum ab eis confusibiliter & satis publicè positi sunt. Hæc *Niderus*. Tot quidem cautelas & fraudes detectas ipsis superioris seculi Præconibus debemus; qui tamen mox periculi, ex mi-

miraculis, apparitionibus &c.emergentis & imminentis obliti, contra Iudæos & Saracenos, fidei Christianæ veritatem hac arundine suffulciunt. *Robertus de Licio* Serm.40.c.3. *Fides*, scribit, *Christi vera esse probatur ex eo, quòd Deus illam continuis miraculis magnificat etiam temporibus nostris*, Miraculis *nempe* ordinationis, scaturitionis, (*placet enim*, verba sunt *Iob.Vlr.Surg.* lib.1.consid.13. *modernis prædicantibus, ut divisiones fiant in consimiles syllabas*) conditionis. *Primum genus miraculorum, quæ quotidie videmus, dicitur ordinationis. Nam qui baptismi lavacro sunt regenerati, odore quodam suave ab infidelibus* (nescio quàm tutò Monachi argumento hoc contra Reformatos uti possent: sed de nostris nunquam cogitavit Robertus) *distinguuntur. Ipsi verò infideles, qui non sunt baptizati fœtore quodam intolerabili deturpantur. Testor Deum & Angelos ejus, qui dum semel Brundusii peccatoris dolorem incurrissem, quidam Medicus Judæus non vocatus ad me venit, qui quam primum intravit cellulam in qua jacebam in lectulo, fœtore suo ita turbavit stomachum meum, ut viderer evomere velle omnia viscera & intestina, nec qui-*

quiescere potui donec à me licentiatus discessit. Quid plura? Audivi ego à quampluri- mis & fide dignis, quòd in Castello S. Petri prope Rhodum, quod milites sancti Johannis Hierosolymitani tuentur, sunt omnes ferocissimi, qui in die ligantur, in nocte verò solvuntur, & extra castelli Beridi mittuntur: Hi si Christianum aliquem inveniunt nullam ei molestiam inferunt. Si verò aliquem Turcam aut Saracenum reperiunt, latratibus & morsibus usque ad mortem insequuntur. Ex odoratu quippe Christianos ab alijs discernunt. Sed non est omittendum, quod experimur de Sanctorum reliquijs, in quibus tanta est odoris fragrantia, ut meritò confiteri cogamur ossa illa felicia sic à Deo reservata, cum suis animabus tandem glorificanda. Secundum genus miraculorum dicitur scaturitionis. *Utique secundum naturam fieri non posset, ut ex aridis ossibus & inanimatis, liquor profluat indesinenter, quod tamen fieri negare non possumus. Nam etsi non omnium, tamen multorum sanctorum corpora manna scaturiunt. Sic S. Nicolai apud Barum, S. Andreæ apud Amalsiam, S Mat-*

S. Matthæi apud Salernum. Tertium genus miraculorum dicitur conditionis. Unde est hæc conditio in vero ligno crucis, ut in ignem projectum, etsi inflammetur nunquam tamen comburatur, si ponatur in aqua, non natet, sed sub mergatur, nisi ex miraculo Dei? De spina coronæ Domini adhuc à plerisque accepi, quod Rhodi in Parasceve floret. De columna, quæ est in Sancto Petro in urbe maxima, testimonio de visu referre possumus, quod ibi vexati à Dæmone liberantur. Ajunt quidam, illam esse in qua dum Jesus prædicabat in templo in Hierusalem, quiescere solebat. In Apulia prope Puliganum est Ecclesia in qua corpus S. Viti requiescit, in qua ille qui morsum rabidorum canum riment interire absque ulla medicina liberantur. In civitate Brundusij reservatur adustũ corpus S. Theodori, Martyris cum veneratione & devotione populi. Tempore verò siccitatis cum processionibus & letanijs corpus illud extrahitur & sæpissime, imò eodem die pluvia de cælo descendit. Totum hunc apparatum quanti faciant vel Iudæi, vel Turcæ (quem enim nos argumento à miraculis desumto, tribuamus locum, non semel jam diximus)

ximus) æstimare licebit tum ex *Hist. Orientali* nostra l. 2. c. 5. tum ex Historia Ecclesiastica, Sectionibus aliquot de *Iudaismo & Gingischanismo*. Dolemus interim Doctores istos adeò Christianę religionis dignitatem ignorâsse, ut à canum etiam sagacitate, quibus vel ex habitus varietate facile fuit Turcã discernere, argumenta promant. Vnde multis sanctorum imaginibus suæ lachrymæ, unde sepulchrorum fragrantia, unde sanguis &c. quæ tanti faciunt Leipsanolatræ, illi nôrunt, qui, propius accedentes, pollinctorũ industriam, & avari Cleri, nimis manifestè deprehendunt vestigia. Si quos verò Deus post mortem ὄντως ἁγίους honoratos voluit, quid ad Romanorum hoc superstitionem & impietatem defendendam? Iure illis objici queat, quod Servator Iudæorum Scribis: οὐαὶ ὑμῖν ὅτι οἰκοδομεῖτε τὰ μνημεῖα τῶν προφητῶν, οἱ δὲ πατέρες ὑμῶν ἀπέκτειναν αὐτούς. Ἄρα μαρτυρεῖτε καὶ συνευδοκεῖτε τοῖς ἔργοις τῶν πατέρων ὑμῶν, ὅτι αὐτοὶ μὲν ἀπέκτειναν αὐτοὺς, ὑμεῖς δὲ οἰκοδομεῖτε αὐτῶν τὰ μνημεῖα: *Luc.* 11. v. 47. 48.

II. *Simoniam in electione, negligentiam in demandato munere, impietatem ubique, & in utreque ordine regni Papistici, triumphâsse*, ὅλῳ θυλάκῳ iidem Scriptores largiuntur. De Simonia, & variis ejus speciebus agit *Auth. Big. Sal.* Serm. 29. *Simonia*, inquit, *secundùm Thomam in IV. Dist. 25. est studiosa voluntas emendi vel vendendi*

dendi aliquid spirituale vel spirituali annexum. Cum dicitur spirituale, intellige ordines, Sacramentum & Baptismum, nuptiarum benedictionem, &c. Cùm dicitur spirituali annexum, intellige jus patronatus, calices, sepulturam, &c. Unde Vincent. in spec. Moral. lib. 3. P. VII. di. 17. ponit septem species Simoniæ, per quas spiritualia malè adquirantur. Primò, *cùm emuntur pro pecunia spiritualia, ut ordines, Diaconatus, Presbyteratus, Episcopatus, Psalterium, Missa, Baptismus. Sepultura, benedictio nuptiarum, &c. Sic voluit emere Simon Magus Act. 8. qui videns, quòd per impositionem manuum daretur spiritus Sanctus, obtulit pecuniam Petro dicens: Date mihi hanc potestatem, ut cuicunque imposuero manus, recipiat Sp. S. Cui Petrus ajt: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quòd existimâsti donum Dei pecunia possideri. Talis etiam fuit Judas, qui Sacramentum altaris, id est, Christum Dominum vendidit 30. argenteis, impreciabile Sacramentum, inæstimabilem thesaurum.* O quot sunt modò Iudæ complices & sodales, qui vendunt Missas & alia spiritualia, qui cum eo lucrantur æternum inferni supplicium.

Sed

Sed diceres : quid debemus facere? Debemus ne salaria nostra & proventus Ecclesiæ minuere, ut à nullo exigamus de Baptismate, quod olim piè institutum est, vel de sepultura, aut de nuptiarum benedictione? Respondet tibi bene Decretalis Extra. de Simon. Ad Apostolicam. Quidam Clerici pro exequiis mortuorum & benedictione nubentium, & similibus pecuniam exigunt & extorquent, & si eorum cupiditati satisfactum non fuerit, impedimenta fictitia fraudulenter opponunt. E contra verò quidam laici laudabilem consuetudinem nituntur infringere: quapropter super his pravas exactiones fieri prohibemus, & pias consuetudines præcipimus observari, statuentes ut liberè conferantur Ecclesiastica Sacramenta, sed per Episcopum loci, veritate cognita compescantur, qui malitiosè nituntur laudabilem consuetudinem immutare. Secunda species *Simoniæ, cùm spiritualia adquiruntur pretio linguæ. Hoc modo non admisit Dominus preces matris filiorum Zebedæi, ut unus filius sederet ad dextram Christi, alius verò ad sinistram, Matth. 20. & hoc est intelligendum, quando preces pro indigno porri-*

guntur & principales respectus est ad pretes, non ad personam. Tertia *species Simoniæ est, quando spiritualia adquiruntur per obsequia principaliter.* O quot sunt Capellani Magnatum, qui ideo obsequuntur Dominis, ut obtineant beneficium Ecclesiasticum, *quod est Simoniacum, secundùm Raym.* Quarta *species Simoniæ est, quando quis dat & procurat beneficia consanguineo, ea intentione, ut suis consanguineis subveniat. Manifesta est Simonia. Ar. Extra. de usu. Nemo.* Quinta *species est, quando per vim & minas magnatum adquiruntur spiritualia. Istis fi[t] sicut Chore, Dathan, & Abiram, quos terr[a] absorbuit, Num.16.* Sexta *species, cùm pr[o]pter favorem magnatum dantur benefici[a] Ecclesiastica indignis, Escles.7. Noli quærere ab homine Ducatum, neque à Princip[e] cathedram honoris.* Septima *species Sim[o]niæ cùm adquiruntur spiritualia per dolu[m] vel fraudem, quod dolus & fraus nulli d[e]bent patrocinari.* Et paulò post: *Ad pr[æ]lationis voluptatem alij veniunt in* Nom[i]nativo *casu, quòd sunt nominati Doctores, Magistri, Baccalaurei. Alij in* Genitiv[o] *quò*

quòd sunt filij Baronum, nobilium & potentum. *Alij in* Dativo, *quòd electoribus offerunt dona & munera, vel indebita servitia.* *Alij in* Accusativo; *quòd altos vilipendunt, & lacerant, ut ad hoc minus idonei habeantur.* *Alij in* Ablativo, *qui perturbant bona Ecclesiæ, ut cessando à tali infestatione habeant, pro se vel suis, Ecclesiastica beneficia.* *Hi omnes sunt fures & latrones, &c.* Serm. 3. *O Deus æterne, nunc ferè omnes gloriam suam quærunt: non fugiunt, sed usurpant vel emunt pretio* (Papatum) *favore vel servitio, quod non student de libro conscientiæ.* Serm. 38. *Marcus tam admirandæ extitit humilitatis, ut amputaverit sibi pollicem, ut sacerdotij reprobus haberetur. Considerabat namque divinam majestatem, & sacerdotum dignitatem, & non audebat fieri sacerdos, sicut B. Franciscus. O quot nunc sunt in mundo, qui amputatis animabus, & Dæmonibus traditis effrontes* (vide & Serm. 27.) *cum diversis peccatis currunt ad consecranda divina sacramenta. O denique quot sunt, qui per fas & nefas sibi usurpant beneficia Ecclesiastica, ut lautius*

vivant,& saginari volunt de sanguine in-
nocentis Christi, cujus patrimonium inut-
liter consumunt. Serm. quadragesim. 11. *Secun-*
dus casus, quo votum licitum non observa-
tur, est, propter authoritatem dispensantis
bene adverte, si subest legitima causa, ali-
non habet locum dispensatio. Taliter mu-
ti decipiuntur. Nam & ego vidi quosda-
pinguia beneficia habentes: cum menda-
fecerunt secum dispensare votum religios-
Alij dicentes, quòd in spina dorsi habe-
læsionem, & non possant in divino offi-
more religionis se inclinare, non adverte-
tes, quòd in corde habent radicem illius a-
ritiei. Alij dicunt, quòd non possunt Je-
nare propter debilitatem capitis, non int-
ligentes, quòd illa mala consuetudo, Dei
na consuetudine potest immutari. Barel
paucitate salvandorum Serm. 19. pag. 194.
Clamat Johannes: Totus mundus in m-
ligno positus est. Secundum AEgidiu-
mundus dividitur in novem status, -
omnes corrupti sunt: Primus est status P-
latorum & clericorum, qui est plenus m-
lignitate. Qui status adeò perfectus

ut nulli liceat accedere, nisi vocato Heb.5. Nec quisquam sibi sumat honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aharon. Antiquitus eligebantur Prælati ad columbæ signum, ut patet de Ambrosio, Augustino, & alijs; C. de Episcopis & Clericis. l. si quenquam. Non pretio, sed precibus ordinetur Antistes. Vincentius lib.3 spec. moral. dicit; A Sancto Petro usque ad tempora Silvestri fuerunt 32. Papæ, qui per Martyrium ferè omnes transierunt. Unde post Sixtum diu vacavit Papatus, & nullus volebat assumere hoc onus, & propter paupertatem, & propter mortem. Sed hodie per munera, per Simonias ingrediuntur ad eum. Unde Dantes 19. inferni, clamat contra hos. O Simon mage, ejus miseri imitatores qui res divinas, quæ bonitatis debent esse sponsæ, vos rapaces auro & argento contaminatis. Quid dicam de Presbyteris curatis? Applica ad libitum. Quid de religionibus? Verè deficit calor illorum primorum Patrum circa pænitentias, circa austeritates. Hanc vitæ licentiam qua non clerici tantùm; sed & laici, per Italiam maximè in fames erant, alij etiam perstringunt. *Moralisationum author* c.122. *Miles*, inquit, *quidam,*

perrexit, ut vindemiam suam vindemiaret: Uxor autem ejus, putans ipsum diutius moraturum, amasium habuit, pro quo misit, ut citò adveniret, qui venit & cameram intravit, & cum ambo in strato essent, venit miles seu maritus ramo vineæ in oculo percussus, ostium percutit, & illa tremebunda aperuit, prius tamen amasium abscondit. Miles ergo intrans oculum doluit, & lectum, ut quiesceret, parare jussit. Tunc uxor timens ne amasium in camera latitantem videre posset, marito ait. Quid festinas ad lectum? Dic mihi, quid accidit. Illo verò referente, illa respondit. Dimitte me, inquit, Domine, ut sanum oculum arte medicinali confirmem, ne illo forsitan morbo alterum similiter amittas, quod ille sustinens os sui illa quasi pro medicina supra mariti oculum sanum apposuit, & manu amasio innuens ille recessit, quo facto dixit uxor mariti, secura sum, quod nullum malum oculo sano eveniet, jam lectum ascende & quiesce. Sphingis ænigma quod Oedipus noster sua moralisatione ita solvit. *Charissimi. Iste miles est Prælatus Ecclesiæ, qui habet sanctam Ecclesiam custo-*

custodire, & res sibi traditas regere. Uxor adulterata, est anima, quæ sæpius per peccatum Diabolo adhæret. Miles percutitur oculo, quoties Prælatus muneribus excæcatur, quia scriptum est Ecclesiast. 20. Munera excæcant oculos judicum: sic quod necesse habeat cameram bonæ vitæ intrare, & omnem avaritiam & cupiditatem à se excutere per pœnitentiam, tunc audacter debet ostium cordis sui percutere, tunc uxor, id est, anima aperiet, & gloriam Dei recipiet. Sed heu, sæpe per carnales affectiones & Mundi blanditias oculum sanum seu cordis, cum quo deberemus Deum contemplari, obfuscant per Mundum, vanitates, & carnis voluptates in tantum, quod periculum sui ipsius & subditorum non poterit advertere, & per pœnitentiam emendare. Studeat ergo unusquisque sic oculos mentis ad Deum dirigere, ut possit omne velamen peccati expellere.
Auth. Big. Sal. Serm. 44. de S. Bernhardino scribit, sanctum illum eo tempore Italiæ datum & natum, *quo illa multiplicibus peccatis prostrata jacebat, inter religiosos disciplina tepebat, quadam insatiabili cupiditate possessiones*

augebant, non devotionem, non pietatem, non charitatem. Fuisse plerosque sine obedientia, patientia, paupertate & castitate. In populo fuisse odium pertinax, usuram multiplicem, festorum violationem, perjurium, parentum dehonestationem, luxuriæ abominationem, crudelitatem, superbiam, gulam, invidiam, &c. *Barelet.* Serm. de Sanct. 21. Vnde, ò cives mei, quòd Italia facta est spelunca latronum ac vitiorum sentina? Verè ob opulentiam bonorum temporalium. Vnde quidam vulgaris super Italiam scribens dicit: Dulcis antiquarum Historiarum memoria me ad cantandum hos versus inducit, de Italia & Lombardia infeliciter degenere, Imbastardita dicitur, quia degeneravit à bonis moribus. Et Dantes VI. Purgatorij, ò Alberto Alemanno, &c. Vbi reprehendit Imperatorem, quòd non visitavit Italiam, & Romam reprehendit propter peccata sua. Sic *Barel.* Principibus & clericis exprobârunt 1. *contemtum decretorum* Ecclesiasticorum ex studio corradendi pecunias ortum. *Anth. Big. Sal.* Serm. quadrag. de primo præcepto, novem ponit, quibus Iudæi à Christianis distinguendi, & nonum quidem est, ne Iudæi procedant in publicum, tam masculi quàm fœminæ, sine habitu distincto, vel signo, quo discernantur à Christianis, ut habetur Ext. de Iudæis C. in nonnullis. Sed hoc decretum Ecclesiæ Catholicæ magnates recepta pecunia concesserunt ipsis Iudæis sine caputio in-

indistinctè inter Christianos conversari in damnationem animarum suarum. Vidi, procul dubio, in una litera Iudæorum fortè plura quàm viginti duorum, tam Ecclesiasticorum quàm secularium sigilla, dispensando cum ipsis ne habitum distinctum portent. Et in eadem litera insinuatur, quòd data pecunia hoc illis concessissent, & ita Ecclesiæ decretum illis pecunia vendiderunt, & illi emerunt sicut Iudas Christum pecunia vendidit; & Iudæi ipsum emerunt, & ex tunc omnes Christianorum oppressiones tanquam Christi passionem ab officialibus, quasi à Iuda pecunia comparant, & in tantum profecerunt, quòd Christi membra sunt sub flagello & illi in libertate. Hæc *Biga*. Et certè, nimiam Christianorum indulgentiam Iudæos ita interpretari, quotidiana probat experientia. Ipso, quo hæc scribimus, anno 1655. Iudæus Italus in Paschatis festo, palam jactavit, olim quidem Majores suos in duram ab Ægyptiis datos servitutem; aliam nunc recutitorum libertate restituta, & servitutis jugo excusso, esse faciem. 2. Omnibus verò *festorum profanationem*, *Id.* in 4 præcepto. *O salutis hominum amator, tu præcipis tibi colere festa, & ecce sub tuo nomine existentes desiderant venire festa, non ut tibi devota mente serviant, sed quidam ut inebrientur, quidam ut chorizent, quidam ut se aspectibus hominum præsentent &c. Ideo tu Domine, Rex omnipotens es sicut qui ra-*

cemos colligit, quòd una quæq; anima viam suam corrupit Nam quando se deberent ad devotionem & humiliationem præparare, tunc superbiunt, potissimè in Ecclesia se ostentant, & illi nō tibi, sed tuo inimico Diabolo sese conformare student. Quin, nec illud Niderus inficiatur, *adeò superiorum seculorum statum luctuosum fuisse & squalidum, ut nec Prælati nec subditi de toties expetita reformatione seriò cogitârint.* Locus Formic. l. 1, c. 7. ita habet: *Domum similiter sive civitatem construunt formicæ, quam distinctam habitaculis diversis plantarum tegunt particulis, in quibus triplex innuitur mirabilis istorum animalium operatio. Nam civitatem quandam sibi construunt, habitacula varia sibi ædificant, & talia tegunt contra æstum & pluviam diversis plantarum particulis. In quibus operationibus nullum suæ speciei habent magistrum, sed Deum tantummodò, cujus instinctu in talium constructione similiter reguntur & reformatione. Typum autem in his gerunt propriè eorum, qui ad generalia pertinent Concilia; Prælatorum præcipuè. Hi enim Civitatem militantis Ecclesiæ suis in ædificijs,*

cijs, quantum sua interest, ubi ruinam patitur, deberent reformare, homines diversis modis Deo ibi obsequendi construere, ut ab æstu vitiorum, à gelicidijs inimicorum defendere & protegere, & sese verbo & exemplo habere taliter, ut in his à Sp. divino mererentur principaliter dirigi. Ita enim hanc civitatem vidit Johannes descendentem de cœlo, & in eodem oriri primitus. Vidi, inquit, Civitatem sanctam, Hierusalem novam, descedentem de cœlo, à Deo paratam, sicut Sponsam ornatam viro suo. Sed heu hodie res versa est in contrarium. Nam potior ejus portio status Ecclesiastici magna in parte deprimitur avaritia, superbia, & utinam non incontinentia! De quibus Psalmus lamentatur, dicens: Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum. In parte verò secularium adeò ubique corrupta sunt pacis fœdera, ut in eis illud Prophetæ locum habeat: Effusa est contentio super Principes, & errare eos fecit in invio, & non in via. Et iterum dicitur de civium malitia atque imprecatur: Præcipita Domine, divide linguas

guas eorum, quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in civitate die ac nocte. Circumdabit eam super muros ejus iniquitas, & labor in medio ejus & injustitia, & non defecit de plateis usura & dolus. De religionis autem vinea, cujus radices Dei plantavit Filius, qui olim implevit terram, operuit montes umbra ejus, & arbusta ejus cedros Dei, quæ insuper extendit palmites suos usque ad mare, & usq; ad flumen propagines ejus, sicut alibi dicitur: Destruxisti maceriam ejus, & vindemiant eam omnes, qui prætergradiuntur viam, exterminavit eam aper de silva, & fera agrestis depastus est eam. Piger. *Tempore, quo Constantiense generale celebrabatur Concilium, quantum memoror, de Reformatione multum tractabatur in eodem singulorum statuum citatorum Ecclesiæ, & lætatus sum pro tunc in his, quæ dicta sunt mihi, quod in corde dixi: In domum Domini lætantes ibimus, in cujus atrijs vix stabant pedes nostri præ deformationis malitia. Sed frustrati sumus à desiderio nostro, advenit postmodum hoc præsens Basileense consilium, quod penè in omnium*

mium bullarum suarum præferebat exordio reformationis titulum. Rogavimus in eodem Concilio per ante dictum Psalmum, quotidie divinam clementiam, ut id fieret. Instituebatur ob id disputatio specialiter dicta Reformatorii, & usque ad sex annos jam crebrò disputatum est de diversorum statuum reparationibus, nec in effectu usq; hodie vidimus. Scire ergò multum cupio; utrum ne de totali reformatione Ecclesiæ in membris & capite aliquam spem habere possimus, ut jucundè cum Propheta canere possemus: In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati, & similia. Theol. *Non omnino frustra celebrata fuerunt duo illa Concilia. Nam in primo inveteratissimum Schisma Ecclesiæ, quod antea nullis modis mederi poterat, divino regimine ablatum est. In altero verò crudelissima Hussitarum persecutio & eorum infidelitas, qui nullis tractatibus nec fidelium gladio, sub quo infiniti corruerunt ab utrisque partibus, auferri potuerunt, per Christi gratiam penè totaliter aversa fuit: mitigata ad minus atque sopita plurimum. De*

lo-

totali autem quam depingi, reformationi Ecclesiæ ad præsens, & ad propinqua futura tempora, nullam penitus spem habeo, tum quòd voluntas bona in subditis deficit, tum quòd illud Prælatorum malitia impedit, tum etiam quòd illud electis Dei, qui persecutionibus malorum probantur, non expedit. Exemplum de hoc accipe in arte architectonica. Da enim Architectum quantumcunque artificiosum, si is materia congrua, lignis vel lapidibus caruerit, nunquam domum construet. Da rursus ligna vel lapides in materia etiam nobili, si domificatorem non habueris, domo idonea & habitationibus semper carebis. Si præterea domus aliqua amicis tuis accommoda non fuerit, & ædificata fortaßis eis obfuerit, cur eam prudens construeres? Hæc tria cùm reformationi totali Ecclesiæ applicabis, quàm impoßibilis sit, ipse mentalibus oculis videbis. Verùm de reformatione particulari in ciuitate Ecclesiæ poßibili in multis statibus & religionibus, non dubito: quin easdem dietim introduci videmus in quibusdam Monasterijs & conventibus, sed quanta cum difficul-

cultate novit altissimus. Si enim, præsente Concilio generali in Basilea, in sex annis nec unum (NB.) quidem fragilis sexus Monasterium, cooperante etiam seculari consulatu, reformari potuit, propter quorundam inhabitantium vitam malevolam, & eisdem astantem sævitiam, quid, quæso, sperandum est de virorum nobilium vel literatorum Collegijs, qui ruinas & deformitates suas in spiritualibus, exeuntes domibus, non modò armis chalybeis, sed etiam, quæ deteriora sunt, verbalibus & ligneis possunt defendere? Piger. *Puto, Prælatorum malitia totius mali causa est in subditis. Si enim pastores boni essent, ad morum eorundem vestigia greges venirent.* Theol. *Partim hic, sed non in toto erras. In grege enim pecudum fortaßis ita est, ut asseris, sed in cœtu hominum, qui libertate potiuntur animi non sic. Verum tamen est, ut B. Gregorij docet authoritas, quòd nemo amplius nocet in Dei Ecclesia, quam is, qui in dignitate vel gradu ordinis constitutus, suis facinoribus plebem scandalisat. Et dum Pastor per abrupta graditur, grex in præcipitium labitur.*

tur, dúmque caput ægrotat, cætera membra languent. Non sic autem in subditis imitationis facilitas à virtutibus Prælatorum capitur: sicut vice versa ab eisdem exemplum vitij discitur; quod peccare facilius est multitudini, quàm benefacere. Virtus (inquit Philosophus) est circa difficile, in non habituatis & insuetis intellige. Et lata est & spatiosa via, quæ ducit ad perditionem: orta verò & stricta est quæ ducit ad vitam. Primam enim viam ingrediuntur plurimi, secundam verò pauci, quod regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Malam igitur consequentiam formas in morali materia. Nam quod boni Pastoris vestigia sequi sæpe abnuat populus, (non tã ipsam plebẽ intelligit, quàm inferiores in Papatu ordines, animalia ἀχάλινα κ̀ ἄλογα) *multis exemplis nostro factis tempore docere possumus. Vidimus namque Legatum Sedis Apostolicæ Cardinalem virum omni sanctitate præditum Dominum Nicolaum sanctæ Crucis, Legatum in Francia, professione & vita semper Carthusiensis ordinis Prælatum; certè quasi ordinarium*

de

de jure communi super terras Legationis suæ officio commissas: Hic quantum profecerit in eisdem partibus, sciunt multi. In reformationis enim materia nonnulli sibi resistentes in faciem appellârunt: multi alij minis, alij verò callidis modis alijs sibi non obediverunt. Habuimus in Germania in annis plurimis à summo Pontifice transmissum Legatum, Dominum Julianum Cardinalem, cujus vitæ sanctissimæ virtutibus, quantum in me noscit humana fragilitas, nullum unquam Prælatum parem illi agnovisse puto, qui in reformationis sancto opere, quantum præpeditus, & quotiens persecutionem passus sit, omnes vidimus, qui virum istum agnovimus. Non minus enim curabantur ejus exempla & præcepta à multis, quàm si ea tulisset semi infamis Prælatus alius. Scio præterea unum ordinem inter Mendicantium ordines, cui Deus jam ante decennium providit de duobus benis & benevolentissimis capitibus, quorum unus Generalis Magister est totius sui ordinis, alius verò Provinciam unam grandem habet regere. Uterque Zelator est Refor-

mationis tam validus, ut se pro ea, pro suo grege non semel ad resistentes sibi seculares mortis periculo subjecerit: & tamen uterque modicum profecit in suis subditis: paucos enim conventus reformare potuerunt. Piger. *Ego in talium Prælatorum officio magnum esse periculum puto, & scire vellem, an in statu salutis cum tanta rebellione subditorum esse valerent?* Theol. *Non solum istos, sed Pastores omnes alios in periculo constitutos esse, docet B. Augustinus in regula, ubi dicitur ad subditos: Prælati seu præpositi misereminì, qui inter vos quantò in loco majori, tantò in periculo majori versatur. In statu tamen perditionis non sunt, si, quantum in se est, instant opportunè (juxta doctrinam Apostoli) arguunt, obsecrant, & increpant in patientia omni & doctrina: ne autem pejor fiat scissura, dissimulare oportet nonnunquam subditorum vitia minora, ubi ex correptione probabiliter multa advenirent majora.* Sed plus satis de deplorato Ecclesiæ Romanæ statu. Colophonem imponemus prolixæ de Theologis superioris seculi Practicis tractationi, ubi uno tantùm & altero demonstraverimus specimine, *vel saniores in quibus-*

dam

dam eos fuisse, quam nostræ ætatis, Theologos Pontificios; vel ingenuè multa dedisse, à quibus hodierna adversariorum praxis longißimè recedit. Quis non videt, hodierno etiam die in omnibus Pontificiorum templis, S. S. Trinitatem ἀόρατον καὶ ἀκατάληπτον effigie exprimi humana: At fieri illud nec posse nec debere observavit *Auth. Big. Sal.* Serm. VI. in præcept. 1. *Non adorabis eas, neque coles, sicut faciebant Gentiles, qui putabant aliquid divini in imagine esse, aut Deum effigiari posse. Et ideo malè faciunt, qui S. Trinitatem depingunt cum tribus faciebus, vel unum veteranum cum prolixa barba, Personam Patris repræsentantem. Alium juvenem Personam filij. Tertiam columbam, Personam Sp. S. repræsentantem, cùm tamen non est vera repræsentatio divinitatis, sed quoddam Idolum vel monstrum. Peccant igitur, qui illam faciunt aut procurant fieri, quod simplices imaginantur talem fore S. Trinitatem.* Qui nostro tempore Italiam peragrârunt, testes esse possunt, verbi præconio nullum ferè ibi locum dari: Quadragesimales institui conciones jejunas & frigidas, toto deinceps tempore in Missa plebem miseram acquiescere. Tam impunè Missam negligere non licere, quàm rarò concionem audire cõcedatur. Olim tamẽ majori rigore in contemptum concionum animadversum esse puto.

Sanè *Auth.Big.Sal.* Serm.Quadrag.14. ad quæstionem: *Utrum Missam vel prædicationem homo debeat audire in festo, si audire utrumque non potest?* Respondet, *quòd ignorantes necessaria ad salutem magis debent audire prædicationem, quàm Missam.* Qui Sacram Scripturam aliter exponit, quàm Spiritus Sanctus efflagitat, Deum blasphemat; scribit *idem* in 2. Præcept. An, qui ex traditionum lacunis expositiones suas hauriunt, Spiritui Sancto respondeant, totus novit & ingemiscit orbis. Ipsa hic consuli debet Scriptura, optimus sui Interpres, & cujus solius ductu ad cognitionis lucem pervenimus, quod *idem author.Serm.*21.de Epiph. exemplo Magorum probat. *Magi Christum quæsiverunt diligenter: Perscrutabantur enim sagaciter scripturas Prophetæ Balaam, & ibi invenerunt, quod in ortu Christi stella oriri debebat, Num.24. Orietur stella ex Jacob, & virga consurget de Israël. Sic nos debemus Christum quærere ex Scripturarum testimonio, ad quod destinabat ipse Christus Dominus Judæos Joh.5. Scrutamini, inquit, Scripturas, in quibus putatis habere vitam, illæ testimonium perhibent de me. Dicit enim Dionys. lib. de cælest. Hierarch. quòd non possibile est nobis lucere divinum radium*

radium, nisi sub velamine Scripturarum; & *Thom. I. P. q. 1. art. IX. dicit: Major cognitio non habetur de Deo in hac vita, nisi in scriptura.* Et plenius *serm.* 31. de S. Gregorio. *Sapientia Dei sive Scriptura Sacra commendatur propter tria, Primò, propter ipsius magnam necessitatem.* II. Propter ejus nimiam utilitatem. III. Propter ipsius indubiam veritatem. *Primò siquidem sapientia Dei est commendabilis propter magnam ipsius necessitatem. Tanta est necessitas sapientiæ divinæ, quòd sine ea nullus salvari poterit, cum qua nullus perire, juxta illud Sapient. 7. Quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei: quod sic possumus probare. Nam perfectio hominis in hac vita consistit in imitatione Dei, quæ est per dilectionem: sed dilectio præsupponit cognitionem, cognitio autem vera de Deo, est per Dei sapientiam sive sacram Scripturam. Quòd autem imitatio DEI, ad quam quilibet pro posse debet tendere, fit per dilectionem, probat Apostolus Eph. 5. dicens: Imitatores Dei estote, sicut filij charissimi. Et quasi modum dans hujus, protinus subdit: Ambulate in*

dilectione, sicut & Christus dilexit nos. Similiter, cùm Christus Apostolis dixisset, Matth.5. Estote perfecti, sicut & Pater vester perfectus est, subjunxit exemplum de dilectione non solùm amicorum, sed etiam inimicorum exemplo Dei, dicens: Qui solem suum oriri facit super bonos & malos, materialiter & spiritualiter. Quod autem dilectio ex cognitione generatur, patet, quod objectum voluntatis, cujus est dilectio, est bonum cognitum. Unde Augustinus: Invisa, inquit, diligere possumus, incognita nequaquam. Et sic patet, quòd cognitio Dei vera est per divinam sapientiam, quæ innotescit per Scripturam sacram. O igitur vani homines! O vivi (NB) & corporales Dæmones! ô Dei odibiles! quare non audiunt verbum divinum, in quo est salus animarum? Quare se non conformant sensui Scripturæ sacræ, in quo est Spiritus Dei? Quare non diligunt eum, cujus in Scriptura sacra tantam dilectionem audiunt ad homines, Joh.3. Sic dilexit mundum &c. Secundò sacra Scriptura, seu sapientia divina, commendatur propter ejus utilitatem. *Nihil*

hil profectò utilius Dei sapientia (quæ exprimitur per verbum divinum) esse poterit, quo conservamur & beatificamur, juxta illud Esa. 1. Nisi Dominus reliquisset semen suum, sicut Sodoma essemus. Bene equidem B. Gregorius adverterat sapientiæ divinæ utilitatem, qui in Moralibus sic dicebat: Sacra, inquit, Scriptura omnes scientias, locutionis suæ more, transcendit, quòd in uno eodémque sermone dum narrat gestum, prodit mysterium, & sicut sapientes mysteriis exercet, sic superficie simplices refovet. Habet enim in publico, ut parvulos nutriat & servet, & in secreto, unde mentes sublimium admiratione suspendat. Omnia igitur ad salutem necessaria & utilia inveniuntur in sacra Scriptura, quæ edita est per Dei sapientiã. Hinc Chrysost. super Matth. ait: In Scripturis enim sacris ignorans invenit, quod discat, contumax quod timeat: laborans præmia: pusillanimis mediocres justitiæ cibos, qui etsi pinguem non faciunt animam, mori tamen non permittunt. Qui autem magni animi est, invenit ibi spirituales escas, qui ducant eum propè ad Angelo-

rum naturam. Qui verò est à Diabolo vulneratus, invenit ibi cibos medicinales per pœnitentiam. Unde Empedocles ajt: In tota rerum varietate tria sunt, scil. affluentiæ contemtus, futurus felicitatis appetitus, & mentis illustratio, quorum primo nihil honestius, secundo nihil felicius, tertio ad amborum adeptionem nihil efficacius. Hæc autem mentis illustratio fit per divinam sapientiam. Unde igitur, Christiane, credis peccatorum tuorum remissionem? Nonne, quia audivisti, quòd Deus benignus, pius & misericors est? quòd non vult mortem æternam peccatorum, sed ut convertatur per pœnitentiam & vivat. Unde speras æternam felicitatem? Nonne, quòd audisti, quòd Deus est verus in promissione, longus in remunerando? qui ex sua bonitate promisit æternam felicitatem, qui secundùm suam sapientiam se ei conformant. Quid igitur hac Dei sapientia utilius? quid suavius vel esse, vel dici possit? quam secundùm carnem viventes contemnunt. Tertio divina sapientia commendatur propter ejus indubiã veritatem. *Nam aliæ doctrinæ, quæ per ratio-*

ionem humanam habentur, licèt multas veritates de Deo, & de creaturis contineant, tamen omnes habent admixtos errores. Juxta illud Psal. Omnis homo mendax. ex eo quòd rationi naturali innituntur, quæ deficit sæpe, præcipuè circa divina. Unde omnes Philosophi inveniuntur errâsse circa ea, quæ sunt credenda necessarió. Nam inter Philosophos verius sensit Aristoteles, tamen erravit in hoc, quod dixit, Mundum semper fuisse, & non incepisse. Veritas igitur divinæ sapientiæ excellit alias scientias humanas, quæ licèt vera multa, ut dictum est, doceant, non tamen superno lumine animam ex se irradiare possunt, sed solùm sapientia divina hoc efficit, juxta illud Matth. 23. Unus est Magister vester, qui in cœlis est, qui scil. movet intellectum &c.

[K] Quidlibet enim aliud, quam Sacra tractare clerus maluit. Vnde tot ubique ea de re threnodiæ. Vide *Dissert. de neceß. Refor.* p. 55. *& hanc nostram Hist.* hinc inde. Duo alia subjungere placet, scopo nostro apprimè congrua, testimonia, alterum *Nideri, Gregorii Simleri* alterum. Ita ille *Formic.* lib. 1. c. 8. *Piger*: Quale dabitur judicium de quibusdam religiosis, non solum dico de possessionatis, sed etiam

de Mendicantibus, qui ab Ecclesia pro animabus curandis dati sunt pastoribus Ecclesiæ in subsidium, & tamen in nulla universitate in Medicinis graduati, nec aliunde apprimè vel profundè in eadem arte eruditi, passim se de medicandis vel sublevandis ęgrotis corporibus intromittunt, viam contemplationis, qua in cesserunt patres eorum, relinquentes. Quid proinde nostris in Alemania Episcopis, qui tanto onere castrorum, civitatum, militum, & similium temporalium negotiorum tumultibus sunt circumdati, ut vel respirare vix valeant, & qui omnino spiritum contemplationis & curam animæ in se & proximis videntur penitus extinguere? Quid demum de Plebanis & Prælatis inferioribus, qui ad viam vitæ contemplativæ, etiamsi aliàs sine gravibus peccatis sunt, rarissimè vel nunquam se ad inhabitandum ponunt: quin imo alijs, talia facere prohibent? *Theol.* Primi certè, qui ita sunt obnoxij (transeo enim nunc de duobus reliquis) multiplici peccati catena se constringunt, quod toxicum mortis multis propinant. Irregularitatis pœna se se sic illaqueant; anathematis Ecclesiastici causam non vitant; patrum suorum intentionem sanctam cassant, & multos discretos viros activè scandalizant. Ecce quinque mala. Primum inquam, toxicum mortis multis sæpe propinatur, qui dum putant morbo præbere antidotum, inexperti explicant fortassis id, quod pro tunc est venenum. Movet idcirco Mundi Philosophus in 5. *Ethic.* quæstionem: An facilius sit esse justum judicem, vel bonum Medicum? Hanc quæstionem

cùm

cùm me præsente in universitate quoq; , Coloniensi Quodlibetarius determinandam tradidisset, cuidam magno in medicis Doctori, iste difficultates multas medicinæ artis adduxit, & inter cætera mihi memorabile verbum protulit, quomodo Arnoldus de Nova villa, olim Medicorum summus, calculâsset, in humano genere esse posse infirmitates distinctas 2124. in qua varietate graduum id, quod unam infirmitatem fugat, aliam illico adducit & juvat, & quod unum morbum curat, alium intoxicat. Quo audito alienis hominibus medicinalia individualia suadere horrui, inexpertis Medicis minus credidi, si experti aliquando errant eos clementius judicavi. Secundum malum est, irregularitatis consequuntur periculum. Quis enim in tanta varietate morborum nihil omittit de contingentibus in noscendo morbum specificè & gradualiter, in videndo tempus idoneum in cælo subtiliter, & in eligendo medicinæ necessaria artificialiter. Scio, quendam magnum in Medicina cujusdam universitatis graduatum Doctorem, qui Regis Romanorum & aliorum illustrium virorum Physicus sæpe laudabiliter extitit. Hic publicè in serio audebat dicere, scire satis probabiliter, multos se inter fecisse ægrotos. A quo dum sciscitaretur causa, respondit, quando inexpertus practicæ de Scholis & libris primum veni, nescius de multis, quæ me postmodum docuit experientia, vidi quomodo plures neci traditi ex ignorantia, quos ex intentione curare quærebam. causam etiam anathematis isti nequaquam vitant, quòd ea intentione pia mater Ecclesia audire Le-

ges

ges & Physicam sublatæ excommunicationis sen-
tentia inhibuit ad curam animarum obligatis,reli-
giosis & clericis, ut tales sanctis studiis & Sacræ
scripturæ libris, quorum est imperscrutabilis, se-
cundum Augustinum, profunditas, animum dare
indefessum,ut in Rubric. Ne cleri vel Monachi ne-
gotiis secularibus se immisceant. Et ibidem,super
specula prohibitionis superfatæ notam & causam
assignat Honorius in hæc verba: Theologiæ, in-
quit,studium cupimus ampliari,ut dilatato sui ten-
torij loco funiculos suos faciat longiores, ut sic fi-
des Catholica tutior fiat,sed circumcincta muro in-
expugnabili bellatorum, quibus resistere valeat
ascendentibus ex adverso. Prædicti insuper reli-
giosi, & etiamsi seculares sint clerici,Patrum suo-
rum intentionem, quantum in eis est, frustrant
quorum principalis erat intentio & studium præ-
cipuum animabus providere, non mederi moritu-
ris corporibus,quibus plerunque plus ad spiritum
cooperatur ægrotatio, quàm medicinalis valeat
operatio. Cùm, inquit Apostolus, infirmor, tunc
fortior sum. Et quidam sanctorum Patrum respon-
dit infirmo fratri,curam poscenti, corporis. Rem,
ajt,virtutibus tuis necessariam amoveri desideras.
Meritò autem hi, de quibus loquimur deridentur
à bonis & prudentibus, quos ideo scandalisant,
quia ad tractandum cœlestia, & ad curandum spi-
ritus nobilissimos vident, ex avaritia vel ex huma-
na laude urinas amplecti hominum,& eorum ster-
cora. Vnde tales abusus videntes hi religiosi boni,
quos zelus domus Domini comedit,religionem

talium

talium lamentantur, velut destructam Hierusalem olim Propheta Hieremias, Thren. 4. Quomodo, inquit, obscuratum est aurum? Mutatus est color optimus? Dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum. Qui vescebantur voluptuose, interierunt in viis, qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. Hæc *Niderus*. Audire nunc libeat *Georg. Simler.* Comment. in Ioh. Reuchlin. Sergium Act. 2. p. 58. ad verba;

—— ne ad stimulum (inquientis) calcitres.
Paulus Menandrum, Aratum, Epimenidem invocat
Testes Prophetas atque veri conscios:

Aratum. Illic Biblia nostra in plerisque textibus mendum habent. Nam, pro Arato, Oratius est suppositus: Sed in corrigendis vaticiniis libris nemo manum apponit. Nolumus intelligere coram Principe vero, quem indies Solœcismis & Barbarismis adoramus, contra id quod scriptum legitur in decretis Canonicis: Cum voluntaria ignorantia omnibus sit noxia, sacerdotibus est periculosa. Item: Quia repulisti scientiam, dicit Dominus, repellam te ne sacerdotio fungaris. Augustinus tamen benedictionem plus quàm bonadictionem à sacerdotibus sta-

flagitat: Sed huc res devenit, ut frequentius in manu sacerdotum malorum talos aspicias (unde nonnemo Epistola familiari *sup sec.* scripta, presbyteros dictos esse voluit, quasi Brettspieler) *quàm scalprum librarium, & fortè gladium vel sicam: Contra illud: Clerici arma portantes excommunicentur. Item, in sacris Patrum constitutionibus hæc insunt verba: Clerici qui arma volentes sumpserint, reperti, amisso ordinis sui gradu, in Monasterium perenniter trudantur. Verùm, quoniam scriptum legunt, satis esse scribi existimant, non fieri oportere. Unde Poëta Satyricus*

Esse aliquos manes & subterranea regna,
Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur.

Diceret fortè quispiam: Quid tua interest, talos ne an tesseras versemus? En accipe. Annon interest eorum, qui in navi currúque vehuntur, aurigam quàm peritissimum conducere? Ne salus omnium periclitetur, etiam dices, si tu de numero sis vehentium. Sacerdotes autem (quemadmodum 95. distinctione legitur) positi sunt regere Dei Ecclе-

clesiam, aurigarium itaque geris. Huc facit illud Samuelis Martin. collat. Huss. & Luth. p. 44. An. 1510. *de sententia & petitione congregationis Monachorum suorum mittitur Lutherus Romam causâ cujusdam litis componendæ, ubi Pontificem ipsum Romanum, Julium, offendit, & aulæ Romanæ mores observavit. Inprimis verò (quod sæpe commemorare solitus ipse fuit) negligentiam sacrificorum magna cum indignatione & dolore animi cognoscit. Celebrans enim Missam, antequam ipse unam absolveret, septem videt fieri & finiri, dicentibus Sacrificis, Passa, passa, id est, propera, perge & remitte matri filium, nec diu detine. Audit quoque alios referentes verba Sacrificorum nonnullorum, quomodo panem & calicem consecrare soleant, videlicet: Panis es, & panis manebis: Vinum es, & vinum manebis.*

[m] Quæ quidem filia est infelicissimæ matris Simoniæ. Cùm enim aditus ad honores publicos nemini patuerit, nisi aureis pugnanti & expugnanti telis, (usq; adeò, ut Pontificum etiam electio contra Simoniacos fuerit munienda à Iul. II. ℬ3oℬ. 1505 S. 9.) factum inde, ut in muneribus ære redemtis, compendia iterum ditescendi quærerentur. Nemo Cameræ Apostolicæ quicquam obtulit, quod cum fœ-

fœnore à Sparta sibi commissa non iterum expectaret. Hoc morbo non modò Pontifices laborarunt: sed & Simoniaci Cardinales & Archiepiscopi. *A.Ch.1503. Albertus Episcopus Magdeburgensis consensu Pontificis eligitur Archiepiscopus Moguntinus & Elector, hac de causa, quod quadriennij spatio bini Archiepiscopi defuncti essent, quorum singuli pallium triginta millibus aureorum redemerant. Cùm igitur Episcopatus aliâs ære alieno obrutus esset, & pecuniam pallij exponere non posset, Albertus suis sumtibus hoc effecit, sumta pecunia mutua à Fuggeris,* quam Indulgentiis recuperare cogitabat, *atque ita post occasionem præbuit Luthero de Indulgentijs disputandi.* Chytræ. calv. an. Chr. 1514. Bzov. an. Ch. 1502. S. 16. *Hoc ipso anno, die 20. Julij in humanis esse desiit Johannes Baptista Fererius, Cardinalis Mutinensis, Alexandri Papæ Datarius,* qui avaritia, rapacitate, immanitate, aliisque sordibus magnam conflavit Pontifici invidiam. Nullum beneficium, nullum officium, nulla dignitas Ecclesiastica fuerat, quam homo sacrilegus non venderet. *Si quis pauperum ad eum venisset, omnes crudeli sævitia excipiebat, & ad domum orci remittebat. Reliquit*

ex sacrilegio LX. M. aureorum nummum, X. M. scutatorum. Vasa aurea & argentea X. M. Ducatorum aureorum, præter supellectilem variam pretiosam. Plurimi Poëtæ in eum luserunt.

I.

Fererii hic tumulus, quem sic sitis ussit habendi,
Vt tumulus dici possit avaritiæ.
Tantaleam patitur pœnam, &, quia parva fuisset,
Impendent avidis aurea poma labris.

II.

Hic Baptista tegor, Medici quem culpa peremit,
Naturam fuerat nescius ille meam.
Herbarum mihi pro succis dare debuit aurum,
Sola erat apta meis hæc medicina malis!

III.

Injice, qui transis terram; rursus injice, ne, quæ
Hic tegitur pestis proferat atra caput.

IV.

Non jacet hic corpus, petiit nec spiritus astra;
Rex superum in stygios mersit utrumque lacus.

V.

Ne dicas sit terra levis, ne spargite flores,
Nummos, si requiem mî dare vis, numera.

Alia plura Brucardus *habet* in notis diariis, *qui etiam recenset fabulam quandam, post funera Fererij in quodam recitatam. Fererium videlicet ad ostium cœlorum ac-*

cessisse, fores pulsâsse, Petrum ab illo mille aureos primum, deinde quingentos, postea gradatim detrahendo, unum nummum pro ingressu postulâsse: & tandem illum paupertatem, ac inopiam excusantem aditu prohibuisse: Illumq; ipsum postea portas inferi pulsâsse, ostiarium nummos quoque postulâsse, nec habentem quod numeraret in profundum barathri demersisse. Sed injuriam facit Alexandro VI. quasi Cardinalis sui nomine infamiam sustinuisset. Ipsiusmet virtuti elogia ista debentur, ceu diximus sup. p. 539. Hi viderint, quâ fronte & mente illud Apostoli sibi sumant: *οὐ γάρ ἐσμεν, ὡς οἱ πολλοί, καπηλεύοντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, ἀλλ' ὡς ἐξ εἰλικρινείας, ἀλλ' ὡς ἐκ Θεοῦ*: 2. Cor. 2. v. 17. Nonne enim caupones, institores, circumforanei illi fuerint, qui, ut nihil gratis acceperunt; sic nihil gratis conferunt? *Nō licet* (sic de seculi sui infelicitate loquitur *Erasmus* in Adag. Chil. 1. parœm. 12.) *fieri Christianum nisi numeres: Non comprobant matrimonium, nisi numeres: Non audiunt pœnitentium commissa, nisi sperent præmium: Sacrificant conducti, non psallunt gratis, non orant gratis. Non impertiunt Christi corpus, nisi numeres. Quin vendunt sepulturas, idque in*

in alieno solo. Non consecrant saxum aut calicem, nisi data mercede. Aliquid dixit Erasmus, testis auritus & oculatus, quę domestico mox *Georgij Hochij* illustrabimus exemplo: sed plura esse Curiæ Romanæ exenterandi marsupia compendia, postea videbimus. Nunc, quàm justè Erasmus, pretio omnia extare, fuerit questus, dispiciendum nobis erit. *Non licet*, inquit *fieri Christianum.* De baptismo loquitur. Dubitas? Sacristæ etiam pro *oblatione aquæ* assignabatur merces, exigua quidem, sed mysterio tanto indigna. *Idem* (verba sunt *Statutorum Eccles. Thuricens.*) *pro apportatione aquæ ad baptismum unius pueri, vel plurium puerorum, qui una vice simul baptizantur, non recipit plus quàm unum denarium: Duos verò, si rogatus eandem calefecerit tempore hyemali. Sed pro apportatione aquæ ad baptismum Paschæ & Pentecostes nihil recipit aliqua ratione.* Quid dicam de *campanarum baptismo*, de quo Maximilianus, cæterique Germaniæ principes, tanquam pecuniæ aucupio pridem sunt conquesti. Et ut diutius compendio hoc uti possent, varias excogitârunt fraudes & rationes, quibus miseræ plebi persuaderent. *Huc pertinent ludibria* (scribit *Ioh. VVier.* de Præstig. Dęmon. lib. 1, c. 8.) *quibus nostros homines etiam adegit, ut nisi sacro Baptismo regeneratio-*

nis lavacro ad Christi solummodò membra pertinente, & exorcismis tantum, ubi è sua sede deturbandus est dæmon, ab illis qui ejus pellendi singulare donum habent applicandis, campanæ & tintinnabula expientur, sanctificentúrque, sponsoribus & testibus in sacrilegam uberioris auri expilationem undique convocatis, res illas inanimatas mortuasque è turribus à Diabolo ablatum iri, simplicibus persuasum sit. Quinimò foveæ & stagna ostenduntur, quæ etiam vidi, si dignus sum, quo ejusmodi non baptizatas consecratásq; campanas à Dæmone ex turribus proximis invectas esse, asseveranter dicunt: audiríque earum sonum nocturna hora duodecima in Nativitatis Christi solennibus, vel etiam singulis quatuor anni temporibus, quæ vocant: & eum commori, qui audierit. Sic fit, ut à sono caveant imprudentes, nec inveniatur qui audierit: & si aliquem audire contingeret, is procul dubio à Dæmone ob impietatem illuderetur: Interim tamen hisce religionis nostræ præstigijs illi detinentur. Nec ita pridem eo loci propter Abbatiam Knechtestein ductus sum

sum, ubi firmiter adhuc credi hoc sacrilegium, coràm audivi: Monstratur fovea, turrísque ostenditur. Propterea per quàm prudenter & piè Cæsar Maximilianus inter gravamina sedis Romanæ à Germanis non toleranda, campanarum consecrationem recensuit. II. *Non comprobant matrimonium nisi numeres.* Quàm sumtuosæ sint causæ matrimoniales, & ipsa etiam copulatio, Pontificiorum verbis alibi monuimus. Vide sup. p. 816. 817. Anal. P. 1. pag. 58. III. *Non audiunt pœnitentium commissa, nisi sperent præmium.* Pœnitentium causæ jacent, nisi auro & argento erigantur. At his accedentibus Peruvianis granis, nullus tam desperatus morbus, cui à Sacerdote Medicina non sit parata. Nota est 1. *taxa pœnitentiaria*, quæ gravissima scelera numinis expiat, maximo cum candidiorum Pontificiorum scandalo. Vide ὁδηγὸν nostrum P. III. pag. 441. Exemplar hujus taxæ tum alibi occurrit, tum verò clarissimè in Loc. Commun. *VVolphg. Musc.* pag. 198. & deinc. *Franciscus* etiam *Hottomannus*, Brutum Sixti V. fulmen, refutaturus, appendicis loco Taxam pœnitentiariam subjicere voluit. Id ipsum enim a Ch. 1585. his verbis ad *Abrahamum Musculum*, VVolphgangi filium, perscripsit. *Serenissimus Rex Navarrenus rogavit me, ut excommunicationi Papæ nuper contra se & Illust. Principem Condæum responderem. Confectum negotium*

est. Sed quoniam in enumerandis Paparum Sacrilegiis mentionem facio Taxæ Pœnitentiariæ, statui eam sub finem mei libelli subjicere. Itaque peto abs Te, quæsóque, nisi molestum est, ut exemplar illud ejus Taxæ, quod Lucernæ quondam impressum fuerat, & tibi ante aliquot annos dono dedi, nostro Typographo commodes, vel mihi potius, ut & Magistratui nostro exhibeam. An ipsum illud sit, quo D. Musculus parens, fuit usus, nihil habeo dicere. Constat saltem, hujus impiæ nundinationis Catalogos obvios ubique fuisse, & aliquot locis excusos. 2. *Indulgentiariorum* scruta aliquoties jam excussimus, novo tamen & plane meretricio schemate Seculo hoc prorupit, ut suo loco diximus. Hoc tantùm de Tecelio, ἐν παρόδῳ, jam observetur, Monachum effrenem, *Magdeburgi opulentam fœminam peccata sua confitentem, absólvere noluisse, nisi centum prius illa florenos numeraret: super qua re cùm illa ordinarium suum Confessionarium, Monachum Franciscanum consuluisset, respondit ille: Deum peccata gratis remittere, non institorum more vendere. Rogavisse autem fœminam, Tecelio ut ne aperiret, à quo hoc responsi tulisset. Et sanè cùm causam*

non

non numeratæ pecuniæ Tecelius audivisset, aut igni, aut exilio adjudicandũ hujus consilij authorem dixit. Sculi. Dec. 1. p. 16. *Et tamẽ harum rapinarum particeps fuit Albertus Moguntinus Archiepiscopus*, ut pallij sui pretium recuperaret: *Id* pag. 16. Quid Coloniæ Agrippinæ de Indulgentijs Franciscano cuidam exciderit, ex Bebelio mutuabimus: *Indulgentiæ Apostolicæ, & quidem plenariæ (ut ita loquar) ita passim nostris temporibus venduntur (ut loqui mos est rusticis) quòd jam penè vilescat clavium, & literarum Apostolicarum auctoritas. Quamobrem nuper quidam Frater Ordinis Minorum Coloniæ Agrippinæ ita in illas invectus est: O vos fideles animæ, ego vobis aliquid novi dicam, & rem mirandam, hanc videlicet, quòd si nunc aliquis vestrum habuerit medium aureum, habebit & regnum cœlorum per has Indulgentias, si quis verò quartam partem aurei habuerit, habebit & partem ejusdem regni, qui verò nihil habuerit, erit Diaboli. Nonne res nova, quòd sine pecunia non sit locus felicitati? Malè nobiscum agitur, quia sumus Minores reformati*; quia Indulgentiarum, nummo, quem ne contrectare qui-

dem licuit, expositarum, non erant capaces. Vide sup.pag.781. Neque verò Pontificis tantùm Cameræ, sed & *confessariorum*, militum gregariorum libidini satisfaciendum erat, qui nonnunquam usq; adeò frontem perfricuerant, ut morituris & animam jam agentibus molesti fuerint. Vnde *Bebel.* in facet.p.m.15. *Quidam frater mendicus audiebat confessionem divitis hominis in lecto decumbentis, atque agonisantis; ut ita dicam. Post Confessionem adduxit unigenitum filium ad patrem ægrotum, atque de multis donis, quæ Confratribus suis legâsset, narravit pro parentalibus, pro anniversario, pro sepultura, pro calice, pro alijs indumentis sacerdotalibus, & multis alijs, & ad quamlibet particulam quæsivit à patre, an ita esset? Respondit ægrotus: Ita, vel potius capite nutando præ infirmitate annuisse videbatur. Filius, perspecta infirmitate patris, qui nihil amplius curaret, aut sciret de rebus temporalibus, quæ dicuntur, cognita fraude atque avaritia fratris, quæsivit & ipse: Pater, debeo fratrem per cunctos gradus dejicere?* Respondit *vel potius annuit Pater, Ita. Hæc notentur,* subjicit Bebelius. III. *Sed* & conducti Sacrificant, qui Missas vendunt, ut loquar, cum authore *Big.Sal.* sup.pag.816. Vnde tritum

tum illud: Küpferin gelt / küpferin seelmess: quod *Theologi Viennenses* defendunt: vide ὁδηγ. P. III. pag. 368. IV. *Nec gratis psallunt nec orant. Author Postill.* major, Dominic. XL. pag. m, 108. *Multi Canonici, quando sciunt magnum lucrum temporale, currunt ad Ecclesiam; sed quando modicum est lucrum, remanent in domibus suis & recreationibus, & ad Ecclesiam Clericos suos mittunt.* Vide ὁμόψηφον *Malleolum* nostrum P. I. *Anal.* pag. 55. Sed non modò sine mercede gratis non orant; ne memoriam quidẽ defunctorum plebi pro suggestu commendant. *Ioh. Vlr. Surg.* Man. Curat. pag. 88. *Nobiscum verò in Majori & minori Basilea illorum nomina solum leguntur, qui, vel quorum hæredes petunt inscriptionem uno vel pluribus annis, & tunc consuetudo habet, quòd primo anno dentur Curato quatuor blaphardi, & pro sequentibus, quolibet anno, duo blaphardi. Aliqui exigunt censum perpetuum quatuor blaphardorum supra vel citra, singulis annis Curato dandorum, ut perpetuò pronuncientur. Et istam chartam aliqui appellant paginam Dominicalem.* Crudeles carnifices, qui miseras animas torqueri, quàm reditibus suis carere malunt! V. *sepulturas vendunt.* Has

merces ut mangones isti pretiosè satis vendere possent, non dubitârunt asserere, 1. *Non omnibus tam licere esse beatis, ut sepulturam Ecclesiasticam, quantocunque pretio, consequantur.* 2. *Ecclesiasticam sepulturam, in charitate morientibus, prodesse.* De utroque sic loquitur *Author. Big. Sal.* Ser. 102. de animabus in purgatorio. *Sed dicas; Utrum prosit in charitate morientibus Ecclesiastica sepultura, & loquor de his, qui habent aliquid purgabile? Respondet Richard. in IV. Dist. 45. quòd non prodest per se, sed per accidens. Et hoc triplici ratione. Nam propter Ministrorum Ecclesiæ orationem. Nam illi, qui Ecclesiæ deserviunt frequentius tenentur, cæteris paribus, pro ipsis orare. Secundò prodest propter Sanctorum devotionem. Credendum namque est, quòd Sancti, ad quorum honorem fabricata est Ecclesia, orant pro eis, qui sepeliantur in Ecclesia vel cœmiterio, eorum honori dedicato, ut habetur 13. q. 3. C. Non æstimemus. Unde quilibet adultus sanæ mentis liberè potest, ubicunque voluerit locorum, sepulturam eligere, ut habetur 13. q. 2. c. Et ajt. Exceptis religiosis, qui in suis Monasteriis sunt sepeliendi, Extra, eodem. C. Religiosi l. 6. Tertiò prodest Ecclesiastica sepultura propter*

pter memoriam inspicientium, maximè amicorum vel consanguineorum, qui videntes recordabuntur de eis, & orationes faciunt pro ipsis. Unde Greg. in IV. Dial. Cùm, inquit, gravia peccata nos deprimunt, hoc prodest mortuis, si in Ecclesia sepeliantur, quòd eorum proximi quoties ad eadem sacra loca conveniunt, suorum quoque sepulchra aspiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundunt. Nam quos peccata gravia deprimunt, non ad absolutionem, sed potiùs ad majorem damnationis cumulum eorum corpora in Ecclesiis ponunt. Sunt autem multi, quibus Ecclesiastica denegatur sepultura, ex quibus referamus novem genera hominum. Primò *nullus infidelis, nec judæus nec hæreticus debent in loco sacro sepeliri, de Consec. Dist. 1. Ecclesia, & C. sequenti. Et, si sepulti fuerint, debent exhumari, & foris projici, ac parietes Ecclesiæ debent radi, & sic postea consecrari.* Secundò, *qui moriuntur in torneamentis non debent in loco sacro sepeliri, quamvis pœniteant, & eis Eucharistia non negetur, carebunt tamen Ecclesiastica sepultura. Extra de*

ſepulchro, & cum candelabris verberabat Monachos, dicens: Iſti Dei inimici ſalutem, quam mihi promittebant (NB.) conferre non poſſunt, & pecuniam meam habuerunt. Cúmque hoc ſæpe fieret, adjuraverunt eum, ut quieſceret; qui reſpondit: Quieſcere nolo tam diu, quamdiu inter ſancta ſum, ſicque effoſſum eſt corpus, & extra projectum. Et nota bene, quòd nunquam debes ſepulturam emere quacunque re vel pecunia, imò potius in agro ſepelias patrem aut matrem, quia grave peccatum eſt emere ſacrum vel vendere. Extra de Simon. ad Apoſtolicam. Et 13. q. 2. Nereyda. Nunquam enim terra Eccleſiæ vel cœmeterij vendi poteſt, imò, ſi mille florenis fabricata fuiſſet aliqua tumba marmorea, ſi Chriſtianus in ea ſepultus eſt, vendi non poteſt. Scio, *emtionis & venditionis* vocabula moleſta ſatis eſſe nugivendulis illis (ita enim difficulter Simoniæ labem evitarent) non tamen quæſtum vel lucrum ipſum. Impudentiſsimus Indulgentiarum encomiaſtes, *Bernhardinus Sanſonius*, Franciſcanus Mediolanenſis, ſuas præſenti pecunia vendidit chartas, Bernæ & alibi: Et tamen audacter (quod quidem ex ipſo refero autographo) ſub excommunicatione Bullæ Pontificię attexuit, *ne quis, ſe dictas Indulgen-*

tias

tias & facultates emisse, vel super eis cum aliquo convenisse & composuisse præsumat asserere. Sed has subtilitates rudis plebecula non capiebat, quibus venditionis & emtionis termini, ipso teste *Bebelio*, eò erant usitatiores, quò majori suarum familiarum cum dispendio, & facultatum jactura, sunt experti, nihil à sordidis aulę Romanæ Simonib. gratis impetrari aut extorqueri posse. Eadem ratio fuit dedicationũ, & consecrationum, non templorum modò, sed & cœmeteriorum, ubi non ęquè pecuniæ; ac emtionis nomen erat invisum. *Narrabo*, inquit *Zuingl.* oper. c. 1. pag. 139. *vobis hic rem ante paucos admodum dies gestam, quo pateat, quàm verè in exigenda pecunia pro consecrandis templis consensum sit. Lustravit suffraganeus quidam templum quoddam ac aras in eo aliquot, volens omnium nominibus paream, ac pretium proposuit lustrationis aureos Rhenenses, id est, de cœmeterio 10. quinque de singulis aris. Ibi cordatior paulò sacerdos prodijt, id Christi obstrepens: Gratis accepistis, gratis date, & Simonis anathemate dignum esse, qui dona Spiritus sancti vendere ausit, & vendi posse credat, Act. 8. Tum suffraganeus iste contracto supercilio. Ego, inquit, ob hanc causam, non*

non multis vobiscum agam, quòd Simoniam incurrere metuam. Unde pacisci vobiscum nullo pacto volo: Sic enim incurreretur sacrilegium (cui fecere nomen, à Simone Mago, Simoniæ) sed hunc aureorum numerum à vobis exigo non paciscor. Hic pauperculi coacti sunt sex & viginti aureos mutuò acceptos personato illi Episcopo pendere, ne scilicet Simoniam cum eo incurrerent. Idem etiam recenset *Hospin.* de orig error. p. 107 b. alio addito exemplo domestico, in agro Tigurino, noto, *ubi suffraganeus quidam totum lustravit cœmeterium pro certa summa pecuniæ: postea, cùm pauperculi agricolæ interrogarent, ubi sepeliendi essent infantes, qui absque Baptismo decederent? mox angulum quendam cœmeterij jussit non esse sacrum. Sed neque hoc gratis; denuò enim pecunias ei numerari oportuit.* Nonne hoc est emere sepulturas? Et certè, nisi hæc πρὸς τὰ ἄλφιτα, cur toties inter Monachos & seculares Sacerdotes de sepulturis fuisset decertatum? Vide sup. p. 276. 324. Notum est, quòd, cùm an. Chr. 1569. Sangallensis civis quidam in asylo Abbatis, vita defungeretur, Plebanus S. Laurentii cadaver suo deberi cœmeterio existimârit, reclamante & adeò pertinaciter refragante Abbate; qui in cœnobio mortuum re-

cleri alimoniam proferuntur. Ipsi vidimus, inquit, *apud Carnos & Pannones magnam vim panis interdum inferri sacris; & cœnas sumtuosissimas exhiberi sacrificiis, solennes ferias peragentibus. Abbas verò Ansegisus, qui sub Hludovico Caroli Magni filio vixit, in libro de Caroli & Hludovici legibus tradit, suo seculo bona collata Ecclesiis ita partita fuisse, ut si ditiores essent Ecclesiæ, pauperum usui partes duæ, si tenuiores æquis partibus inter clerum & pauperes dividerentur. Atque utinam hic mos hodie servaretur. Nam & pauperes suos quæq; parochia illo tempore, vel de beneficio (sic vocabant Canonem, quem vulgo ordinantiam vocant) vel per familias alebat, ne alijs Ecclesiis oneri aut molestiæ essent, præterea scandalo essent multis, qui ipsi egenos suos ex Dominico præcepto non alerent. Quæ omnia quantumvis Christianæ charitatis officia jam dudum avaritia cleri & otiosorum mendicitas in totum nobis abstulit, suum videlicet faciens & mordicus retinens quod erat pauperum.* Et ferendum quidem hoc malum videbatur, utcunq; male locatum,

propter Principum & urbium eximiam in egenos liberalitatem, qua factum est, ut hactenus non multum, de ingenti illa rapina pauperes sint gravati aut conquesti: nisi nuper nata Incorporationum (quas vocant) vorago, torrentis instar ita cuncta raperet, ut ipsos etiam in iure parochos non mendicos modò, & quævis de plebe flagitantes; sed conductitios etiam & mercenarios effecerit. *Quo in loco rursus mihi admonendus est Lector æquus, considerare & expendere velit, quàm æquè nos, qui donariorum & redituum abusus in ordinem redigimus, nec sine Scripturis & veterum exemplis agimus, à Simoniacis illis furti sacrilegiique hactenus accusati sumus, cùm ipsi interim ter sacrilegi tot agros, tot decimas, tot reditus, tot census, nullo æquo jure Ecclesiis ademtos, solo & nuper nato titulo Incorporationis sibi vendicârint? Non modò enim Pontificum & Conciliorum decretis (ut nunc Scripturas taceam) sed Imperatorum etiam legibus cautum est, de bonis Ecclesiarum non alienandis, quæ certè hoc iniquius alienantur, si, quod multorum est, & maximè pauperum, paucorum otio, luxui &*

fastui

fastui vendicatur & deservit. Nemo verò nescit, hoc efferatiorem & intolerabilorem Ecclesiis esse incorporationis rapinam quàm Simoniam, quod hæc velut ex pacto agens usum fructum emit & vendit, illa autem nulla juris formula intercedente solo præsulum consensu non emit, sed adimit, nec solvit sed vendicat, praterea testamenta & legationes piorum hominum, de sponsa conscientia, tollit & violat. Vides quot ὕπουλα uno Incorporationis latibulo foveantur? Arcana verò hæc benevole Lector, ut reserata tibi pateant, monendus es, Ius Patronatus, tum alibi, tum præsertim in Helvetia, etiam post Hildebrandinam tyrannidem, seriò multos defendisse, quo tamen ipsi paulatim Patroni, religione seculi ducti, cessefunt, Monasterijs, vel Collegiatis Ecclesiis illud, certis quidem peragendorum sacrorum conditionibus, talibus tamen, quæ magnos semper multis reditus, uni tantum relinqueret laborem, resignantes. Extant, verbi gratiâ, Instrumenta *Ioh. Rodolphi de Landeberg*, de Griffensee/ Armigeri, qui Monasterio Rutensi *jus Patronatus Ecclesiæ parochialis in Uster concessit an. Ch. 1438.* quòd videret, *res ejus cœnobij bello intestino valde fuisse attritas*; & *Rudolfi de Hottingen* Rectoris Ecclesiæ Parochialis in Kilchberg propè Thuregũ, fratrisque *Burckardi de Hottingen*, Armigeri, de An-

Ch. 1325. quo fatebantur, *jus Patronatus illius Ecclesiæ ad se pertinere*: Sed cùm posteà ad Abbatiam Capellanam devolutum illud fuisset, Monachi, novi *Collatores* (ut vocant, quanquam vox hæc Latinis alio sensu occurrat) certo salario Plebanum, cui gregis instituendi, visitandi, admonendi, erigendi, inungendi potissima incumbebat cura, conduxerunt. Leges Curato præscribebantur, à quibus, juramento confirmatis, recedere tutum nō erat. Et ne, crescentibus fortè laboribus, crescerent comoda, cavebatur initio, ut suam Candidati Parochiarū simpliciter operam, sine spe unctioris vel auctioris salarij, addicerent. Exscribam contractuum ejusmodi exemplar, certissimum pudendæ illius mercaturæ testimonium; *Iuramentum Nicolai Richardi, in Kilchberg Plebani, ad Sancta Dei Evangelia. Primò quod fidelis erit Monasterio & conventui in Capella & Ecclesiæ in Kilchberg, eorum commodum promovendo, damnaque præcavendo pro suo posse & nosse. 2. Item, quòd personalem & continuam residentiam in & circa Ecclesiam in Kilchberg faciat, nec quicquam in absenti percipiat. 3. Item, quòd subditis dictæ Ecclesiæ ministrabit Sacramenta vitam & mortem concernentia, querelas de se fieri præcavendo. 4. Item, omnia & singula anniversaria, prout à Christi fidelibus sunt instituta fideliter peragere de-*

debeat. 5. Item, jura, res & bona, nec non laudabiles consuetudines suæ vicariæ per omnia defendat, in esse conservabit & faciet, & omnia onera ipsius vicaria debita & consueta portabit, & expediat sine damno Monasterij in Cappel. 6. Item, quòd contentus erit & stabit in consueta præbenda, quæ hactenus suis antecessoribus dari consuevit, nec Dominum Abbatem & Conventum, pro tempore existentes ulla ratione pro uberiori competentia alicui conveniat, neque de jure, neque de facto, nec per se, nec per alium, directè aut indirectè angariabit, nisi de eorum voluntate aliquid reportari queat. 7. Item, si qua discordia, controversiæ, dissentiæ, inter Plebanum in Kilchberg & Capellanos pro tempore ibidem existentes non ad alia judicia trahat, sed pro illarum decisione, determinatione, discussione habet recursum ad Dominos Abbatem & Conventum pro tempore existentes, eorúmque judicio stabit: Similiter de alijs personis Monasterij & Ordinis prædictorum, & eorum sententia omni excusatione seclusa parebit, & fideliter stabit. 8. Item, domum Plebanatus

in Kilchberg, & singula ad Plebanatum spectantia in debita cultura conservabit. 9. Item, jura Episcopalia & capitularia expediat absque damno Dominorum Abbatis & Conventus. 10. Item, Vicariam & Ecclesiam in Kilchberg non resignabit, non permutabit, neque aliò à se alienabit nisi ad manus Dominorum Abbatis & Conventus in Cappella pro tempore existentium. 11. Item, dictam Vicariam non impetrabit (NB) à sede Apostolica, neque aliunde, sed impetranti se opponet pro posse & nosse. 12. Item, prædictis articulis nullam absolutionem impetrabit, neque officium judicum contra præmissa implorabit, neque per se, neque per alium, dolo & fraude in his omnibus semotis. 13. Item, Cappellas Rüschlickon & Wollishofen *providere tenetur, ut hactenus consuetum esse noscit. 14.* Ego Nicolaus Richardi, Presbyter, obligavi me, quod absit, propter negligentias aut malam famam seu excessus meos redarguendus fuero, & venerabili in Christo Patri, Abbati de Cappella, patrono aut provisori ejusdem Ecclesiæ ammonitus cum effectu de omnibus correctum & emendatum exhibebo: Si verò dignè me non correxero, maximè tamen remissus inutilis, minus fructuosus circa salutem animarum fuero, ob ar-

arbitrium & jussum venerabilium in Christo virorum præfati videlicet Abbatis & Conventus in Cappella, cùm de ipsis, tanquam religiosis & timorem Dei habentibus confidere debeam, à prædicta Vicaria, qualibet contradictione non obstante, recedere non omittam. Iisdem penè verbis fidem & obedientiam Monasterio Cappellano stipulabantur *F. VVolphgangus Ruplin*, Cappellanus altaris S. Mariæ in Merischwanden; & *Conradus Soland*, Cappellanus in Bar (nam & hanc Ecclesiam in agro Tugino, & alias vicinas, Nuhen, Beinwil, Merischwanden, Rifferschwil, Monasterio Cappellano incorporatas fuisse, documẽta quædam antiqua, Gregorii XI. Eberhardi, Episcopi Constantiensis, Alexandri IV. evincunt) nisi quòd ille paragraphum secundum ita conceperit; *Item, quòd in memoria debet permanere Domino Abbati, indulgere ut prædictam Caplaniam cum religioso & seculari Sacerdote possit providere, & in omnibus Abbati obediens esse, usque dum sibi fuerit indultum à Domino Abbate & Conventu in Cappella, ibi habere residentiam corporalem, quam si habuerit, nihilominus in potestate Abbatis erit, & quandocunque ejus necessarius fuerit primus vel alius Abbas, per ipsum revocare ad Monasterium, tunc debet sine omni contradictione parere. & prædictam Ca-*

planiam ad manus Abbatis resignare, sed aliâs cum alio Sacerdote providendam dare, nec quicquam nisi gallinas quasdam in absenti percipere: Hic verò, paragrapho 6. spondet, *quòd nec à Monasterio, nec à subditis stipendij augmentum expectare velit.* Quid? quòd non modò stipendia vel honoraria extraordinaria ad sublevandos laicorum sumtus, ex communi ærario antea suppeditata, Plebanis collatores denegârint; sed &, si quid eo nomine, Plebani acceperunt, in commune reponendum fuit. Vnde *constitutio* Plebani Ecclesiæ Tigurinæ: *Item denarij, qui hactenus ad infirmorum unctiones de communibus remedijs dari consueverunt, nulli de cætero dabuntur. Imò denarij, si qui ab inuncto, vel ejus amicis dati fuerint Plebano vel socijs, in communi reponuntur.* Vbi, coronidis loco, diligenter observandum, in hac Plebanorum instructione, 1. Ne una quidem voce mentionem fieri præconii Verbi, cujus tamen Ministri esse debuissent. 2. Sedi Pontificiæ omnes jus in istis Parochiis elocandis adimi, quod inde, procul dubio, factum, quia Majores nostri, inertissimis ventribus & ignorantię mancipiis Curtisanis, aulam Romanam ita favere, magno suo malo sunt experti, ut quibusvis aliis locum præripuerint. 3. Plerisque ejusmodi conditiones placuisse, alios tamen, animadvertentes, suis humeris

Ec-

Ecclesiastica incumbere onera omnia, redituum verò usum Monasteriis aut Ecclesiis collegiatis cedere, conqueri cœperunt. & ita quidem, ut non sine turpi αἰσχροκερδείας labe omnia penè sacra hastæ subjecerint. Eamus in rem præsentem. Imbriacensium, in agro Tigurino, Plebanus an. Ch. 1512. fuit *Georgius Hoch*, Mœrspurgensis, qui stipendio, certis ei conditionibus assignato, auctarium quæsiturus & mantissam, nullum certè functionis publicæ genus omisit, quod, præter ordinarios reditus, pretio compensari noluerit. Inseram postulata, ne qua de fide sit dubitatio. 1. Item/so rechne ich von 500. Communicanten v.C. creutzer beichtgelt/dariñ wil ich die Kind lassen lauffen/ macht XVI.lib. 13.sch. iiij.hlr. 2. Item ein lib. beichtgelt im Jahr von schwangeren Frawen. 3. Item 10.sch. von den Kindbetteren einzusegnen. 4. Item für seelgret von zwölff personen iiij.lib. v.sch. 5. Item von versehung der Kranckuen iij.lib. hr. Hæc cum Imbriacensibus præponerentur Canonicis, non reclamant, aut, malè fieri, vel verbo monent; hoc tantum volunt, ut ab Auditoribus, quorum nomine hæc sacra obeantur, illa exigantur tanquam debita. Pergit licitari: 6. Für die gmeinen bannales 1.lib. 4.sch. 7. Alle Jahr einen sträfflichen bañschatz vngefahrlich. 8. Item für Kirchweyhenen 10.sch. 9. Item für vnser Frawen gebätt ij.lib. vnd des heiligen Geists 10.sch. 10. Item für den theil der Kirchenbättler 1.lib. 11. Item für die gemeinen opfer iiij.lib. 12. I-

tem für meine opfer xxiiij. lib. Specimen habes mercaturæ Babylonicæ, qua in religionis theatro nihil vel monstrosius vel perniciosius. Novimus, trituranti bovi os non obthurandum, neque, qui altari ministrant, à sacrificiorum usu & esu excludendos: sed omnia planè Ecclesiastica munia ita flagellanda, & præsenti pecunia æstimanda, id profecto à Christianismi dignitate planè abhorret.

[m] Ignari quippe Seculi hujus Clerici erunt, literarum omnium, tam *sacrarum*, quàm *profanarum*. Et hujus quidem ignorantiæ vestigia ubique sunt obvia, quæ certè querulas ubique voces gemitus & singultus viris magnis extorserunt, illis præsertim qui viderunt, ignorantiæ Fratribus omnia ferè Romæ destinata esse commoda. Ipsi Episcopi, quàm nihil ad tam sublimen πρεσβείαν attulerint, præter barbam nonnunquam & rogam, discimus ex *Beroald.* præfat. comment. in L. Apul. asin. aur. *Compluscul hac tempestate in Ecclesia Dei visuntur, qui cum Episcopali dignitate sint summi, morum & inscientiæ dehonestamento sunt infimi. Quibus magna lauticiæ luxuriaq; cura est: maxima virtutis incuria, in quibus Episcopi nihil quicquam cernas, præter habitum & nomen: qui, quid sit Episcopatus ignorant, instar phaniæ Pontificis propter rusticitatem, quid esset Pontificatus nescientis. Conditores Ecclesiasticæ litera-*

teratura celeberrimi prodiderunt, cæcum animal Deo offerri, quotiescunque illiteratus sacris initiatur, fitq́; adscriptitius militia religiosæ: Dij boni, quot cæca animalia Deo quotidie dedicantur? Quot Antistites primarij, quot Protomystæ, quot Episcopi cæcutientes sunt etiam prorsus talpæ, hoc est, indocti incultíque? Lux enim Sacerdotis & cultus doctrina est. Habent hi quidem domos exornatas, opiparam supellectilem, familiam numerosam, omnia splendentia præter ipsos Dominos, qui vitijs decolorati, & labe ignorationis infecti, sunt tenebricosi, prorsusq́; sordescunt. Et cùm Majestas Episcopalis auro comparetur, non tam fulgore auri splendicant, quàm plumbi livore pallescunt. Episcopus autem cum Græco vocabulo explorator sive speculator significetur; videre sanè est tales Episcopos dignos tanto nomine, dum curiosè explorant, & solerter speculantur redditus atque vectigalia Episcopatus, qua quidem unica in re merentur Episcopi nominari, hoc est, exploratores diligentissimi, & speculatores solertissimi, quos, ut seriò loquar & dicam, quod sentio non tam

Epi-

Episcopos, quàm Pseudoepiscopos meritò appellaveris. Additque, ignorantiam inter Religiosos eo maximè Seculo tanquam gangrænam serpsisse, *ac pestilentiam latè grassatam fuisse.* Tales cùm fuerint Episcopi, de ceteris quid speres? Id verò habere potes, ex *Bebel.* Germano. Vide sup. p. 216. Sic *Vvimph.* præfat. Soliloq. *Si modernus Pontifex Julius II. quem integerrimum & constantissimum justitiæ Zelatorem prædicant) certior efficeretur de multis abusibus, de indignis dispensationibus, de dolis & malis artibus (quales olim Johannes Simler mihi conquestus est) & de insatiabili quorundam avaritia, quorum unus solus, qui neque nobilitate, neque scientia præcellit, contra omne jus, contra omnem rationem, contra omnem honestatem, absorbet quatuor, quinque aut sex, imò plures (etiam intra eandem quandoque civitatem) præbendas, personatus, vicarias, quarum una sola doctrinæ & virtuti suæ sufficeret, & tantos rapit proventus, quantis una vel duo Reverendi Italiæ Episcopi, aut sex, septem, octo sacræ paginæ, vel Decretorum Professores, Ecclesiæ Catholicæ utilissimi admodum conten-*

tenti forent, si illorum avaritiæ frenum poneretur, ut sorte sua & sufficienti emolumento satiati, honestissimos Theologos & pacificos Canonistas, qui vel pro divinæ sapientiæ, vel sacrorum Canonum studio patrimonium suum in Gymnasiis cum multo labore fuderunt, ad superfluas præbendas absque litibus admitterent, tum divinus cultus augeri, scandalum, murmur, odium populi in omnem Clerum, propter illos beneficiosos sedari, animabus defunctorum copiosius succurri, tum fides exaltari, Bohemicum virus à Germanis arceri, Cancellis Metropolitanarum & Cathedralium Ecclesiarum de doctis Concionatoribus provideri, Apostolica sedes fortius defendi, & Respublica Christiana prosperari posset. Et nihilominus hi, qui Curiæ Romanæ utcunque servierunt, partem conditioni suæ commensuratam (si saltem seipsos cognoscere vellent, aut veram (NB.) æternæ vitæ fidem haberent) Deo propitio, essent consecuturi, quamvis non credam id summum Pontificem velle, ut quantumcunque quispiam ex nostratibus in urbe servierit, qui omnem adolescen-

scentiam suam non in bonis literis, sed malorum concursu, sed stabulis purgandis, sed alijs (forsan vilibus) officijs consumpsit, non solùm multos Canonicatus, sed etiam duas aut tres pingues animarum curas absumat, qui cùm prorsus indoctus sit, & ad erudiendam plebem ineptus de fide, de sacramentis, de peccatis, de virtutibus, de animæ immortalitate, de vita beata, unum verbum (NB.) ex divinis Scripturis non novit, neque enim in tantis laboribus discere potuit. Et ideo tota vita sua cancellos ascendere, ut vel Evangelium populo dicat, vel Cruciatam promoveat, non audet; sed contremiscit. Imò verò, θερασυτέρως illos, ausos fuisse, &, quæ non intellexerunt ipsi, populo proposuisse, fatetur Ioh. Deverdellajus, Præfat. in Postill. major. ante Reform. edit. *Nam id scio, ut aliqui mihi familiares retulerunt, quòd multi sunt in Dei Ecclesia Prophetias Epistolásque legentes, ac etiam interpretantes, qui minus sapiunt, quid sit Epistola aut Prophetia, & nescientes cur in Dei Ecclesia earum lectiones legantur.* Et ipse F. Guilel. in prologo ejusdem Postillæ, ait, *se hanc suscepisse operam,*

ram, considerantem nonnullo Cancelistas (præcones intelligit ab ambone, cathedra seu *cancellis*, unde & Germanorum Kantzel/ dictos) *minus cautè & imperitè Evangelia & Epistolas vulgo Christiano pronunciantes, procedere, nō habentes eorundem expositionum scientiam, quæ necessaria est*. Vnde verò habuerint? A suis *Episcopis*? At ne per religionis suæ principia commendare Bibliorum lectionem potuissent. Certè *Iohannes*, Misnensium Episcopus ante Reformationem fassus est, *se sacra Biblia legentem Religionem præsenti valde dissimilem invenire*. *Scult.* Dec. 1, an. Chr. 1517. *Chyt.* Sax. l. 2. p. 50. Simile de Thoma Linacero, Medico hujus seculi XVI. celeberrimo; sed & sacerdote; refert *Chekus* de pronunc. Græca, & ex eo *Bal.* Cent. 8. p. 651. *eum, cùm, provecta ætate, mortique vicinus esset, jam tum N. T. primum in manus sumsisse, & ex eo aliquot capita legisse, & cùm 5. 6. 7. Matth. percurrisset, abjecto iterum quantum potuit totis viribus libro, jurâsse, aut hoc non fuisse Evangelium, aut nos non esse Christianos. A præceptoribus suis*, Theologis scholasticis? Sed ne illi quidem multum præsidii in S. Scr. ponebant, teste *authore Concil. Trident.* pag. 8. *Terror examinum* fortè majorem in sacris diligentiam ab illis requisivit? At eò non erant in-

instituta, ut carnificina essent ingeniorum, sacra tractare planè ignorantium. Et si fortè dubites, adi *Methodum legendi Hist. Helvet.* p.576. Sed *spes promotionis* ad curam animarum, hoc sanctum pabulum gratum illis reddidit & acceptum? Legisti jam conditiones, quibus Plebani erant in muneris sui functione astricti, at quæ vola, quod vestigium tale quid vel eminus exigit?

[*n*] Hic verò omnia turgent. *Primò* enim Pontifex non modò Imperatori, sed etiam Conciliis ita insultat, ut publicè constituerit, *hæreticorum pœna esse plectendos, qui ad futurum Concilium à Papa appellarent*. Ita *Pius II. Iulius II.* & *Leo X.* bullâ contra Lutherum editâ. *Aulb. Hist. concil. Trident.* p.13. 2. *Cardinales* se Regibus (quod dissimulare non potuerunt, aut inficiari Scriptores Pontificii) prætulerunt. De *Thoma Volsæo* ita loquitur *Bzov.* an. Chr. 1515. S.26. Thomas Volsæus, ex Episcopo Lincolniensi Archiepiscopus Eboracensis, intercedente Henrico Rege, hoc anno à summo Pontifice purpurâ donatur. Ex infimo is locó ad primum dignitatis gradum in Anglia ascendit, ut ex rerum fastigio graviori casu pręcipitaretur. Gratia Principis, cui fuit intimus, & prava obsequia pro virtutibus fuere. Superbia atque ambitio exitium ipsi & universæ Angliæ attulere. *Mariana de reb. Hispan.* l.30. Quàm execrandæ verò fuerit superbiæ atque arrogantiæ Volsæus, narrat *Polydorus Vergilius*. Non multò, *ait*, post, Christophorus Cardinalis Eboracensis Romæ moritur (diem clauserat

pri-

pridie Id. Iulii, anno superiore) exin fit Archiepiscopus Eboracensis Volsæus, Lincolniensis Episcopus: Idem perbrevi Cardinalis VII Idus Sept. hujus anni 1515. simul & Cancellarius regni Anglicani, quo Magistratu Guilelmus Varamus Cantuariensis Archiepiscopus sponte sua abiverat. Hanc fortunæ abundantiam habere in summa laude ponendum est, si ad viros illa graves, modestos & temperatos affluat & illabatur, qui se non efferunt in potestate, non fiunt insolentes in pecuniis, non se in bonis præferunt aliis. Horum omnium nihil extitit in Volsæo, qui tot uno fermè tempore adeptis dignitatibus, tantum superbiæ animo concepit, ut sese Regibus exæquatum existimans, cœperit mox uti sella aurea, uti pulvino aureo, uti velo aureo ad mensam, gestare ante se facere galerum Cardinalium ordinis insigne in sublimi, inque sacello Regio super altare illud collocare, tantisper dum res fieret divina. Ita Volsæus sua insolentia & ambitione sibi totius populi invidiam comparavit ac quæsivit, infestus juxta nobilibus ac plebi, quòd illi vanam ejus gloriam multum stomacharentur, & ipse universis valde odiosus, quia munia ferme cuncta sustinere se posse autumabat. Sed illud profectò operæ pretium erat, hominem videre imperitum juris, sedere pro tribunali, jusque dicere, qui tamen à principio à Iurisconsultis, qui ei more vetusto assidebant, adjutus, cœpit nonnullas causas non damnatas, neque ritè actas tractare, componere, alias, de quarum jure dubium non esset, prohibere, vocari in judicium, modum controversiarum

facere,litigatores falsas causas ad judices deferentes acerbè punire, simulque judicum negligentiam severè increpare,qui eas recepissent, ac lites demum non æquè æstimâssent. Atque Volsæi administratio talem ab initio justitiæ umbram in vulgus habuit, verùm,quia umbra erat,citò evanuit: ipso Volsæo omnia suo arbitrio agente, quòd jam eo pluris Regi esset nemo. Ex quo nempe factum est,ut aliquot Principes Viri consiliarii,cùm vidissent tantam potestatem pervenisse ad unum,alii aliò ex Curia abiverunt,& cumprimis Cantuariensis & Vintoniensis,qui in suas Diœceses perrexerunt: sed antea ut optimi Reipublicæ patres Regem summopere rogârunt,ut ne pateretur quemquam servum majorem esse Domino suo, mutuati hanc sententiam à Christo,qui apud Iohannem discipulis suis inquit: Amen,amen dico vobis,non est servus major Domino suo. Ad ea Henricus,non utique ignorabat in Volsæum esse dicta, respondit, se illud primum omnium curare sedulo, uti servus quisque pareat non imperet. Verba erant non facta. Nam Regem ipsum juvenem blandis suasionibus, quocunque voluit,impulit,ut quod de servis astutis dicit quidam: Callidus servus Domino imperat, de hoc Volsæo, qui Regem subditus pessimè rexit, dictum existimari potuerit,qui tanto fastu & opinione sui fuit inflatus, ut,cùm maximis regni de causis ad summum Pontificem aut exteros Reges scriberet, ita plerunque literas exordiretur: *Ego & Rex meus.* Eam insolentiam ferre non sustinens Tho-

Thomas, Dux Northfolciæ in suam patriam se re cepit, & postremò Carolus Suthfolciæ Dux alios etiam secutus est. Quippe is in legationem Gallicanam in nuptias, in novam familiam magnos sumtus fecerat, pecuniam mutuatus à Rege, qua se donatum iri sperabat. Sed id factum noluit Volsæus, ut Carolus ære alieno oppressus dicto magis audiens foret. Quoniam, quemadmodum ingentes opes extollunt mortalium animos, eosdem tenues facultates demittunt. Ex adverso Guilelmus VVaramus Archiepiscopus Cantuariensis, quanquam jam Ex-Cancellarius, Henrico, Regi juveni, nunquam nisi honesta, justa & sancta suggessit, populique utilitati, quoad potuit, studuit, seque his, qui populum rapinis exhaurire, & rem suam cum publico damno augere pro nihilo habuerunt, constanter opposuit. Quæ illius moderatio & pietas, magnam illi apud Volsæum inprimis, jam Eboracensem Archiepiscopum, Cardinalem, Legatumq; Pontificium, maxima præ cæteris Henrici Regis gratia florentem, invidiam conflavit. Scripserat ad eum VVaramus, paulò postquam ei legatio mandata erat, literas, quibus veteri more in calce subjecit, Guilelmus frater Cantuariensis. Mirum, quomodo ob id Volsæus stomachatus est. *At enim, inquit, propediem efficiam, ut intelligat se mihi non esse parem, tantum abest, ut sit frater.* Quæ cùm nuntius perturbatiore animo Archiepiscopo renuntiâsset, an tu, inquit, ignoras hunc hominem ob authoritatis suæ magnitudi-

nem, præ gaudio vix apud se esse: Qua ille perditè abusus, in pecuniarum illam aucupium, *omnia venum exponens*, miserumque populum variis machinamentis emungens & expilans, sordidè convertit, multáque fecit, quæ ab Ecclesiastici & domestici juris rationibus & præscripto abhorrebant. Pontificis quidem maximi authoritatē & jurisdictionem initio initæ legationis tueri & amplificare videbatur; *sed adeò præfractè, impotenter & summa cum invidia id faciebat, ut Clerum quidem libidinosè & luxuriosè vivere, nec minus quàm Ecclesiasticam disciplinam curare permiserit; populum verò pessimis vitæ exemplis, & gravi tam supercilio, quàm oneribus à vera & solida Sedis Apostolicæ reverentia, nec non ab antiqui moris observantia averterit; unicus fons & causa paulò pòst profligatæ ex Anglia fidei & sanctitatis avitæ.* Vnde paulò post idem refert author, *Archiepiscopum Cantuariensem, ab avaritia Volsæjana & libidine Cleri, VViclefi dogmata reviviscere, doluisse.* Exemplo etiam mox civis Londinensis, Ricardi Hunni probat, non sine rivali Archiepiscopum opes dilexisse, vulgaribus etiam Sacrificulis lucri odorem ex qualibet re ita placuisse, ut negato sibi mortuario (ita enim ex Foxo supra p.991. vocavimus:

mus: Bzovius tamē linteolum appellat, quo infans involutus erat cùm baptizaretur: utrumlibet sit, Erasmo testimonium perhibet, nec gratis Christianū fieri licuisse, nec exequias parare) jure obtinere voluerint. 3. πρωτοκλισία constantissimè in Clero Romano esse perrexit ἔριδος μῆλον, præsertim in Anglia, quæ hoc malo toties jam antea fuerat afflicta. Bzov. a. Ch. 1510. S. 18. *Hoc anno exorta est gravis inter Archiepiscopum Cantuariensem ac ejus suffraganeos de prærogativæ Cantuariensis jure altercatio. Ejus Romæ apud summi Pontificis subsellia author fuit Richardus Fox, VVintoniensis Episcopus, qui, cùm opibus, authoritate atque gratia cum Rege Henrico VIII. summa valeret, tantæ potentiæ animi magnitudinem adjungens, ferre non potuit Archiepiscopi prærogativam. Itaque, cùm antequam de ea re lis ulla moveretur, inter se primo communicarent, suamque prærogativam & potentiam trecentis amplius annis longæva consuetudine confirmatam Archiepiscopus ostenderet, nec se laturum, ut VVintoniensis Episcopi pertinaciâ Ecclesiæ Cantuariensis jura violarentur, fervidius affirmaret, VVintoniensis incensus fertur respondisse:*

quamvis Archiepiscopus in altiori solio se-
disset, se tamen in pinguiori collocatum,&
ab ea contumelia statim transivit ad defe-
rendam Julio Pontifici Romano contra Ar-
chiepiscopum querelam. VVintoniensi Epi-
scopo Londinensis, & Exoniensis Regii (ut
idem Rex postea affirmavit) Consiliarii
tanquam Duci adhaeserunt. Instituta lite
capita defunctorum maximè bona, & di-
spensationem eorum concernebant, quibus
Pontifex certos in Anglia praestituit judi-
ces, & inter eos Regem, reservato tamen
partibus jure ad sedem Apostolicam iterum
provocandi. 4. Visitationem & censuram mo-
rum ab aequalibus institutam nonnunquam detre-
ctabant. Factum hoc a. Ch. 1505. Toleti, cùm Xime-
nius Archiepiscopus Toletanus & Cardinalis, in
vitam morésque Ecclesiae Toletanae quaestio-
nem decrevisset, quam visitationem vocant,
eámque Doctori Villalpando, Vicario suo Ge-
nerali, una cum Fernando Fonseca, ejusdem
Ecclesiae Canonico exequendam mandásset,
incredibile dictu est (verba sunt Gomezii apud
Bzov. a. Ch. 1505. S. 6.) *quàm hoc decretũ gra-*
viter molestéque Ecclesia tulerit, & quàm
obstinatis animis se illi omnes opposuerint,

ititu

citius se extrema omnia passuros clamitantes, quàm ut ab ullo prater quam ab ipso Antistite in illos inquireretur: Id in votis Collegio Toletano esse cumprimis pro certo haberet, Antistitis sui fulmina, quantumvis formidanda & terribilia, utpote à viro veteris disciplinæ rigidæ exactore vibrata, cum gravi potius cunctorum periculo subire velle, quàm cum omni venia & remissione ad examen ab æqualibus vocari. Qui si nihil aliud, certè æquales & pares essent, & nihilominus, quod illorum pace diceretur, censoria severitate indigerent.

[p] Quod quidem malum, summa cum Reipublicæ Christianæ jactura adeò invaluit, ut ad illud vel tollendum vel mitigandum optimi quique sua contulerint remedia. *VVimphelingium* modò audivimus. Addere nunc placet tum *Iacobum Regium* ad Maximilianum Imperatorem, tum *Maximilianum* ipsum. *Illius* verba αὐτολεξεὶ sic habent: Sed & hoc quoque Deo gratissimū, animabus salutiferum, tuę autem Majestati inprimis honorificum visum est, si à sacro sancta Sede Apostolica de quorundam abusibus erudienda, inviolabili lege impetrares, ne deinceps quicunq; vel natali obscurus, vel omnium bonarum literarum indoctissimus, contra divinam naturalemque legem, contraque sacratissimos Canones, duo aut tria Sacerdotia sub uno tecto, tres

aut quatuor præbendas aut Canonicatus in diversis Collegiis intra eadem Romani Imperii mœnia sitis, totidemque pingues parochias, qualicunque dispensatione (ne dicam dissipatione) à summis Pontificibus esset consecuturus, cùm tot Canonicatuum, aut Ecclesiarum Parochialium quælibet, alterius aut utriusq; Iuris Sacræve paginæ Licentiatum, imò Doctorem honesto statu nutrire posset, adeò ut singuli singulis essent contenti, & in animo tranquilli. Hac re vix aliquid Deo gratius, Germaniæque utilius, Majestatem tuam arbitror efficere posse. Taceo, quod hoc pacto pii adolescentes, qui in Gymnasiis multo labore, bonarumque literarum amore patrimonium suum expenderunt, parte Ecclesiastici stipendii nacta, cohæredes in hereditate paterna ad rerum publicarum augmentum relevare, Christoque servire, & pro totius Imperii ac Imperatoris salute preces effundere possent. Sic quoque per singulas Ecclesias Ministri instituerentur idonei, Sacrę Paginę sacrorumq; Canonum docti, præbendas facilius consequerentur, ac cæteri literis, virtutibus præditi, ad Christi patrimonium ascenderent, occasio desiderandæ mortis alienæ tolleretur. Neque essent tot lites, totque contentiones cum magno rei familiaris per totam Germaniam detrimento, neque essent tot fraudes, non vexarentur insontes ab eis, qui nihil nisi contendere, acceptare inquietare, vexare nôrunt, non quibus proximum circumveniendi major astutia, aut ad litigandum facultas suppetit uberior, sub involutionibus prærogativarum, antelationum, re-

gress.

gressuum & laqueis instrumentorum à propriis servis scriptorum, tot fraudes, tot deceptiones permitterentur. Adolescentibus, qui literarum studio, virtuosisque operibus intendere deberent, non daretur ansa evagandi, nec per litium anfractus turbarentur. Non confunderetur Ecclesiasticus ordo, non sineretur unus solus ad nullam rem Deo gratam, aut fidei nostræ utilem idoneus, turpiter occupare stalla & loca in omnibus Ecclesiis, intra eandem Imperii civitatem sitis, sicque parochiis per barbaros quandoque mercenarios prævisis, salubrius per doctos consuleretur, nec diminueretur divinus cultus, nec animarum suffragia obmitterentur, non essent vacua stalla, non cassarentur voluntates ultimæ, minus perderentur literæ monumentaque beneficiorum, non periret hospitalitas, non eleemosynæ, non domus & ædificia cætera Ecclesiarum corruerent, non bona & prædia alienarentur, non essent tanta murmura & odia vulgi in cunctos fere (NB.) sacerdotes, propter paucos avarissimos ac insatiabiles. Neq; ego primus sum, cui tanta sacerdotiorum (NB.) multiplicandorum cupiditas stomachum movet. Nam & Francisco Petrarchæ viro probatissimo hæc impietas admodum displicuit, qui nec expavit ad Vrbanum V. in modum sequentem perscribere: Audiebam te ambitioni antiquæ (quæ priorum licentiâ in immensum crevit) frenum ponere, & ut uno aut paucis pro dignitate virtutis ac scientiæ, beneficiis contenta esset edicere, justè inquam graviterque. Nam quid turpius, quàm unum aliquem (parta forsan

fœdis artibus copia) nauseantem cernere, multis hinc inde melioribus penuria, fameque laborantibus? Et sapientissimus Gregorius Nazianzenus his verbis adstipulatur: Religioni ac doctrinæ nostræ opprobrium nascitur, quod Sacerdotia ambitione potius & gratia, quàm meritorum judicio deferuntur. Et F. Picus, Princeps illustris in orat. ad Concil. Lateran. lamentatur, sacrasque ædes & templa lenonibus, catamitis & lupis fuisse commissa. Hæc Regii ad Imperatoris aures delapsa querimonia, calcar ei dubio procul addidit, ad constitutionem sequentem edendam. *Summum Ecclesiæ Pastorem & omnem Clerum, exemplo charissimi patris nostri, Friderici Romanorum Imperatoris III. hactenus venerati, non parvos dignitatum & Ecclesiarum parochialium proventus ex terrarum nostrarum finibus, Clericis & Prælatis absentibus, clementer inferri permisimus. Quos & clam pro humana fragilitate delinquentes cum Constantino, prædecessore nostro chlamyde operire non dedignaremur. Verùm, cùm ex nostra largitate divini cultus decrementum profluat, unde divinæ laudis, Psalmorum & Missarum amplificatio debuerat proficisci, nostra interest (qui absque meritis in solium Romani Imperij electi sumus) ut inter*

ter cæteras maximas pacis & belli occupationes, vigilanter quoque circumspiciamus, ne Ecclesiæ pereant, ne religio labescat, ne divinus cultus diminuatur, & ne animabus defunctorum (qui Ecclesiis & Sacerdotibus de suo patrimonio benefecerunt) contra ultimas ipsorum voluntates tardius succurratur; quod manifestissimè experti sumus, & indies experimur, ex ineffabili atque à nullo dispensabili (NB.) quorundam avaritia provenire, qui in beneficijs assequendis nullum finem constituunt: per quorum absentiam (cum in uno solo personaliter resideant, & distributiones deserviant) divinus cultus diminuitur, ultimæ benefactorum voluntates cassantur, defunctorum animæ tardius ex igne purgatorio eripiuntur, ædificia labant, Ecclesiæ decrescunt, Ecclesiastica libertas læditur, literæ & monumenta perduntur, hospitalitas & eleemosynæ minorantur, patrimonia parentum & nervi Rerumpub. ex crebris hujusmodi avarorum collitigationibus exanescunt, Clerici pro doctrina sua & virtute beneficijs digni, suáque prudentia Ecclesiis in tempora-

ralibus & spiritualibus utiles, à præbendis repelluntur, impediuntur, indignè vexantur, injustè eis lites moventur, scandala laicis præbentur, ipsorúmque odium & murmur in reliquos honestos Sacerdotes excitatur atque augetur. Eas ob res ex officio C.M. ex amore incrementi cultus divini, C.M. Zelo Rerumpubl. hortamur & requirimus, ne quisquam à modo in una nostrarum, nostríque Romani Imperij civitate Canonicatum aut vicariam possidens, in altera ejusdem civitatis Ecclesia, aliam præbendam occupet, nisi primam infra anni spatium in personam idoneam ac Ecclesiæ utilem sit dimissurus. Neq; alium in beneficijs assequendis per injustas lites aut ambages indignè vexet aut circumveniat, nec quemcunque, qui non sit de numero descriptorum familiarium, juxta Concordata Principum & pacta nationis Germaniæ falsò familiarem fuisse fingat, in ordinariorum Collatorum præjudicium. Nec laicis jus Patronatus auferre tentet, nec exiles præbendas, potissimum verò Curatas Ecclesias pensionibus: Nec in adipiscendis beneficiis & bullis, quacunq;

cunq; fraude, dolo, falsis instrumentis, corruptis testibus, Simonia etiam palliata utatur, &c. Cur ergò, Magistratibus Christianis omnis pro religione cura adimatur, cùm laudabili præeat exemplo Imperator ipse? Cur bona Ecclesiastica, postquam ad veri Dei cultus incrementum conferuntur, erepta clament, qui, ipso teste Imperaaore, sacrilegè ea decoxerunt? Vobiscum habitate, ô vos, qui non videtis manticæ, quod in tergo est. Cur corpus Ecclesiæ tot infectum ulceribus medicina & reformatione opus non habuerit? Id illis, οἱ ἐξ ἐναντίας, ex Epicuri grege persuadeant, porcis, qui ne quidem quid bis bina sint, didicerunt.

[q] Quæ quidem licentia vitæ, ut intolerabilis planè fuit, ita Reformationem Ecclesiasticam non mediocriter promovit. Id enim fatentur,

I. *Pontifices.* Quid Adrians sextus, Principibus Germaniæ, Norimbergę congregatis per Legatum *Franciscum Cheregatum* significari voluerit, ex sequentibus Instructionis ejus verbis luculenter satis patet: *Item dices, nos ingenuè fateri, quòd Deus hanc persecutionem Ecclesiæ suæ inferri permittit propter peccata hominum maximè Sacerdotum & Ecclesiæ Prælatorum. Certum enim est, non esse abbreviatam manum Domini, ut salvare nequeat, sed peccata dividere inter eos & ipsum, & abscondere*

re faciem suam à nobis, ut non exaudiat. Clamant Scripturæ, peccata populi derivari à peccatis sacerdotum, propterea que (ut ait Chrysostomus) Salvator noster curaturus infirmam civitatem Hierusalem, ingressus est prius templum, ut peccata Sacerdotum prius castigaret, instar boni medici, qui morbum à radice curat. Scimus, in hac sancta Sede, aliquot jam annis, multa abominanda fuisse, abusus in spiritualibus, excessus in mandatis, & omnia denique in perversum mutata. Nec mirum si ægritudo à capite in membra, à summis Pontificibus in alios inferiores Prælatos descenderit. Omnes nos (id est, Prælati Ecclesiastici) declinavimus, unusquisque in vias suas, nec fuit jam diu qui faceret bonum; non fuit usque ad unum. Quamobrem necesse est, ut omnes demus gloriam Deo; & humiliemus animas nostras ei, videat unus quisque nostrum, unde ceciderit, & se potiùs quilibet judicet, quàm à Deo in virga furoris sui judicari velit. Quâ in re, quod ad nos attinet, pollicebéris, nos omnem operam adhibituros, ut primum curia hac, unde (NB.) fortè omne

hoc

hoc malum processit, reformetur, ut sicut inde corruptio in omnes partes inferiores emanavit, ita etiam ab eadem sanitas & reformatio omnium emanet. Ad quod procurandū nos tantò arctius obligatos reputamus, quantò universum mundum (NB.) hujusmodi reformationem avidius desiderare videmus. Nos (uti aliàs tibi dixisse credimus) Pontificatum hunc nunquam ambivimus, imò, quantum in nobis fuit, longè maluissemus, privatam vitam agere, & in sancto otio Deo servire. Et profectò Pontificatum ipsum planè recusassemus, nisi Dei timor & sincerus electionis nostræ modus, nec non schismatis ex recusatione nostra imminentis metus, nos acceptare illū coëgisset. Subjecimus igitur colla summæ dignitati non ob dominandi libidinem; neque ad ditandos propinquos nostros, sed ad divinæ voluntati parendum, ad deformatam ejus sponsam Ecclesiam Catholicam reformandam ad subveniendum oppressis, & doctos ac virtute præditos, qui multò jam tempore neglecti jacuerunt, erigendum & ornandum, & denique ad omnia alia agendum,

quæ

quæ bonum Pontificem,& legitimum D.Petri successorem agere oportet. Quanquam (NB.) nemo mirari debebit, si non statim omnia errata & abusus omnes per nos emendatos viderit. Inveteratus nimium morbus est,nec simplex, sed varius & multiplex: Pedetentim in ejus cura procedendum est, & prius gravioribus magisq; periculosis occurrendum, ne omnia pariter reformari volentes omnia perturbemus. Omnes subitæ mutationes,inquit Aristoteles,in Republ.periculosæ sunt. Qui nimis emungit, elicit sanguinem. Imò verò teter & perniciosus sanguis eliciendus erat, ut corpus Ecclesiasticum pristino vigori & nitori restitueretur. Iisdem ferè Adriani.VI. confessionem verbis proponit *Auth. Hist. Concil. Trid.* l.1.p.28.& 32.

II. *Cardinales,Bzov.*an.Chr.1524.S.11. *Cæterùm,cùm Cardinalis, Legatus Pontificis intelligeret,corruptos Ecclesiasticorum mores hæresi Lutheranæ magnam occasionem dedisse,per delectos quosdam Principum Consiliarios edoctus, quibus in rebus per Germaniam maximè delinqueretur, saluberrimam edidit constitutionem,per quam abusus, & omnem morum turpitudinem à Sacer-*

cerdotium ordine ad vivum resecare conatus est. Subjicit jam decretum, in quo apertè confitetur, Lutheranismum non postremã habuisse occasionem à perditis moribus & vita clericorum. Nec malè rem tetitigit. Ipse hoc Carolus V. Ecclesiasticis, de Luthero conquerentibus, objecisse fertur: Weret ihr Pfaffen from/so hettet ihr keines Luthers bedörfft/ i. e. si vos sacrificuli pij essetis, non indiguissetis censore & morum correctore Luthero. *Scult.* Dec. 1. pag. 15. *Pellicanus* noster dicere solebat: Zuinglium non tantum promovisse Reformationem concionando, quantum alii turpiter vivendo. *Lavat.* An. Ch. 1529. Genevæ gravis totius Reipubl. adversus Petrum Balmensem Episcopum exarsit indignatio, quam augebat repetita probrosæ vitæ memoria, quæ apud omnes civitatis ordines odium ipsi conciliaverat, atque secuta ad Sabaudi partes defectio, turpissimi facinoris in raptu virginis anno 1527. quadragesimali tempore, designati, infamiam non eluebat. Hos inter rerum animorumque motus anno 1530. Evangelicæ veritatis semina, quæ antea latuerant, exerere sese atque efflorescere cæperunt. *Scult.* Dec. 11. an. Chr. 1532.

III. *Ipsa Concilia.* A. C. 1546. 7. Ianuarii, cùm auctior esset Episcoporum numerus, fit initium Concilii Tridentini: Cumque in primarium templum venissent omnes, peracto sacro, Legati Cardinales, quos diximus, orationem habent de scripto ad Patres, & tribus de causis agi Concilium dicunt; ut

hæreses extirpentur, ut Ecclesiæ disciplina restituatur, ut pax recuperetur. Præsentis autem calamitatis culpam in ordinem Ecclesiasticum debere transferri dicunt. Neminem enim esse, qui suum faciat officium, & qui agrum Domini colat, itaque natas esse hæreses, tanquam vepres. Ac licet nullam ipsi hæresin excitârint, tamen, quòd non excoluerint agrum, quòd non semina jecerint, quòd enascentem zizaniam non evulserint, in eadem culpa esse: circumspiciant ipsi, & suam quisque conscientiam consulat, an munus suum fecerint: certè, quòd projecta sit omnis Ecclesiæ disciplina, totum ipsis tribui oportere. *Sleid.* l. 16.

IV. *Variorum ordinum & nationum Politici.* In Germania Imperii proceres Pontificis Legatum benignis audiverunt auribus, gratum sibi esse haud obscurè testantes, quòd Pontificis verbis fateatur, peccata hominum tantis malis originem dedisse, & curiæ Romanæ emendationem polliceatur, cujus nisi abusus corrigantur, & gravamina tollantur, atque capita, à Principibus scripto mox proponenda, reformentur, fieri non posse, ut sedatis tumultibus firma pax inter Ecclesiasticos & Seculares constituatur: *Concil. Trid.* l. c. p. 29. Ita cùm Clemens VII. studium convocandi Concilium a. Ch. 1529. simulâsset, factique sui rationem redditurus literas Principibus & Regibus misisset, quarum occasione Protestantes suam quoque authoritatem & famam, quam lacerabat Pontifex, defendere coacti, Regibus & Principibus in memoriam revocant, non nescire ipsos, veterem esse querimoniam piorum ac pro-

proborum hominum, Ecclesiasticorum vitia insectantium, quod ab Iohanne Gersone & Nicolao Clemangis in Gallia, ab Iohanne Coleto in Anglia, atque ab aliis alibi esset factum, idem his annis proximis accidisse Germaniæ, Monachis quibusdam indulgentias venales circumferentibus, atque ex ea re detestabilem & infamem facientibus quæstum. *Id.* p. 63.

V. *Viri eruditi*, tum suo privato, tum publico suorum nomine. Cùm an. Ch. 1514. Emanuel Lusitaniæ Rex Legatos ad Leonem X. misisset, Iacobus Paciecus, Iurisconsultus magnæ apud Lusitanos authoritatis, habito ad Pontificem sermoni, appendicem attexuit, ut Sacerdotes à vitæ luxu, morumque licentia ad continentiæ & sanctimoniæ disciplinam revocarentur. *Bzov.* a. c. S. 7. Quid de sui Seculi moribus in Italia senserit Baptista Mantuanus, pridem demonstratum ivit *Ioh. Bal.* in Cent. p. 646. & deinc. Quibus addi potest Apostrophe ejus ad Sixtum IV. lib. 3. de *calamit.* Temp, p. 303. ubi graviter doctissimus Poëta conqueritur, 1. *exemplo cleri reliquum populum corrumpi.* 2. *cleri licentiâ, & profanâ vitâ Deum ita ad iram provocari, ut justitiæ suæ ἔνδειξιν in ipso etiam grege extare velit*, Ita ergò Poëta:

Sixte Pater, fidei custos, oviúmq; magister,
Quas bonus, effuso moriens in sanguine pastor
Abluit, ætatis damnosa licentia nostræ:

Quam veterum semper crescens incuria Patrum,
Et sceleri pandens aditum morésq; severos
Aversata parit, tua sentiat arma: coherce
Hanc vitem: ancipiti ramos preme falce vagantes.
Námque feros fructus & tristem frugibus umbram
Fert inculta jacens, Cererem necat, occupat agrum.
Mille sub his latebræ foliјs, & mille rapaces
Hac habitant sub fronde feræ, vulpésque lupique:
Mitiáq; invadunt laniántq; animalia passim.
Sic ticurum genus omne perit: per ovilia regnant
Sævus aper, tygres rapidæ, truculenta Leonũ
Semina: multicolor Pardus, griphs naribus uncis:
Et varia panthera cutis: gravis unguibus ursa.
In genus hoc pater, arma move: sua pascua redde
Fæcundis ovibus: stent ad præsepia tauri,

Qui signata jugis longóque attrita labore
Colla gerunt: postquam rerum te Roma potentem
Fecit & obscuro jubar hoc resplenduit orbi,
Exanimis virtus scelerum sub mole sepulta
Respirare parum visa est, & tollere frontem.
Et nisi tot vitijs hac Secula nostra fuissent
Depravata, boni poterant Rectoris habena
Errantes frenare rotas: sed tantus equorũ
Impetus aurigam superat: frustrá q; retractans
Lora gubernator sine lege per invia fertur;
Propterea sortem, deleo, mitissime Patrum
Sixte tuam, fueras annis melioribus aptus.
Est tibi, qua tanto satis est in Principe, virtus.
Sed velut obscuris Phœbi sub nubibus ardor
Languet: & umbra diem picea caliginis aufert:
Sic tua corrupti vitio clementia sedi,
Obscuratur: eunt pessum pietás, fidésque.

Vtrum Sixtus IV. meliori ævo fuerit dignus, vel annon, ut similes haberent labra lactucas, Seculum Simoniacis artibus addictum, Institorem dederit Sixtum ad hanc mercaturam aptum natum, ex illis proclive est judicare, quæ, tum ex hoc ipso Man-

tuano, ejusque Paraphrasta, tum ex Actis *Archiepiscopi Craynensis* citavimus Sec.superiori, pag.202.& 368. Quòd si cui Poëtæ mæandri difficiliores videantur, Oedipum habet in eodem Paraphrasta, ex quo sensum verborum sequentem elicimus: *Sixte Pastor ovium, quas Christus, qui animam suam posuit pro ovibus moriens, abluit sanguine effuso, fac ut damnosa licentia & impunitas vivendi nostræ ætatis, quam parit negligentia presbyterorum seu Cardinalium & Pontificum, & simul accessum aperit sceleri, morésque sinceros aspernatur. (Nam quia negligenter agunt Patres & impune peccatur, præbet eorum negligentia aditum ad vitia:) Fac ut talis licentia sentiat potestatem tuam Ecclesiasticam. Reprime hanc vitem seu propaginem luxuriæ impunitæ. Alludit autem Poëta ad vineam Domini, quam incultam dicit non solùm non afferre fructus bonos, sed etiam efficere atq; nocere pampinorum luxurie, hoc est, Prælatorum luxuriam non solum non prodesse quibus præsunt, sed multum obesse, cùm ab eis capiatur turpis vitæ exemplar. Per animalia quæ enumerat rapacia, intelliguntur varia vitiorum genera. Pietas autem, id est,*

est, religio & pius cultus Dei, & fides scilicet Christiana pessum eunt. Et postquam scelera, quæ cum triumpho in Ecclesia Romana grassantur, recensuisset; effecta enarrat, varias Dei pœnas, quibus in subditos etiam animadvertit ἔκδικον Θεοῦ ὄμμα.

Ista movent superos, vocat hoc scelus æthere ab alto,
Bella, famem, & diri genus insuperabile morbi.

Docet hic, inquit Paraph. *quæ mala ob Prælatorum culpam inferantur, dolens, gregem, id est, plebem illis commissam, ob eam tam diris malis affligi. Verùm, si dicas, iniquum esse, subditos ob Prælatorum scelera plecti, cùm tamen in Deo nulla sit iniquitas? Dicam, peccata unius nõ obesse alteri, nisi temporaliter, sicut peccata Patrum non nocent filijs nisi in temporalibus, aut temporali pœna, pro qua si eam ob honorem Dei patienter ferunt, corona reponitur æterna. Posse tamen fieri, ut peccata superiorum noceant inferioribus, utpote si illis consenserint, ut peccatum Luciferi complicibus ejus. Tanta autem est nunc humanæ naturæ, videlicet depravatæ fragilitas, ut difficile sit subditis majorum sceleribus non infici. Nam ab*

illis ferè exempla ſumunt. Hanc vitiorum impunitatem, cui rectius feramus acceptam, quàm 1.*immunitati & exemtioni Eccleſiaſticæ*, quâ ſacerdotes collum Magiſtratuum jugo planè ſubduxerunt, nemini actionum ſuarum, niſi Papæ & Epiſcopis, rationem reddere parati. *Parati*, inquam, coacti enim & in ordinem redacti nonnunquam in Helvetia & Germania, cauſæ cognitionem, & multas impoſitas declinare non potuerunt. De Helvetiorum conſuetudine egimus *Meth.legend.Hiſt. Helvet.* p.545. Idem de Germanis nobis largietur *Bebelius*, ex quo vel unum dediſſe exemplum ſatis erit. *Quidam Abbas*, inquit, *quandam puellam devirginavit, cujus ſatietatem cùm cepiſſet, expulit eam indotatam, & rerum omnium egenam à ſe, quæ repulſam, egeſtatem, atque profanatam pudicitiam ægrè ferens, herum & dominum ſuum naturalem* (*ut loquimur*) *adivit, hominem nobilem, & mihi notiſſimum, cui conqueritur rem geſtam: Nobilis, cùm nec precibus nec minis per internuncios pro vitio virginis quicquam extorquere poſſet, tandem & ipſe Abbatem acceſſit, atque virgini quadraginta aureos ſumma acerbitate poſtulavit. Abbas timens hominis ſibi noti ferocitatem, iracundiam & pertinaciam, dixit: In ſuis ſtatutis*

&

& regula (ut ipsi loquuntur) contineri pro stupro nulli puellæ ultra 20. aureos dari debere: cui nobilis. In regula vestra hoc continetur? Proh Deorum atque hominum fidem, quæ est ista regula, quæ religio, quæ non de continentia, & sanctimonia vitæ, sed de turpitudine instituta dedit! Peream, nisi summus nebulo, impostórque profanus fuerit talis institutor. Cui Abbas. Noli, inquit, in tam sanctos Patres acerbius loqui, præsertim cùm summi Pontificis consensus & confirmatio accesserit. Ad hoc nobilis: Per N. nec Patres, nec Papa probus. Et quid ad me, quid tibi Papa concesserit? Confirmavi ne ego? ut aliquid vobis Papa in meum, meorúmque præjudicium & jacturam concesserit? Non sic, pater sancte: quare, nisi brevi satisfeceris mihi, nec Papa, nec regula tua satis te defendet. Atque ita abiens publicas inimicitias Abbati indixit, nec ante reconciliatus est, quàm Abbas centum aureos, domum, atque rustica prædia puellæ in dotem dederit, dum in principio ultra 10. aureos non postulaverit. 2. Sacro illi silentio, quod in reprehendendis Cleri vitiis suis commen-

dant & injungunt. Repete quæ ex Ioh. *Vlrico Surgant* produximus suprà, pag. 273. 277. quod aliis paulò verbis tradit. Consid. 16. p. 39. *De spiritualium correctione cautè procedatis in sermonibus ad populum, quia cum valde infestos laicos clericis tradit antiquitas, ut dicitur in C. clericis de immun. Eccles. lib. 6. & C. Laicos. & C. Laici 2. q. 7. non oportet invehere contra Clericum indiscretè in præsentia populi. Propterea Domini de capitulo Ecclesia Majoris Basileensis in fundatione prædicaturæ Cathedralis Ecclesiæ suæ posuerunt istam clausulam: Item, quòd prædicans pro tempore, populum contra Clerum irritare non præsumat. Sed in anno semel aut bis ad Clerum Latinum sermonē faciat, si visum fuerit expedire. Et easdem clausulas credo Domini mei de capitulo Ecclesiæ majoris Constantiensis, tempore meo, fundationi suæ prædicaturæ pariter imposuerunt. Unde cùm Prædicator quilibet lucra animarum quærere debet in prædicationibus, melius est cum benevolentia Cleri & assensu eorum id fieri posse, quàm si indiscretè contra eos agendo exacerbaremus, & sic odibiles populo illos*

illos faceremus. Tacere ergo possumus, & loqui ea, quæ secundum Deum & nobis & alijs expedire videmus. Vitia autem Laicorum liberius arguimus, quia & patientius sustinent, & nesciunt literas, quibus instruantur quid debeant cavere vel facere, & minus periculum sequitur, si eorum in publico propalentur excessus, & facilius emendentur. Clericis autem possumus in capitulis suis seu collationibus aut Latinis sermonibus omnia pericula seorsum ostendere, cum reverentia charitatis, & maturitate benigna, & sic magis proficimus apud eos. Scimus utique, ex Apostolico Canone, cautè hic agendum, & monito Paulino; κατὰ πρεσβυτέρου κατηγορίαν μὴ παραδέχου, *1. Tim. 5. 19.* locum relinquendum: imo in Laicorum etiam reprehensione prudenter versandum, jubente eodem Paulo, πρεσβυτέρῳ μὴ ἐπιπλήξῃς, ἀλλὰ παρακάλει ὡς πατέρα, νεωτέρους ὡς ἀδελφούς; *Ib. v. 1.* Quomodo verò propterea vel per Iohannis Baptistæ, vel Apostolorum, vel ipsius etiam Christi exemplum teporem hunc in reprehendendis Clericorum vitiis manifestis, & in vulgus maximo cum scandalo & communium pœnarum periculo, notis (de talibus enim sermo est, ut ex collat. p. 273. 277. patet) tueri

ri possimus, non video; neque viderunt illi, quorum modò παῤῥησίαν audivimus.

XIII. Hæc autem tanta malorum ilias Ecclesiam Christi in eas conjecit angustias, ut, cùm Clerus, qui omnes sibi in ista causa sumebat partes, officium facere nollet, Imperii, liberarúmque Rerumpublicarum ordines, Majorum [a] suorum more, ingenuè & morbi pertinaciam fateri [b] & medicinam à Curia Romana flagitare; negatam ipsi ostendere cœperint: ita tamen ut nec momentum rei [c] expenderint satis, neq; assensum, [d] nisi in levissimis tantùm, ab Ecclesiæ Antistitibus, quibus reformationis consilia [e] à laicis suggesta, semper displicuerunt obtinuerint. Unde *secunda hac Periodo* neq; [f] doctrinā, neq; [g] regimen, neque ipsam [h] etiam vitā Romani Præsules ita castigârunt, ut reliquam illis purgandæ ab erroribus & abusibus Ecclesię curam Reformatores fortissimi commendare potuissent.

[a] Quisquis hospes in Ecclesiastica non fuerit, Histo-

storia, facilè dabit, multa Imperatorũ, Regum, Principum & Rerumpublicarum esse decreta, quibus vel luxata disciplina fuit arctiùs constricta, vel falsa dogmata sublata, vel ipsius etiam Pontificis Monarchia in ordinem redacta. Non sunt, fateor, ejusdem omnia vel momenti, vel authoritatis, pariter tamen illa docent, *cujus fuerit* (ex praxi illorum temporum loquor cum *Goldasto* Const. Imp. Tom. III. p. 164. in marg.) *Ecclesiam reformare, Imperatoris ne an Papa: & quis potestatem absolutam in Ecclesiasticos habuerit, Imperator ne an Papa.* Mittamus vetera veterum Orientis Imperatorum exempla: Notum est I. *Caroli Magni* capitulare de Reformatione Ecclesiæ & disciplinæ Christianę, statutum in Comitiis Aquisgranensibus an. Ch 789, *Gold.* Constit. Imperial. T. 3. p. 125. b, Ejusdem *constitutio*, de Episcoporum & universi ordinis sacri vacatione à muniis militaribus, a. Ch. 770. p. 132. c. *Capitulare* de Reformatione Monachorum, p. 139. d. De hoste, & pugna armis sacerdotibus prohibitis, an. Chr. 797. p. 142. e. Varia *capitula Ecclesiastica*, diversis locis & temporibus data, p. 152. f. Rescriptum de non adorandis imaginibus contra Græcos, factum in Concilio Francofordiensi 794. Tom. II. p. 3. Taceo ejus edictum an. Ch. 796. de disciplina Ecclesiastica & officio Episcoporum publicatum, quod ut est ab omni Idololatria liberum, & superstitione: ita tanto Principe dignissimum. II. Habetur *Ludovici Pii* Epist. ad Arnonem Saltzburgensem Achiepiscopum

pum,de reformatione abusuum Cleri,an.Ch.817. in Aquisgranensi Concilio edita.T.I.pag.12. & T. III.p.164. ipsa ordine recensetur Reformatio Ecclesiastica. Pag.220. ejusdem traditur Reformatio Monachorum: Ejusdem mandato sunt capitula,in Comitiis in Attiniaco celebratis, an.Ch.820.conscripta, per Principes Ecclesiasticos S.Romani Imperii p.236. *capitulare* sancitum in Comitiis Compendianis a.Ch.823.ab eodem,p 252. A.Ch.826. Idem jussit capitula quædam ex Patrum Decretis, & Imperatorum Edictis colligere,p.215. III. *Lotharii* I.a.Ch.844 datum *Recessum* legimus de superioritate Imperatoris, & obedientia Papæ & Vrbis Romæ,p.269. IV. A *carolo* II.seu Calvo habemus *capitula Spartacana*,an.Ch.845 p.270. *capitulare* de statu Ecclesiarum & rerum Ecclesiasticarum corrigendo,a.Ch.853.p.274. Ejusdem decreta per Synodum definita in conventu Tullensi,a.Ch.859.p. 278.& decretalis Synodi Duziacensis, de auctoritate Synodorum, & ut singularum provinciarum Episcopi suas causas finaliter dijudicent,nec cogantur eas ad Papam mittere judicandas. Ejusdem etiam commatis est statutum Synodi Pontigonensis an.Ch.876. de Electione Imperatoris,Primatu per Gallias,& Germanias, & appellationem Presbyterorum ad sedem Romanam,quæ improbatur, p.291. Omnia hæc Caroli Calvi authoritate constituta sunt. Ejusdem extat Epistola a.Ch.871.ad Adrianum II.Pontificem Romanum, de potestate regia,seu Imperatoria,auctoritate Papæ, & jurisdictione utriusque regiminis. Apologia est, qua & jus

jus suum Carolus asserit,& Pontificis fastum & insolentiam pro merito flagellat, Immunitatem Episcoporum damnat, Papæ leges iniquitatis, injustitiæ & impietatis accersit, Papam statutis Imperialibus subjicit, Imperii & Ecclesiæ officia distinguit, Papam sacris Scripturis, Decretis Patrum, & legibus Imperialibus contraria decernentem non esse audiendum definit. V. *Otto* I. depositione Iohannis XII.& electione Leonis VIII. probavit,quibus cancellis Papatûs dominium & jurisdictionem astrictam & inclusam voluerit. Recensentur acta Concilii Romæ ea de causa a.Ch.963. habiti à *Goldasto*, Constit.Imperial.T.I.p.30.&deinc. Comentaria verò a.Ch. 1418. *Theodorici à Niem*, Episcopi Verdensis & Cameracensis conscripta in Bullam Leonis VIII. pro Otthone I. de jure & potestate eligendi summum Pontificem, & ordinandi Apostolicam sedem, dignitatemque Patriciatus, insuper Archiepiscoporum & Episcoporum Investituras, p.34. Ejusdem statuta Ecclesiastica in comitiis Ingelenhemensibus an.Chr.948.habet T.III.p.305. In comitiis Augustanis an.Chr.952.p.307. Acta Concilii Romani II.ab Otthone I. & Leone VIII. celebrati an.Chr.964.p.309. VI.*Ottho* III. constitutionem an.Ch 998. de jure ac potestate Imperii, de donatione Constantini &c. factam ita fere exorditur: *Romam caput Mundi profitemur, Romanam Ecclesiam matrem omnium Ecclesiarum esse testamur; sed incuriâ & inscitia Pontificum longè suæ claritatis titulos obfu-*

fuscâsse. Nam non solùm quæ extra Urbem esse videbantur, vendiderunt, & quibusdam colludijs à lare S. Petri alienaverunt; sed (quod absque dolore non dicimus) si quid in hac nostra Urbe Regia habuerunt ut majori licentia evagarentur, omnibus indicantes pecunia in commune dederunt, & S. Petrum & S. Paulum, ipsa quoque altaria spoliaverunt, & pro reparatione semper confusionem duxerunt. Confusis verò Papaticis legibus, & jam abjecta Ecclesia Romana, in tantum quidam Pontificum irruerunt, ut maximam partem Imperij nostri Apostolatui suo conjungerent, &c. Hæc sunt commenta ab illis ipsis inventa, quibus Johannes Diaconus cognomento Digitorum mutuis præceptum aureis literis scripsit: sub titulo Magni Constantini longi mendacij tempora finxit. Hæc sunt etiam commenta, quibus dicunt, quendam Carolum (Calvum intelligit) *sancto Petro nostra publica tribuisse. Sed ad hæc respondemus, ipsum Carolum nihil jure dare potuisse.* Id. p. 40. VII. De *Henrico* IV. plurimisque cum illo facientibus Episcopis, res est certior, quàm quæ demonstrationum indigeat lumine, multa ei in

in Papa displicuisse. Consule *Gold.* Tom. III. pag. 314. *Rescriptum* ad Gregorium VII. Pontificem Romanum de inversione rerum Ecclesiasticarum & Simoniaca labe ab Ecclesiis extirpanda; an. Ch. 1073. P. 315. Edictum Synodi Romanæ Henrici IV. mandatu congregatæ, de Gregorij Papæ, ob hæreseos, Schismatis, & seditionis crimen depositione P. 316. *Henrici IV. mandatum* de reformanda pace Imperij & Ecclesiæ, a. Ch. 1105, P. 317. De injuriis, sibi, fraude Romani Pontificis, illatis, & injusta sua degradatione, a. Ch. 1106. Idem T. I. p. 45. commemorat Acta Comitiorum VVormatiensium in causa Henrici IV. & Gregorij VII. celebratorum an. Ch. 1077. *Fragmentum* Comitiorum Brixiæ contra Gregorium VII. an. Ch. 1080. habitorum, pag. 49. *Epistolas* ipsius Imperatoris aliquot de Papæ tyrannide. VIII. *Henricus V.* contra Paschalem pro jure investituræ, quod & obtinuit, acriter pugnavit: *Id.* pag. 53. *Lotarij III.* habetur *rescriptum* ad Abbatem Casinensem, petentem, ut Imperator ea, quæ sunt juris Imperij contra Papam vendicaret, & ipsum Innocentium Papam, suos Monachos exagitantem excommunicationibus, omnesque è loco dispergere minitantem, in defensione Imperiali tueretur, a. Ch. 1136. *Id.* T. III. pag. 320. Ibidem inseruit Acta comitiorum Aquaspensilium in causa Papæ cum Petro Abbate Casinensi coram Lothario III. a. Ch. 1137. X. *Friderici I.* Barbarossæ rescriptum de jure Imperat. in urbem Romam a. Ch. 1155. vide T. III. pag. 333. collationem inter Imperatorē & Papam a. Ch. 1159. pag. 337. Rescriptum

Mmm

ad Schismaticos Cardinales an.Ch.1165.pag.341. Acta comitiorum Geilenhusensium an. Ch.1184. T.II.pag.50. Idem Imperator brevi Epistola, quid de Papæ fastu, Apostasia à majorum vestigiis, Cardinalium vita scelerata (quos ajt esse *non prædicatores, sed prædatores; non pacis corroboratores, sed pecuniæ raptores, non orbis reparatores; sed auri insatiabiles corrasores*) senserit, palàm fecit. Aliâ, ad Principes, Epistolâ, an.Ch.1157. datâ, negat Imperatorem Imperium tenere à Papa. Et cùm Adrianus IV. Archiepiscopis & Episcopis Germaniæ exprobrâsset, Cardinales, Legatos suos, indignè in Germania præsertim à Friderico fuisse tractatos, respondent; *Cardinales è finibus terræ suæ exire non coëgisse, in dedecus tamen & scandalum Imperij sui prodire eos noluisse. Introitum & exitum Italiæ nec clausisse edicto, nec claudere aliquo modo velle peregrinantibus, vel pro suis necessitatibus rationabiliter cum suo testimonio Episcoporum & Prælatorum suorum Romanam sedem adeuntibus: Sed illis abusionibus, quibus omnes Ecclesiæ regni sui gravatæ & attenuatæ sint; & omnes penè claustrales disciplinæ emortuæ & sepultæ, obviare intendere.* Ortum in Ecclesia Romana an.Ch.1159. Schisma Fridericus Concilio

Pa-

Papiensi tollere studuit. In Epistolâ suâ, qua Episcopos Transmontanos ad Concilium vocavit, fatetur, *Cardinales, non quæ Dei sunt, sed sua quærentes, & unitatem Ecclesiæ scindentes duos Pontifices elegisse.* XI. Testantur etiam *Henrici II.* Anglorum Regis constitutiones an. Ch. 1164. in comitiis Imperialibus Herbipolensibus ab Imperatore Friderico confirmatæ, nihil vel suis, vel sibi cum Papæ Monarchia negotij fuisse, & ut ne unquam esset, legibus cavisse; *Gold.* T. III. p. 345. & 349. XIII. Sed & in libro Rescriptorum *Friderici II.* (de quibus Idem T. II. pag. 51.) & in mandatis, de injuriis Romanorum Pontificum in Imperatorem & Principes Imperii, injustáque eorundem tyrannide & usurpatione, a Ch. 1227. (T. III. pag. 372.) 1239. 1243. 1244. fusè probavit, quo loco Pontifices haberet degeneres, & bruta illorum fulmina. XIII. *Conradinus* an. Ch. 1268. querimoniá ad Principes Imperij, de injuriis sibi per Pontifices Romanos illatis, testari voluit, quàm parùm digna præstet Papa, Ecclesiæ Ministro, officia. Aliquid saltem excerpere ex illa liceat Epistola: *Sed audite*, inquit, *qualiter iste summus Pontifex, qui erat dictus Innocentius, nocuit innocenti. Nam repente plus quàm decuerit Papam, ut ardentibus desideriis æstuabat, quod à Patre nostro in parte remanserat, & pro nobis pacificè tenebatur, hæreditarium*

tuano, ejusque Paraphrasta, tum ex Actis *Archiepiscopi Craynensis* citavimus Sec. superiori, pag. 202. & 368. Quòd si cui Poëtæ mæandri difficiliores videantur, Oedipum habet in eodem Paraphrasta, ex quo sensum verborum sequentem elicimus: *Sixte Pastor ovium, quas Christus, qui animam suam posuit pro ovibus moriens, abluit sanguine effuso, fac ut damnosa licentia & impunitas vivendi nostræ ætatis, quam parit negligentia presbyterorum seu Cardinalium & Pontificum, & simul accessum aperit sceleri, morésque sinceros aspernatur. (Nam quia negligenter agunt Patres & impune peccatur, præbet eorum negligentia aditum ad vitia:) Fac ut talis licentia sentiat potestatem tuam Ecclesiasticam. Reprime hanc vitem seu propaginem luxuriæ impunitæ. Alludit autem Poëta ad vineam Domini, quam incultam dicit non solùm non afferre fructus bonos, sed etiam efficere atque nocere pampinorum luxurie, hoc est, Prælatorum luxuriam non solum non prodesse quibus præsunt, sed multum obesse, cùm ab eis capiatur turpis vitæ exemplar. Per animalia quæ enumerat rapacia, intelliguntur varia vitiorum genera. Pietas autem, id est,*

est, religio & pius cultus Dei, & fides scilicet Christiana pessum eunt. Et postquam scelera, quæ cum triumpho in Ecclesia Romana grassantur, recensuisset; effecta enarrat, varias Dei pœnas, quibus in subditos etiam animadvertit ἔκδικον Θεοῦ ὄμμα.

Ista movent superos, vocat hoc scelus æthere ab alto,
Bella, famem, & diri genus insuperabile morbi.

Docet hic, inquit Paraph. *quæ mala ob Prælatorum culpam inferantur, dolens, gregem, id est, plebem illis commissam, ob eam tam diris malis affligi. Verùm, si dicas, iniquum esse, subditos ob Prælatorum scelera plecti, cùm tamen in Deo nulla sit iniquitas? Dicam, peccata unius nō obesse alteri, nisi temporaliter, sicut peccata Patrum non nocent filijs nisi in temporalibus, aut temporali pœna, pro qua si eam ob honorem Dei patienter ferunt, corona reponitur æterna. Posse tamen fieri, ut peccata superiorum noceant inferioribus, utpote si illis consenserint, ut peccatum Luciferi complicibus ejus. Tanta autem est nunc humana natura, videlicet depravata fragilitas, ut difficile sit subditis majorum sceleribus non infici. Nam ab*

illis ferè exempla sumunt. Hanc vitiorum impunitatem, cui rectius feramus acceptam, quàm 1. *immunitati & exemtioni Ecclesiasticæ*, quâ sacerdotes collum Magistratuum jugo planè subduxerunt, nemini actionum suarum, nisi Papæ & Episcopis, rationem reddere parati. *Parati*, inquam, coacti enim & in ordinem redacti nonnunquam in Helvetia & Germania, causæ cognitionem, & multas impositas declinare non potuerunt. De Helvetiorum consuetudine egimus *Meth. legend. Hist. Helvet.* p. 545. Idem de Germanis nobis largietur *Bebelius*, ex quo vel unum dedisse exemplum satis erit. *Quidam Abbas*, inquit, *quandam puellam devirginavit, cujus satietatem cùm cepisset, expulit eam indotatam, & rerum omnium egenam à se, quæ repulsam, egestatem, atque profanatam pudicitiam ægrè ferens, herum & dominum suum naturalem (ut loquimur) adivit, hominem nobilem, & mihi notissimum, cui conqueritur rem gestam: Nobilis, cùm nec precibus nec minis per internuncios pro vitio virginis quicquam extorquere posset, tandem & ipse Abbatem accessit, atque virgini quadraginta aureos summa acerbitate postulavit. Abbas timens hominis sibi noti ferocitatem, iracundiam & pertinaciam, dixit: In suis statutis*

&

& regula (ut ipsi loquuntur) contineri pro stupro nulli puellæ ultra 20. aureos dari debere: cui nobilis. In regula vestra hoc continetur? Proh Deorum atque hominum fidem, quæ est ista regula, quæ religio, quæ non de continentia, & sanctimonia vitæ, sed de turpitudine instituta dedit! Peream, nisi summus nebulo, impostórque profanus fuerit talis institutor. Cui Abbas. Noli, inquit, in tam sanctos Patres acerbius loqui, præsertim cùm summi Pontificis consensus & confirmatio accesserit. Ad hoc nobilis: Per N. nec Patres, nec Papa probus. Et quid ad me, quid tibi Papa concesserit? Confirmavi ne ego? ut aliquid vobis Papa in meum, meorúmque præjudicium & jacturam concesserit? Non sic, pater sancte: quare, nisi brevi satisfeceris mihi, nec Papa, nec regula tua satis te defendet. Atque ita abiens publicas inimicitias Abbati indixit, nec ante reconciliatus est, quàm Abbas centum aureos, domum, atque rustica prædia puellæ in dotem dederit, dum in principio ultra 10. aureos non postulaverit. 2. Sacro illi silentio, quod in reprehendendis Cleri vitiis suis commen-

dant & injungunt. Repete quæ ex Ioh. *Vlrico Surgant* produximus suprà, pag. 273. 277. quod aliis paulò verbis tradit. Consid. 16. p. 39. *De spiritualium correctione cautè procedatis in sermonibus ad populum, quia cum valde infestos laicos clericis tradit antiquitas, ut dicitur in C. clericis de immun. Eccles. lib. 6. & C. Laicos, & C. Laici 2. q. 7. non oportet invehere contra Clericum indiscretè in præsentia populi. Propterea Domini de capitulo Ecclesiæ Majoris Basileensis in fundatione prædicaturæ Cathedralis Ecclesiæ suæ posuerunt istam clausulam: Item, quòd prædicans pro tempore, populum contra Clerum irritare non præsumat. Sed in anno semel aut bis ad Clerum Latinum sermonẽ faciat, si visum fuerit expedire. Et easdem clausulas credo Domini mei de capitulo Ecclesiæ majoris Constantiensis, tempore meo, fundationi suæ prædicaturæ pariter imposuerunt. Unde cùm Prædicator quilibet lucra animarum quærere debet in prædicationibus, melius est cum benevolentia Cleri & assensu eorum id fieri posse, quàm si indiscretè contra eos agendo exacerbaremus, & sic odibiles populo*

illos faceremus. Tacere ergo possumus, & loqui ea, quæ secundum Deum & nobis & aliis expedire videmus. Vitia autem Laicorum liberius arguimus, quia & patientius sustinent, & nesciunt literas, quibus instruantur quid debeant cavere vel facere, & minus periculum sequitur, si eorum in publico propalentur excessus, & facilius emendentur. Clericis autem possumus in capitulis suis seu collationibus aut Latinis sermonibus omnia pericula seorsum ostendere, cum reverentia charitatis, & maturitate benigna, & sic magis proficimus apud eos. Scimus utique, ex Apostolico Canone, cautè hic agendum, & monito Paulino; κατὰ πρεσβυτέρου κατηγορίαν μὴ παραδέχου, 1. *Tim.* 5. 19. locum relinquendum: imo in Laicorum etiam reprehensione prudenter versandum, jubente eodem Paulo, πρεσβυτέρῳ μὴ ἐπιπλήξῃς, ἀλλὰ παρακάλει ὡς πατέρα, νεωτέρους ὡς ἀδελφούς; *Ib.* v. 1. Quomodo verò propterea vel per Iohannis Baptistæ, vel Apostolorum, vel ipsius etiam Christi exemplum teporem hunc in reprehendendis Clericorum vitiis manifestis, & in vulgus maximo cum scandalo & communium pœnarum periculo, notis (de talibus enim sermo est, ut ex collat. p. 273. 277. patet) tueri

ri possimus, non video; neque viderunt illi, quorum modò παῤῥησίαν audivimus.

XIII. Hæc autem tanta malorum ilias Ecclesiam Christi in eas conjecit angustias, ut, cùm Clerus, qui omnes sibi in ista causa sumebat partes, officium facere nollet, Imperii, liberarúmque Rerumpublicarum ordines, Majorum [a] suorum more, ingenuè & morbi pertinaciam fateri [b] & medicinam à Curia Romana flagitare; negatam ipsi ostendere cœperint: ita tamen ut nec momentum rei [c] expenderint satis, neq; assensum, [d] nisi in levissimis tantùm, ab Ecclesiæ Antistitibus, quibus reformationis consilia [e] à laicis suggesta, semper displicuerunt obtinuerint. Unde *secunda hac Periodo* neq; [f] doctrinã, neq; [g] regimen, neque ipsam [h] etiam vitã Romani Præsules ita castigârunt, ut reliquam illis purgandæ ab erroribus & abusibus Ecclesię curam Reformatores fortissimi commendare potuissent.

[a] Quisquis hospes in Ecclesiastica non fuerit, Histo-

toria, facilè dabit, multa Imperatorū, Regum, Principum & Rerumpublicarum esse decreta, quibus vel luxata disciplina fuit arctiùs constricta, vel falsa dogmata sublata, vel ipsius etiam Pontificis Monarchia in ordinem redacta. Non sunt, fateor, ejusdem omnia vel momenti, vel authoritatis, pariter tamen illa docent, *cujus fuerit* (ex praxi illorum temporum loquor cum *Goldasto* Const. Imp. Tom. II. p. 164. in marg) *Ecclesiam reformare, Imperatoris ne an Papa: & quis potestatem absolutam in Ecclesiasticos habuerit, Imperator ne an Papa.* Mittamus vetera veterum Orientis Imperatorum exempla: Notum est I. *Caroli Magni* capitulare de Reformatione Ecclesiæ & disciplinæ Christianę, statutum in Comitiis Aquisgranensibus an. Ch 789, *Gold.* Constit. Imperial. T. 3 p. 125. b, Ejusdem *constitutio*, de Episcoporum & universi ordinis sacri vacatione à muniis militaribus, a. Ch. 770. p. 132. c. *Capitulare* de Reformatione Monachorum, p. 139. d. De hoste, & pugna armis sacerdotibus prohibitis, an. Chr. 797. p. 142. e. Varia *capitula Ecclesiastica*, diversis locis & temporibus data, p. 152. f. Rescriptum de non adorandis imaginibus contra Græcos, factum in Concilio Francofordiensi 794. Tom. II. p. 3. Taceo ejus edictum an. Ch. 796. de disciplina Ecclesiastica & officio Episcoporum publicatum, quod ut est ab omni Idololatria liberum, & superstitione; ita tanto Principe dignissimum. II. Habetur *Ludovici Pii* Epist. ad Arnonem Saltzburgensem Achiepiscopum

pum,de reformatione abusuum Cleri,an.Ch.817. in Aquisgranensi Concilio edita. T.I.pag.12. & T. III.p.164. ipsa ordine recensetur Reformatio Ecclesiastica. Pag.220. ejusdem traditur Reformatio Monachorum; Ejusdem mandato sunt *capitula*, in Comitiis in Attiniaco celebratis, an.Ch.820.conscripta, per Principes Ecclesiasticos S.Romani Imperii p.236. *capitulare* sancitum in Comitiis Compendianis a.Ch.823.ab eodem,p 252. A.Ch.826. Idem jussit capitula quædam ex Patrum Decretis, & Imperatorum Edictis colligere,p.215. III. *Lotharii* I.a.Ch.844 datum *Recessum* legimus de superioritate Imperatoris, & obedientia Papæ & Vrbis Romæ,p.269. IV. A *carolo* II.seu Calvo habemus *Capitula Spartacana*,an.Ch.845 p.270. *capitulare* de statu Ecclesiarum & rerum Ecclesiasticarum corrigendo,a.Ch.853.p.274. Ejusdem decreta per Synodum definita in conventu Tullensi,a.Ch.859.p. 278.& decretalis Synodi Duziacensis, de auctoritate Synodorum, & ut singularum provinciarum Episcopi suas causas finaliter dijudicent,nec cogantur eas ad Papam mittere judicandas. Ejusdem etiam commatis est statutum Synodi Pontigonensis an.Ch.876. de Electione Imperatoris,Primatu per Gallias,& Germanias, & appellationem Presbyterorum ad sedem Romanam,quæ improbatur, p.291. Omnia hæc Caroli Calvi authoritate constituta sunt. Ejusdem extat Epistola a.Ch.871.ad Adrianum II.Pontificem Romanum, de potestate regia,seu Imperatoria,auctoritate Papæ, & jurisdictione utriusque regiminis. Apologia est, qua & jus

jus suum Carolus asserit, & Pontificis fastum & insolentiam pro merito flagellat, Immunitatem Episcoporum damnat, Papæ leges iniquitatis, injustitiæ & impietatis accersit, Papam statutis Imperialibus subjicit, Imperii & Ecclesiæ officia distinguit, Papam sacris Scripturis, Decretis Patrum, & legibus Imperialibus contraria decernentem non esse audiendum definit. V. *otto* I. depositione Iohannis XII. & electione Leonis VIII. probavit, quibus cancellis Papatûs dominium & jurisdictionem astrictam & inclusam voluerit. Recensentur acta Concilii Romæ ea de causa a. Ch. 963. habiti à *Goldasto*, Constit. Imperial. T. I. p. 30. & deinc. Comentaria verò a. Ch. 1418. *Theodorici à Niem*, Episcopi Verdensis & Cameracensis conscripta in Bullam Leonis VIII. pro Otthone I. de jure & potestate eligendi summum Pontificem, & ordinandi Apostolicam sedem, dignitatemque Patriciatus, insuper Archiepiscoporum & Episcoporum Investituras, p. 34. Ejusdem statuta Ecclesiastica in comitiis Ingelenhemensibus an. Chr. 948. habet T. III. p. 305. In comitiis Augustanis an. Chr. 952. p. 307. Acta Concilii Romani II. ab Otthone I. & Leone VIII. celebrati an. Chr. 964. p. 309. VI. *ottho* III. constitutionem an. Ch 998. de jure ac potestate Imperii, de donatione Constantini &c. factam ita fere exorditur: *Romam caput Mundi profitemur, Romanam Ecclesiam matrem omnium Ecclesiarum esse testamur; sed incuriâ & inscitia Pontificum longè suæ claritatis titulos obfu-*

fuscâsse. Nam non solùm quæ extra Urbem esse videbantur, vendiderunt, & quibusdam colludijs à lare S. Petri alienaverunt; sed (quod absque dolore non dicimus) si quid in hac nostra Urbe Regia habuerunt ut majori licentia evagarentur, omnibus indicantes pecunia in commune dederunt, & S. Petrum & S. Paulum, ipsa quoque altaria spoliaverunt, & pro reparatione semper confusionem duxerunt. Confusis verò Papaticis legibus, & jam abjecta Ecclesia Romana, in tantum quidam Pontificum irruerunt, ut maximam partem Imperij nostri Apostolatui suo conjungerent; &c. Hæc sunt commenta ab illis ipsis inventa, quibus Johannes Diaconus cognomento Digitorum mutuis præceptum aureis literis scripsit; sub titulo Magni Constantini longi mendacij tempora finxit. Hæc sunt etiam commenta, quibus dicunt; quendam Carolum (Calvum intelligit) *sancto Petro nostra publica tribuisse. Sed ad hæc respondemus, ipsum Carolum nihil jure dare potuisse.* Id.p.40. VII. De *Henrico* IV. plurimisque cum illo facientibus Episcopis, res est certior, quàm quæ demonstrationum indigeat lumine, multa ei in

in Papa displicuisse. Consule *Gold.* Tom. III. pag. 314. *Rescriptum* ad Gregorium VII. Pontificem Romanum de inversione rerum Ecclesiasticarum & Simoniaca labe ab Ecclesiis extirpanda; an. Ch. 1073. P. 315. Edictum Synodi Romanæ Henrici IV. mandatu congregatæ, de Gregorij Papæ, ob hæreseos, Schismatis, & seditionis crimen depositione P. 316. *Henrici IV. mandatum* de reformanda pace Imperij & Ecclesiæ, a. Ch. 1105, P. 317. De injuriis, sibi, fraude Romani Pontificis, illatis, & injusta sua degradatione, a. Ch. 1106. Idem T. I. p. 45. commemorat Acta Comitiorum VVormatiensium in causa Henrici IV. & Gregorij VII. celebratorum an. Ch. 1077. *Fragmentum* Comitiorum Brixiæ contra Gregorium VII. an. Ch. 1080. habitorum, pag. 49. *Epistolas* ipsius Imperatoris aliquot de Papæ tyrannide. VIII. *Henricus V.* contra Paschalem pro jure investituræ, quod & obtinuit, acriter pugnavit: *Id.* pag. 53. *Lotarij III.* habetur *rescriptum* ad Abbatem Casinensem, petentem, ut Imperator ea, quæ sunt juris Imperij contra Papam vendicaret, & ipsum Innocentium Papam, suos Monachos exagitantem excommunicationibus, omnesque è loco dispergere minitantem, in defensione Imperiali tueretur, a. Ch. 1136. *Id.* T. III. pag. 320. Ibidem inseruit Acta comitiorum Aquaspensilium in causa Papæ cum Petro Abbate Casinensi coram Lothario III. a. Ch. 1137. X. *Friderici I.* Barbarossæ rescriptum de jure Imperat. in urbem Romam a. Ch. 1155. vide T. III. pag. 333. collationem inter Imperatorē & Papam a. Ch. 1159. pag. 337. Rescriptum

Papiensi tollere studuit. In Epistolâ suâ, qua Episcopos Transmontanos ad Concilium vocavit, fatetur, *Cardinales, non quæ Dei sunt, sed sua quærentes, & unitatem Ecclesiæ scindentes duos Pontifices elegisse*. XI. Testantur etiam *Henrici II.* Anglorum Regis constitutiones an. Ch. 1164. in comitiis Imperialibus Herbipolensibus ab Imperatore Friderico confirmatæ, nihil vel suis, vel sibi cum Papæ Monarchia negotij fuisse, & ut ne unquam esset, legibus cavisse; *Gold.* T. III. p. 345. & 349. XIII. Sed & in libro Rescriptorum *Friderici II.* (de quibus Idem T. II. pag. 51.) & in mandatis, de injuriis Romanorum Pontificum in Imperatorem & Principes Imperii, injustâque eorundem tyrannide & usurpatione, a Ch. 1227. (T. III. pag. 372.) 1239. 1243. 1244. fusè probavit, quo loco Pontifices haberet degeneres, & bruta illorum fulmina. XIII. *Conradinus* an. Ch. 1268. querimoniâ ad Principes Imperij, de injuriis sibi per Pontifices Romanos illatis, testari voluit, quàm parùm digna præstet Papa, Ecclesiæ Ministro, officia. Aliquid saltem excerpere ex illa liceat Epistola: *Sed audite*, inquit, *qualiter iste summus Pontifex, qui erat dictus Innocentius, nocuit innocenti. Nam repente plus quàm decuerit Papam, ut ardentibus desideriis æstuabat, quod à Patre nostro in parte remanserat, & pro nobis pacificè tenebatur; hæreditarium*

regnum nostrum, quod dudum antiquitus progenitores nostri propriis assecutum sanguinibus, cum multis quæsivere laboribus, quæsitum possidere diutiùs, possessum variis decoraverunt ornatibus, & diversis decoribus ornaverunt & sub prætextu licito, quòd se nostrum in eo bajulum prætendebat, totum suo dominio vindicavit confestim, verùm tamen apprehensa possessione prævium intentionis nephandæ propositum manifestans, & dicti regni tanquam in ejus Regem in se præcisè transferens potestatem, paulatim nomen ibidem delere nostrum, extinguere fidem nostram, & jura populi Regis suffocare perpetuò satagebat: adeò de nobis non sinebat fieri mentionem: & in terras nostras munificè distribuere cœpit in suos consanguineos & nepotes, velut qui corrigias partiebatur in amplas corium alienum. Ecce qualem proch dolor, in nobis exercuit pietatem! Ecce quomodo nostræ tutelæ decenter officio satisfecit! O sæva Patris acerbitas, quæ filium sine fraude dotis vel filium suis curis expositum, sine cura post posuit, qui filium innoxium sed potius

tius obnoxium exhæredationis pœna perpetua condemnavit. Id. p. 88. XIII. *Ludovicus Bavarus*, ab an. Ch. 1324. & deinceps seriò Monachicis se opposuit, & ut Synodicè decrevit, *Imperium non esse à Papa, sed immediatè à solo Deo; Imperij & Ecclesiæ distincta jura, Papa processum & Deo, & justitiæ, & juris ordini contrariari*; ita edita ubiq; appellatione demonstravit, *Imperatoribus Pontificē debere splendorem suum, & externi dominij commoda Papam, si præcipiat non obedire suo Domino, vel statuat contra Deum & S. Sc. non esse audiendum; Concilium esse supra Papam; à Papa ad Concilium posse appellari.* Decretum idem fecit a Ch 1338. *de Imperatoria Majestate, & quòd sit Imperator, qui ab Electoribus est electus, etsi à Papa non sit unctus, consecratus, & coronatus*: T. III. p. 409. Edictum item vulgavit eodem anno; *de Potestate, officióque Imperatoris & tyrannide Papæ, adversus acta* Ioh. XXII. pag. 410. & P. II. pag. 390. Sed & *Eduardus III.* Angliæ Rex, sub Ludovico Imperij vicarius generalis & postea Romanorum Rex, adversus sedem Romanam scripsit, an. Chr. 1344. Id. pag. 411. XV. *VVenceslaus* an. Ch. 1396. edictum divulgavit de Papæ & Sa-

cerdotũ corrupto statu emendando, & unitate Ecclesiastica restauranda: T.II p.90. XVI. *Carolus VI.* Francorum Rex, ejúsque vicarius edicto conquesti sunt de exactionibus, annatis, & gravaminibus per Papam impositis, an. Ch. 1407. T. III. pag. 421. Cujus παῤῥησίαν etiam expresſit, successor ei ζυνώνυμος Carolus VIII. edicto contra Alexandrum VI. publicato, a. Ch. 1495: 12. Jul. Id. p. 482. XVII. *Sigismundus*, quò propior fuit Reformationi, eò Ecclesiæ Romanæ plures exprobrare potuit nævos tum in Constantiensi, tum etiam in Basileensi Concilio. Et illi quidem, an. Ch. 1416. in ipso statim Actionis limine commendavit capita 8. quorum ἐπιγραφὴ talis est: *Avisamenta Constantiensia per Deputatos Provinciarum Nationis Germanicæ concepta in Concilio Constantiensi, & postea, per Deputatos ejusdem nationis audita, super materia Apostolicarum reservationum, & collatione beneficiorum hactenus per summos Pontifices & ordinarios Collatores practicanda.* Quibus mox an. Ch. 1417. *Avisamenta Moguntina* adjuncta, gravaminum numerum & cumulum augent. Quæ paulò post an. Ch. 1436. *Reformationi Sigismundi*, id est, ijs quæ in Concilio Basileensi reformari voluit Sigismundus, occasionem dederunt. Capita reformationis recenset *Gold.* lib. c. pag. 170. Consensum verò ipsius Basileensis Concilij pag. 202. & *Concordata Nationis Germanicæ cum sede Romana*, an. Ch.

Chr. 1447. concordante Friderico III. pag. 207 Gravamina Nationis Germanicæ ante Reformationem edita, & Maximiliano, cum antidoto seu remedio, oblata, ex avaritia & quęstu inordinato pullulantia, exhibet *Fascicul. rer. expetendarum ac fugiendarum* p. 167. & deinc. Decuria querelarum talis est. *1. Quòd ad servandas Bullas, pacta, privilegia, & literas ab antecessoribus, absque omni derogatione concessas, successores Pontifices teneri se non arbitrantur, imò per crebras dispensationes, suspensiones, revocationes, ad cujuscunque etiam vilis personæ instantiam contraveniunt. 2. Quod electiones Prælatorum quandoque rejiciuntur. 3. Quod electionibus præpositurarum, quas quarundam Ecclesiarum capitula multo ære impetrârunt, contravenitur. Spira scit & Hasela, cujus Bulla de eligendo Præposito enervata est, eo adhuc superstite qui dederat. 4. Quòd beneficia & dignitates majores Cardinalibus & Protonotarijs reservantur. 5. Quòd expectativæ gratiæ absque numero conceduntur, & multæ interdum ad unum collatorem. Unde surgunt quotidianæ lites, & pecuniæ dilapidantur. Tum illæ quæ pro Bullis gratiarum (quæ*

nunquam effectum sortientur) exposita sunt, tum illæ, quæ pro litibus deducendis consumuntur. Inde apud quosdam ortum est proverbium: Quisquis gratiam expectativam ab urbe extraxerit, centum aut ducentos aureos nummos in cistam simul ad ipsam gratiam reponat, quibus ad prosequendam litem opus habebit. 6. Quòd annatæ absque dilatione & sine misericordia, etiam Episcopis intra paucos annos mortuis, exiguntur. Interdum plusquam debeatur, extorquetur, propter nova officia, & novos familiares. Exemplum de Moguntina, & Argentinensi Ecclesiis. 7. Ecclesiarum regimina minus dignis (Romæ videlicet) committuntur, qui ad mulos magis, quàm homines pascendos & regendos essent idonei. 8. Indulgentiæ novæ cum revocatione aut suspensione veterum, Laicis contra clerum murmurantibus, ad corradendas pecunias conceduntur. 9. Decimæ sub prætextu expugnandorum Turcarum exiguntur, nulla expeditione subsecuta. 10. Causæ, quæ in Germania, in qua & docti & justi judices, terminari poterant, ad tribunalia Romam in-

indistinctè trahuntur. Quod S. Bernhardus ad Eugenium Papam scribens valde reprobare videtur. Atque sic luce meridianâ clarius apparet, longo temporum flexu & fluxu receptum fuisse, ut Rescriptis, Epistolis, Edictis, Synodis suam pro Ecclesia curam Imperatores, Reges, Principes demonstrarent. Nec proinde Majorum vestigia deseruisse, qui majori studio & successu idem probârint tempore Reformationis. Sed surdis eos narrâsse fabulas, eventus probavit, & repetitæ hoc seculo querelæ.

[b] Id enim fecerunt 1. *Germani*, quorum Gravamina, centum numero, Norimbergæ in Comitijs Papæ Legato proposita testimonium perhibent, corruptissimos fuisse seculi mores, & disciplinam miserè depravatam. *Primum versatur circa constitutiones humanas, quæ dum dispensationibus Romæ redimuntur, omnem iniquitatem procreant, & nos nostro ære privant*: quo referunt *matrimoniorum innumera excogitata obstacula, ex affinitatis, publicæ honestatis cognatione, Spirituali, legalique, & consanguinitatis tam multis gradibus originem trahentia: Interdictum item ciborum, quos Deus ad hominis necessitatem creavit. Hæc eo usque ligare homines, donec pecunia sibi harum legum gratiam à Statuentibus impetrent, ut ita pecunia faciat divitibus licitum, quod tenuibus*

gratis sit prohibitum. Domestica hujus mercaturæ exempla pete ex *Anal.*P.I.pag.61. II. De *nuptijs* pro pecunia celebrandis tempore interdicto: *ubi nempe à Dominica septuagesima, sub quadragesimæ initium Ecclesia nuptias interdicit, sed ita demum, si quis gratis hoc facere intendat; Quod si nummi spes refulserit, jam quod primum erat prohibitum, impune ac liberè facere licet.* III. De *nundinationibus, quæ perperam exercentur in Indulgentijs. Intolerabile* vocant *onus, quando sub persona pietatis, quum aut Basilicas Romanas construere, aut profectionem in Turcas parare polliciti sunt Romani Pontifices, omnem à simplicibus, nimiúmque credulis Germanis exauxerunt pecuniarum medullam. Et quod longè majoris est faciendum, per has imposturas, ac earum conductitios præcones & prædicatores, profligata est Germana Christianorum pietas, dum qui extrudere volebant venales suas bullas laudes suos mercibus occinebant, miras & inauditas condonari peremptitias has condonationes, nedum noxas præteritas aut futuras viventium, sed & defunctorum vita existentium in purgatorio (quod vocant Cantores illi*

illi Indulgentiarum) ignis, modò numeraretur aliquid, modò tinniat dextera. Atque his mercium nundinationibus simul & spoliata est ære Germania, & Christi pietas extincta, quando quilibet pro pretij, quod in has merces expenderat, modo, peccandi impunitatem sibi pollicebantur. Hinc stupra, incestus, adulteria, perjuria homicidia, furta, rapinæ, fænora, ac tota malorum lerna semel originem sibi traxerunt. Simoniaca hæc Nugi vendulorum impietas quò eruperit, & quàm justam querendi Germaniæ Principes occasionem habuerint, plenius disces ex verbis *Petri Numagen,* sup. Sec. X V. pag. 529. ex autographo recitatis. Neque in Anglia, ubi pecuniam à plebe sub hoc religionis prætextu turpissimi nebulones extorserunt, palmam Germanis Institoribus cesserunt; *Hen. de Knygthon* Can. Leycest. de event Angl. l. 5. An. D. 1382. *Dominus Henricus le Spenser, Episcopus Norvvicensis perrexit cum cruciata contra adhærentes Papæ Clementi: nam Francia, Scotia, Flandria, & multæ aliæ nationes favebant & adhærebant Anti-Papæ prædicto. Collegerat namque dictus Episcopus innumerabilem & incredibilem summam pecuniæ, auri & argenti, atque joca-*

calium, monilium, discorum, peciarum, cochlearium, & aliorum ornamentorum, & præcipuè de dominabus, & alijs mulieribus: Nam dicebatur, quod unica domina ei contribuit 100. lib. Et sic aliæ, quædam majus, aliæ minus. Et quam plures, ultra posse, ut credebatur, ut beneficium absolutionis consequerentur pro se, & suis benevolis amicis. Et sic secretus thesaurus regni, qui in manibus erat mulierum periclitatus est. Et sic faciebant tam viri, quàm mulieres, divites & pauperes secundum facultatem bonorum suorum & ultra, ut sic tam amici eorum defuncti, quàm ipsi à suis delectis absolverentur. Nam aliter (NB.) non absolvebantur, nisi tribuerent secundum posse suum & facultatem suam. Et multi inveniebant viros armatos sumtibus suis, multi sagittarios proprijs expensis, & multi ibant in proprijs personis & sumtibus: Habuit namque prædictus Episcopus Indulgentias mirabiles, cum absolutione à pœna & à culpa pro dicta cruciata à Papa Urbano VI. ei concessas, cujus auctoritate tam mortuos quàm vivos, ex quorum parte contributio sufficiens fiebat,

bat, per se & suos commissarios à pœna & culpa absolvebat: Dicebatur enim, quòd quidã de commissarijs suis asserebant, quod ad eorum præceptum Angeli de cœlo descenderent, & animas in purgatorijs locis positas de pœnis eriperent, & ad cœlos absque mora deducerent. IV. Quàm turpiter pecuniæ Indulgentiarum in luxum expendantur. *Non semel Indulgentias in Germaniam missas, quasi ex corrasa eorum venditione pecunia, fideles contra Barbaros essent tutandi ac defendendi. Eventu tamen compertum habere Germanos pecuniam hanc non in rem fidei, aut alioqui Reipublicæ Christianæ necessariam, sed in propinquorum luxum ac sublevandam familiam ipsorum eversam.* Cùm an. Chr. 1457. *Martinus Meyr*, Cancellarius Moguntinus *Aeneæ Sylvio*, recens designato Cardinali, gratularetur, Decadem etiam gravaminum Nationis Germanicæ gravissimorũ ei proposuit, minis additis, ni emendare vellent. *Domino meo*, inquit, *Archiepiscopo frequentes afferuntur de Romano Pontifice querelæ, qui neque Constantiensis, neque Basileensis decreta Concilij custodit, neque se pactionibus Antecessoris sui teneri arbitratur: Nationémque nostram*

stram contemnere, & prorsus exhaurire videtur. Constat enim, electiones Prælatorum passim rejici, beneficia, dignitatésque cujusvis qualitatis, & Cardinalibus & Protonotariys reservari. Et tu quidem ad treis provincias Theutonici nominis sub ea formulâ reservationem impetrâsti, quæ hactenus insolita est & inaudita. Expectativæ enim gratiæ sine numero conceduntur. Annatæ sive mediy fructus absq; ulla dilatione temporis exiguntur, & plus etiam, quàm debeatur, extorqueri palàm est. Ecclesiarum regimina non magis merenti, sed plus offerenti committuntur. Ad corradendas pecunias novæ Indulgentiæ conceduntur. Decimarum exactiones inconsultis Prælatis nostris Turcorum causa fieri jubentur. Causæ, quæ tractandæ terminandæq; in partibus fuerant, ad Apostolicum tribunal indistinctè trahuntur. Excogitantur mille modi, quibus Romana sedes aurum ex nobis (tanquam ex Barbaris) subtili extrahat ingenio. Ob quas res natio nostra, quondam inclyta, quæ sua virtute, suóque sanguine Romanum Imperium coëmit, fuitque Mundi

Do-

*omina atque regina, nunc ad inopiam re-
acta, ancilla & tributaria facta est, & in
qualore jacens suam fortunam, suam pau-
eriem multos jam annos mæret. Nunc ve-
o quasi ex somno excitati, optimates nostri
uibus remedijs huic calamitati obviam
ergant cogitare cœperunt, jugumque pror-
us excutere, & se in pristinam vendicare
ibertatem decreverunt.* Adornavit ad singula
æc Æneas responsum; sed Pontificium, id est, a-
ulatorium & ita comparatum, ut ad splendorem
t majestatem Papæ omnia converteret, cætera vel
xtenuaret, vel excusaret. Cùm Indulgentiarum
atrocinium susciperet, quasi veteratorias illas ar-
es, quibus Pontifex pecuniam ex Indulgentiis col-
ectam aliis planè destinavit (id enim & querela
Germanorum vult, & aliorum quoque, ut videre
cet ex iis, quæ habemus sup. sec. 13. p. 500) usibus
gnoraret, rogat audacter. *Quid obsecro est,
uod dici in Indulgentias queat? Nam,
uo pacto injuriosum esse contendas, quod
voluntarium est? Si quis, inquit, Pontifex
n expeditionem contra Turcas faciendam
uatuor æra, sexve contulerit, remissionem
eccatorum plenariam consequuntor. Quid
hot mali est? Cœlum pijs mortalibus ape-
it, ad salutem vocat, ad opera misericordiæ
in-*

invitat, neminem cogit, nulli minatur. Spontanea contributio petitur, & maximam ob causam. Nam quid majus potest esse, quàm contra Turcos religioni Christianæ tutelam quærere, illos in annis videmus, & tamen indies per Græciam & viciniores regiones gentem nostram urgere, & negabimus Indulgentias esse concedendas. Non vis cœlum ascendere, mane in terra, in limo, in ceno revoluta. Non est justus, non verus Christi cultor, non habet zelum secundum fidem, non sapit quæ DEI sunt, qui has Indulgentias impedire nititur. Nempe *voluntarium* est munus, quod minis imô denegata spe veniæ, vitæque æternæ extorquetur, & de quo universus orbis justissimè conqueritur? *Maxima causa est*, cùm libidini Pontifex suæ satisfacturus, Cruciatam indicit? *Non verus Christi cultor est*, cui hæ merces in Christum & meritum ejus iniquissimæ displicent? V. *De casibus utcunque reservatis, quorum sine pecunia, nulla haberi poterit absolutio*; nempe quod in hoc reservati sunt, ut vel inde nummorum aliquid accrescat. Quod ex eo conjicere licet, quòd in casibus etiam quantumvis pro tempore honestis aut necessarijs nunquam tamen nisi numeretur aliquid dispensant. VI. *Quomodo pecunijs detur licentia impune peccandi*, adeò ut si quis unde numeret habeat, jam nedum præsentes indulgentur

tur horum constitutionum transgressiones, sed & in futurum impune, ut eas ipsas transgredi liceat, indulto permittitur. VII. *Quomodo simplices nimis miserè à Stationarijs & Quæstuarijs decipiantur.* Rusticorum hi potissimum abutuntur simplicitate, dum omnes vicos, villas, pagos, angiportus, omniáque peragrant castella, & oppidula, prædicantes sancti cujusdam Valentini puta, Huperti, Cornelij, Anastasijve sanctimoniam, ac quantum ad rem familiarem addat, si quot annis hunc vel illum munusculo aliquo, quod eis, Stationarijs scil. in comodum cedat, demulceas. Inscribentésque dehinc simplices, sub sancti alicujus numen ac tutelam, promittentésque ut hoc aut altero morborum genere vacaturus sit, qui eis annuum censum penderit. Quæ omnia in hæc excogitata sunt, ut simplices illi ad vivum usque exugantur. Nam primum hoc negotium à S. Antonio cæptum, in innumerata morborum genera, dehinc suevit diduci, ita ut vix supersit morbus nunc aliquis, cui Stationarij non peculiarem sanctum, tanquam tabernæ vel negotiationi præposuerint. Processitque eo usque mali serpigo, ut pauperum ac simplicium Quæstuarij ac Stationarij Prædicatores sanguinem vorent & medullam, dúmque illi una cum liberis suis necessariis spoliantur, in deliciis & luxu plus quàm Sybaritico degunt Stationarii. Et quid mireris? Eò agyrtæ isti mangonio & verborum lenocinio rem suam redegerant, ut Hæretici stigma inusserint secus sentientibus. *Certè vulgus* (verba sunt *Gilberti cognati* ad Rodolphum Gualtherum)

adeò persuasum tenet indubitatúmque, ut Evangelio fortasse citius, quàm suæ decesserit opinioni. De quo qui ambigere se dicat, nec sanctè, & quasi quodam stupore admiretur istam Divorum potentiam, qua metum & horrorem incutiunt mortalibus, cùm minitantur morbos & furores, mox Hæreticus est. Adeò non tutum est, jam vel loqui vel scribere quicquam nisi circumspectissimè & apud fidos sincerósque amicos. Scripta est Epistola, hactenus; quod sciam, ἀνέκδοτος; Nozerethi a. Ch. 1547. quâ, quid de morbis illis D. Viti, D. Iohannis, D. Quirini, morsu canis rapidi, &c. statuendum sit, solicitè quærit, fraudesque Clericorum ex avaritiæ radice germinantes haud obscurè detegit. *Divi Quirini,* inquit, *fluore tabidi lavantur apud Novesum ex aqua, quæ ejus reliquijs aspersa habetur, & curantur, nonnisi servata pœnitentia, quorundámque abstinentia ciborum ab Sacerdote injuncta. Dicitúrque esse incurabilis, nisi aqua illa proluatur, & tamen nemo unquam illuc commigrat præter vicinos Germanos. Quis enim illic vidit unquam aut Italum, aut Hispanum, aut Britannum, aut Gallum, aut Bohemum, Ungarum, Græcum,*

aut

aut etiam Germanos paululum distantiores longiúsque remotos ab urbe? Annon inficiuntur fortè externi, aut prostat remedium infectis ars medica? Cur non item & alijs? An fortasse vult sibi habere obnoxios magis vicinos quàm exteros Divus Quirinus? Eámque superstitionem etiam monialium Sacerdotúmque ejus templi confirmavit avaritia, ut cum fide etiam major fieret quæstus. Nam oblatio Divo pro curatione danda publicè emendicanda est etiam ditissimo. Nam (NB.) aliter non esset valiturum medicamentum, aqua, relinqueretúrque suspicio lucri, quam tamen evidentem facit, aperta pecuniarum acceptio non emendicatarum. Quid enim aliud agunt illi cum Divorum reliquijs errores & emissarij per orbem discurrentes, vendentes Indulgentias, & reliquiarum contactus & oscula. Aliorum autem Divorum morbis qui corripiuntur, partim subitò in terram despumantes corruunt & Epileptici ferè & Apoplexiaci, partim alio atque alio modo miserè divexantur. Cæterum rabidi canis morsu, qui conflagrant, properant ocyus ad

D.Hubertum (quem jam S. Mariæ θεοτόκου Matri, B. Annæ preferre cæperunt; vid.sup.p.661.) *ibique eximitur nescio quid ex cerebro, in cujus vicem subit nonnihil de stola, quam ille de cælo demissam accepisse dicitur; interdicto interim ad tempus quorundam ciborum certo esu. At mihi quidem multò maxima oboritur suspicio (quod idem modò superius attigi) quod istiusmodi morbos videam non apud omnes nationes esse æquè familiares, adeóque apud multò plures non esse omnino. Cùm enim nuper in Lotharingia esset Carolus Cæsar, rogabam ex Hispanis, Italis, Ungaris, Bohemis, aliísque, qui tunc cum ipso aderant ex nationibus diversis, ecquid de hujusmodi morbis compertum haberent? Etenim, si ijs corriperentur, fortè continuo in Germaniam, per tot pericula tantúmque locorum interjectum, remedium petituri demigrarent. Negabant illi quidem neutrum fieri horum, neque satis scire se, qualésnam de quibus loquerer illi essent morbi, &c.* Adspergere hæc placuit, ut nemini ambiguum esset, quàm altas hæc superstitio Majorum nostrorum ætate egerit radices: ubi profectò multis multa evenerunt κατὰ τὴν πίστιν τῆς ἀπιστίας juxta fidem

fidem incredulitatis suæ, non secus ac hodierno adhuc die illicitis Magorũ, Genethliacorum &c. artibus & prognosticis, quęsitum observamus nonũnquam respondere eventum. Sed de his suo loco commodius. VIII. *Explicat immoderatum Terminariorum quæstum*; quando videlicet mendicitas ordinum mendicantium nihil in rure neque in urbe sinit non peragratum, dum à terminis, quos pervagantur, *Terminarij* dicuntur. Quas quidem pervagationes contra ordinis eorum statuta, neq; etiam ad necessitatem per avaritiam insatiabilem adinvenerunt. Ita enim fit, ut cùm in oppidulo aliquando, non admodum celebri, sed perexiguo duo tria, aut eo amplius illorum sint conventicula, in quo omne quicquid eleemosynæ undique disquiri potest, confertur, dum tamen interim morbo aut senio confecti cives vel incolæ, qui per ætatem ex laboribus & sudoribus suis una cum uxoribus & liberis honestè vixerant, egeant, fame & inedia perire necesse habeant. Hoc malum ut & sequentia, quàm latè non in Germania modò; sed & alibi serpserint, proclive esset facileque probatu, sed urgent nos alia, & nudam deinceps gravaminum seriem, hac quidem vice, enarrare cogunt. *Nonum* ergò gravamen est; Quàm iniquè causæ profanæ ad Romanum tribunal trahantur. 10. Qua fraude, quòve dolo prætacta agitetur versutia. 11. De abusib9 & excommunicationibus iniquis, 12. De Papalibus Commissariis Germaniam aggravantibus. 13. Quàm iniquè Monasteria quædam ab Episcoporum jurisdictione eximantur. 14. De temeraria violatio-

ne juris Patronatus. 15. Beneficia multorum vel Romæ, vel in itinere morientium, non satis rite Curtisanis conferri. 16. Qua impostura beneficiati, Romæ à Curialibus inquietentur. 17. Quo prætextu familiaritatis Papalis, multorum beneficiorum impugnetur collatio. 18. Quibus instructi dolis Curtisani, beneficiatos in propria persona ad urbem vocent. 19. Quomodo provisiones Ecclesiasticarum dignitatum Romam pertrahantur. 20. De regulis Cancellariæ Papalis, & variis illarum technis, infinitisque laqueis. 21. De Ecclesiasticis beneficiis curatis & non curatis in genere, quàm indignis conferantur Romæ. 22. Quibus nexibus Archiepiscopi ac Episcopi, à suis Capitulis in conferendis beneficiis astringantur. 23. Quàm amplissimas pensationes, beneficiorum locatores, à suis conductoribus recipiant exigantque. 24 De prælaturarum commendis & incorporationibus Romanis. 25 Collegiatas Ecclesias, nobilibus solùm fundatas, ob pecuniam infimis hominibus conferri. 26. De novis fraudibus Romanæ sedis, quibus multifariam, veris derogatur privilegiis. 27. De inopinata & nimis diuturna abusione Annatarum. 28. Quomodo contributio Ecclesiasticorum contra Turcas etiam verti debet in tranquillum nostræ Reipublicæ statum. 29. Quomodo Ecclesiastici, unà cum laicis, paria onera ferre debeant. 30. Nihil Ecclesiasticis rebus parcendum esse, modò Turcis resisti possit. 31. Vt personæ Ecclesiasticæ, commeritam nullam luant pœnam. 32. Si Ecclesiastici, non puniantur æque ut Laici, multa ex hoc mala

mala certò provenire. 33. Statuendum ergô esse, ut Ecclesiastici, æqua cum laicis patiantur supplicia 34. De diverso, prophano, ac intollerabili onere excommunicationis. 35. Quo pacto cohabitatores oppidorum ac vicini, citra omnem æquitatem, aliorum causa excommunicentur per tractatum ampliationum. 36. De illicitis interdictis, in causis minimi faciendis. 37. Vt festi multi dies abolendi sint. 38. Quomodo per Pontifices Romanos ordini militarium, contra omnem æquitatem, bona erepta sint. 39. De multis oneribus, quibus Ecclesiæ proceres statum opprimunt secularem. 40. Quibus modis laicorum bona ad Ecclesiasticos perveniant, sed non contra. 41. Quomodo Episcopi hæreditaria Ecclesiasticorum bona ad se trahere conentur. 42. Quomodo laica quædam bona Episcopi cum suis, ditioni Ecclesiasticæ subdi velint. 43. Quomodo Episcopi male sibi usurpant primam recentium beneficiorum collationem. 44. De confirmationibus beneficiorum non necessariis. 45. Quæ onera patiantur hi, qui laicos habent Collatores. 46. Vt Episcopi, nulla urgente causa, beneficiatos illicitis urgeant exactionibus 47. Quomodo indocti juxta atque inidonei ordinentur sacerdotes. 48. De impensis immodicis, quæ in Ecclesiarum consecratione profunduntur. 49. De iniquis adinventionibus Suffraganeorum. 50. Quomodo cœmiteria nonnunquam ob quæstum superfluè consecrentur. 51. De superstitione inani, in baptizandis campanis, ne scilicet animæ perdantur earum. 52. Quomodo sibi Episcopi & Prælati,

Nnn 4

quasdam oblationes injustè vendicent, licet non sine fruge. 53. Vt à quibusdam præpositis monasteriorum, Episcopi injustè pecunias sumant. 54 De abusibus qui contingunt in Abbatum, Abbatissarumque electione. Item de execrabilibus curiæ Romanæ officiis: 55. De quibusdam ineptissimis Archipresbyterorum Officialibus. 56. Quàm inique laici ad vetitum Ecclesiasticorum trahuntur tribunal. 57. Laicos, ob debitam pecuniam ad Ecclesiasticos judices non esse trahendos. 58. Vt laici gravibus onerantur damnis in petendis missionum literis. i. loss bryeff. 59. Quomodo laicas quasdam causas judices Ecclesiastici remittere nolunt. 60. De variis, illicitis, & inutilibus prophanarum causarum expensis. 61. Quomodo novæ per violentiam instituantur decimarum præstationes. 62. Alius modus non ferendus, quo multi injustè, ad Ecclesiasticum tribunal trahuntur. 63. De causis injuriarum, quæ coram judicibus Ecclesiasticis ventilantur. 64. De præsumptione Officialium in causis prophanis ob interposita juramenta. 65. Quomodo Ecclesiastici, suas judiciorum reformationes nō observent. 66. Vt nonnullæ Ecclesiasticorum judiciorum reformationes prætentæ, civili magistratui perniciem adferant. 67. Quemadmodum plus pecuniæ, quàm pœnitentiæ peccatoribus imponatur. 68. Quibus technis honesti viri & mulieres aggravantur. 69. De illicito interesse, quod judices Ecclesiastici ex jactatis matrimoniorum causis petunt. 70. Quibus artibus Ecclesiastici judices causas promiscuas ad se trahunt. 71. Quæ mala contingant, falso præ-

textu

textu, denegatæ exequutionis. 72. Quomodo Ecclesiastici judices ferre respuunt, quod seculares perpeti coguntur. 73. Vt quodam præscriptionis velamine, honor imperii minuatur. 74. Quàm iniquè peccatores duplici pœna ab Ecclesiasticis puniantur. 75 Quomodo avari Officiales, illicitum fœnus tutentur. 76 Quid Officiales agant cum mulieribus, quarum viri sunt absentes. 77. De illicitis censibus, quæ è domibus exiguntur. 78. Quo pacto prædicti, hebdomadariam à mechanicis pecuniam exigant. 79. De iniquis Ecclesiasticorum arrestis & inhibitionibus. 80. Vt plerique ad iniquas transactiones compellantur. 81. Quomodo externi causarum procuratores, coram Ecclesiasticis consistoriis non admittantur. 82. Quàm iniquè pauperibus sacramenta denegentur. 83. Quàm inique spirituales pro sua libidine vindemiationem suspendant. 84. Vt Ecclesiastici, synodis, contra constitutionem, abutantur. 85. Vt iniquis nexibus Episcopi à suis astringantur Capitulis: & Cæsares Romæ coronandi, à Pontif. Romanis. 86. Quomodo plebs pro sacramentorum administratione gravatur. 87. Vt ob Missas cantandas pecuniam exigant. s. myssanck, mysgelt. 88. Quo pacto Parochi à suis pecunias emulgeant parochianis. 89. Vt misere defuncti, sine pecunia sepeliri non possunt, & de sepulchrorum mercatu. 90. Vt plerique Ecclesiastici, etiam Monachi, parum aut nihil differant à scurris. 91. Quomodo Episcopi sibi pecunias venentur ex sacerdotum concubinatu & officiatione. 92. Vt Ecclesiastici quidam, publicas

exerceant tabernas,& tabernarias. 93. Quomodo infirmis persuadetur, ut suos defraudent hæredes, per Evangelium: Munus quodcunque ex me, tibi proderit,&c. Matth. 15. 94. Quibus mediis ordines mendicantium ingentem pecuniam ad urbem transferunt Romam. 95. De malitia Romanorum Legatorum. Quomodo vicecomites inepti, ineptissimos creent Notarios. 97. Quanta injuria sit in jure patronatus. 98. Vt omnes Monachi, Beguttæ, & Begardi, secularibus in bonis succedant, sed non contra. 99. Quomodo Papa, Archiepiscopi, Episcopi, ac reliqui Prælati, ex istorum gravaminum publicatione in nullo se emendârunt. 100. Multa alia superesse fatetur. In his C. postulatis, Romam ad ipsum Pontificem & Cardinales delatis, fatetur *Campegius* Legatus, *multa esse, quæ derogent Pontificis authoritati*, & sapiant hæresin, *quæ à se tractari non possint, sed de iis cognoscere & agere, quæ nec Pontifici adversentur, & æquitate nitantur, se esse paratum*, &c. Paul. Venet. Hist. Concil. Trid. l. p. 35. Et quid si de luxatis pietatis habenis omnis fuisset Germanicę nationis querela? *Nonne*; ut rectè monet Clariss. *Mares.* in Examine Theolog. novæ Methodi à Valentino Capucino nuper procusæ, *is est nexus Disciplinæ & Doctrinæ in Ecclesia, ut illa labante vel luxata, quæ est*, *Cypriano* judice de hab. virg. custos *spei, retinaculum fidei, dux itine-*

ris

ris salutaris; *hanc corruere & corrumpi paulatim necesse sit, ut vitis debet humi repere & putrescere, si pedamentũ ejus conciderit?* Extant etiã consilia de iis tandẽ tollendis abusibus, quos nec defendere poterant, nec tolerare ampliùs. Atque hac ipsa de causa Imperator, statusque Imperii tam fervidè urserunt Concilium; qua de re alibi fusius jam egimus. II. *Helvetii.* Quid Helvetii multis retrò seculis vel emendârint ipsi, vel emendatum petierint, habes in Meth. leg. Hist. Helv. pag. 542. & deinc. De Tigurinis illud addimus, eos, hoc fortè seculo, confirmationem petiisse & renovationem à Pontifice multorum statutorum, quorum nonnulla inseruimus P. 1. Anal. p. 73. Si quid judicare possum, habent illa concordata fundamentum in articulis Irenicis pridem, vel initio seculi 14. vel fine 13. inter Senatum Tigurinum & Clerum constitutis, cujus conjecturæ ratio alibi nobis erit reddenda. Vtriusque enim documenti exemplar ad manus est. De cæteris Cantonibus, eorumque querelis cum Germania communibus, &, ne consulto quidem Papa, magnam partem decreto sublatis diximus P. III. ὁδηγοῦ p. 471. Accessit mox, an. Chr. 1525. D. D. Bernensium Edictum, quod Refor. necessitatem abundè probat. Vt ergò & aliis illud iñotescat, αὐτολεξεὶ hoc loco subjiciemus: Schultheß vnd Rath zu Bern / vnseren gruß vnd alles guts zuvor. Es habend vnsere liebe Eidtgnossen / vnd Wir mit jhnen / betrachtet die groß-

gen Christenlichen Kirchen auffgesetzt/ vnd bißher gehalten. 4. Daß die Sacrament vns Leyen sollen mitgetheilt/vnd geben werden/wie von der Christenlichen Kirchen verordnet vnd bißher gebraucht ist worden. 5. Daß kein Ley zum heiligen Sacrament des Altars sol gehen/ohne vorgehende beicht vnd absolution/auch das nit vnder beiden gestalten nemmen / noch begehren. 6. Der Kirchen-ordnungen / Satzungen/ guten vnd loblichen bräuchen halb/ bißher gebraucht/ namlich fasten/bätten/beichten/buß würcken/singen/lesen/creutzfahrt/ opferen vnd andere Ceremonien der Kirchen/sind wir ernstlichs willens bey altem brauch vnd wesen bleiben zulassen: Wollen aber niemand zwingen in der fasten zwey mal zu beichten/zu opferen/heyl-vnd creutzfahrten zethun/ doch soll es niemand dem anderen wehren/noch vnrecht machen. 7. Deß fleischs vnd verbotten speiß : Item / lieben Frawen/vnd der heiligen Ehr / vnd der bildern halb bleiben wir bey vor außgegangenem Mandat. 8. Welcher Priester vns zum Gottes wort geschickt dunckt/den nemmen wir an nach vnserem mandat zuhandlen/ namlich zupredigen vnd zu lehren. 9. Das Fegfewr / siebend / dreyssigest vnd Jahrzeit lassen wir bleiben wie bißhar / wöllen aber niemand zwingen/daß ers glauben vnd halten müsse. 10. Den Gottshäuseren/ Klösteren/ Stifften vnd Kirchen keinen gewalt noch vbertrang

trang thun. 11. Die Priester vnd Seelsorger sollen die H.Sacrament nit vmbs gelts willen außtheilen/ noch jemand verhalten. 12. Der Pfarrkirchen halb wöllen wir ein bsondere ordnung machen. 13. Daß die Priester/weß stands sie sind/sich sollen ehrbarlich/ frombklich vnd wol halten/der stifftung jhrer Pfründen/ Klösteren/ Orden vnd Reglen trewlich geleben vnd nachkommen/sich alles Leyischen wesens vnd wandels abthun / ein gut vnklagbar exempel vortragen/ dann man jhr vnwesen nit mehr/wie dißhar/wil vertragen. 14. Daß ein jeder Pfarrer in todsnöthen bey seinen Vnderthanen anheimsch seyn vnd bleiben soll/ dieselben nach ordnung versehen/vnd trösten bey verlurst seiner Pfründen. 15. Welcher Priester ein Pfrund hat/ er seye Pfarrer/Chorherr oder Caplan/ die soll er selbst besitzen oder versehen/kein absent nemmen noch geben. Welcher aber je die nit selbst wil/oder nit geschickt/besitzen/ der soll sie niemand dann seinem Lehenherren auffgeben. 16. Es soll keiner vmb bemeldte Absenten, Pfarren oder Pfründen keinen heimlichen vertrag mit anderen machen noch annemmen bey verlierung seiner Pfrund. 17. Ein Junger/so Priester werden wil/mag ein Pfrund nutzen/doch daß sie mit einem geschickten versehen werd: Wolt er aber nit Priester werden/oder nit geschickt darzu were/ so soll man sie jhme nem̃en vnd einem geschickteren geben. Doch

so

so einem auß vnserem land aussert vnsers lands vnd gebiets eine oder mehr Pfründen zukäme/ mag er die haben/so ferz daß er die/so er in vnserem land hat/selbst besitze oder auffgebe. 18. Der Priesteren halb/ so Eheweiber haben oder nemmen/bleiben wir bey vnserem Mandat/ wöllen jhnen nicht jhr Ampt/noch vnser Land verbieten. 19. Der Ehe vnd anderer des Geistlichen gerichts sachen halb/ vngebürlichen kosten vorzuseyn/wollen wir/daß solche sachen vnd händel/weder für die Bischoff/ Decan/ Commissarien/noch andere geweißt/sonder zuvor für vns gebracht werden/ vnd nach dem wir dann solche händel finden/ werden wir darinn leutherung thun/ oder für die Geistlichen weisen. Es ist auch vnser will/daß solcher händlẽ procels in Teutsch gestellt werden/ damit die Partheyen jhre handlung verstehen mögen. 20. Die verbottne zeit/ Ehlich Hochzeit zu halten/ so die vmb gelt wird nachgelassen/ soll fürohin ohne gelt auch frey seyn. 21. Daß fürhin in vnseren Landen vnd Gebieten kein Ablaß vmb gelt soll zugelassen werden. 22. Was bey dem Papst vnd Bischoff mit gelt außgericht/absolviert/vnd dispensiert mag werden/das soll ein jeder Pfarzer seinen Vnderthanen ohne gelt mittheilen/ vnange-

se-

schen Bäpstlichen oder Bischofflichen gewalts/ doch so werden wir mit vnseren Geistlichen ein ordnung ansehen/ wie böß sachen in der Beicht mit anderen fügen gestrafft sollen werden. 23. An keinem orth vnserer Landen soll gestattet werden die Pfründen anzufallen/ sonder wo die Römische Buben kommen/ die solches vnderstehen/ die sollen gefänglich angenommen/ vnd der massen gestrafft werden/ daß man jhren nochmal abseyn. 24. Daß kein Geistliche person weder Priester/ Münch/ Nonnen/ Begeinen/ noch andere/ so zu den Krancknen gehen/ durch Testament oder ordnung jhnen selbst von dem Krancken zu geben verschaffen/ / ohne beywesen der rechten Erben: Ob aber der Kranck auß eigner bewegnuß wil etwas machen vnd ordnen/ das soll beschehen vor dreyen Leyischen mannen/ oder nach ordenlichem brauch/ doch jedermans recht vorbehalten. 25. Daß einem Leyen gleich ein Priester angefordert/ soll frieden geben vnd halten. 26. So die Bischoff vnd ordenliche Richter die vbelthätigen nit nach verdienst straffen/ auch die vbergebnen ledigen/ vnd jhr boßheit vnd fräffel sich täglich mehret: Also daß wir Leyen gar alle zweytracht vñ vnruh gar nach von jhnen haben: So ordnen wir/ daß welcher Priester oder sonst Geistliche person/ Mann oder Weib/ sich also verwürckt/ daß er solle durch die welt-

weltliche Obrigkeit an leib vnd leben/ als ein verwürckter Ley gestrafft werden/ die Weyhe vnangesehen. 27. Daß alle Geistliche Personen vmb alle weltliche sachen das weltlich Recht sollen brauchen/ aber Geistliche sachen sollen vor dem Geistlichen Richter außgemacht werden/ doch die Ehehändel mit fürworten/ wie oben gesetzt. 28. Der getrückten Büchlinen halben/ bleiben wir bey vnserm Mandat/ nächst angesehen/ nemlich daß die Büchlin der H. Schrifft widerwertig/ vnd kätzerisch/ abgestellt vnd verbrent/ vnd der Buchführer sampt dem Käuffer/ ohne gnad/ vmb zehen pfund gestrafft sollen werden. Aber die Bibel/ vnd die/ so deren gemäß/ mag jeder zu seinem heil gebrauchen. 29. Der Fählen/ Lassen/ vnd anderer stucken halben/ die Leibeigenschafft betreffend/ wollen wir daß vns derselben wegen niemand keinen eyntrag thüye/ vertrawende/ daß wir da niemand bißhar vbersetzt haben/ sondern gnädiglich gehalten/ wollen hie vnsere hand offen haben/ vnd vnsere Freyheit nicht lassen fallen. 30. Daß fürhin kein Gottshauß/ Closter/ noch andere Geistliche Häuser/ deßgleichen Geistlichen Herren Prælaten vnd Personen kein gelegen Gut/ nichts außgenommen/ zu jhren handen kauffen sollen/ es were dann jhnen von der weltlichen Oberkeit verwilliget. 31. Daß die Gottshäuser/ Clöster/ Stifften/ vnd andere geistliche Häuser in vnseren Landen gelegen/ kein

summa gelts an ewig noch ablösig Zinsen anle-
gen sollen/weder iñ-noch ausserhalb des Lands/
ohne gunst vnd wüssen der Oberkeit. 32. Daß
ein jedes Gottshauß soll jährlich rechnung der
Oberkeit geben/vmb alles sein eynnemmen vnd
außgeben/vmb sein vermögen/vnd vmb alle seine
handlung. 33. Setzen vnd ordnen wir/daß wel-
cher Mensch kranck oder gesund/ etwas an die
Gottshäuser/Stifften/Pfründen/ oder zu der
Geistlichen hand wil verordnen/das soll ein jeder
frey von handen geben/vnd gantz nichts auff sei-
ne Güter weder ablösung noch ewig Zinß oder
Gült schlagen/noch die Güter in einigen weg be-
schweren/vnd solch Hauptgut in des Gottshauß
weltlicher pflåghand vberantworten/solches vnd
so dick es abgelößt/anzulegen/ vnd zum besten zu
versichern. 32. So haben wir angesehen vnd wol-
len/daß niemand dem andern das sein/vnd ohn
Recht vorhalte/ sondern meniglich dem andern
gelte/bezahle/ vnd halte das er jhm schuldig/ es
seyen Zinß/Gült/klein oder groß Zehnden/schul-
den vnd andere Herrligkeiten vnd Gerechtigkei-
ten/wie das von alter herkommen/ billich vnd
recht ist gewesen/auch daß alle Brieff/Sigel vnd
Verschreibung in kräfften bleiben vnd trewlich
gehalten werden. 35. Zum letsten so haben wir
vns insonderheit eigentlich entschlossen/vnd wol-
len daß hinfüro die Geistliche alle beschwerden/
damit der gemein Mann weltlicher Oberkeit/
Christ-

Christlicher ordnung nach verpflichtet / es seye mit Stewren / Tällen / Reißkosten / Zoll / Gleit / Vngelt / Böß pfenning / Tagwen / vnd andere beschwerden tragen / auff sich nemmen / vnd damit weltlicher Oberkeit gehorsam seyn sol. Vnd also auff solches alles / befehlen wir euch ernstlich / die vnsern bey euch / Geistlich vnd Weltlich zusamen zu beruffen / dises vnser ansehen / Reformation vnd Articul vorzulesen vñ zu eröffnen / vnd demnach sie zu vermahnen / mit einandern rühig vnd brüderlich / auch disem vnserm ansehen zu geleben vnd statt zu thun / dann wir je wollen die gehorsamen darbey handhaben / vnd die widerwertigen straffen / darnach wüsse sich ein jeder zu halten. Datum Freytags vor dem Palmtag / war der 6. April. 1525.

[c] Videmus enim initio, retentis magnam partem superstitionibus Papisticis, de reformandis *moribus* & regimine Ecclesiastico plerosque fuisse solicitos. *Dogmatum* absurditatem, Cimmerijs tenebris assueti, & eminus tantùm Solis Evangelici stricturas observantes, non statim videbant. Paulatim tamen plenior accessit lux, & in Germania, & in Helvetia. Nam ex ipsis illis Germaniæ Principibus, qui ut Romanæ Ecclesiæ authoritas salva conservaretur & incolumis, gravaminum Centuriâ negotium confici posse arbitrabantur: non pauci, animadvertentes Romam planè esse immedicabilem, abstrusiores etiam & subtiliores errores indagantes, repudium toti Ecclesiæ Romanæ miserunt. Quod &

Bernæ non longè pòst fuit factum; disputatione instituta, & Papismo planè abolito; & alibi. Quid? quòd reliqui etiam, Monarchiæ Pontificiæ aliâs addicti, ubi liberius de dogmatibus disceptatum fuit, Tridenti præsertim, haud obscurè testati sunt, malle se meliora multa, Apostolico exemplo, & Dominico mandato propiora; quod, dubio procul, nisi Papa suam hac ratione infallibilitatem periclitari, fuisset subodoratus, obtinuissent. Quid Ferdinandus I & Maximilianus II. per Oratores suos petierint, quidque tum in cæteris reformandis, tum restituendis cumprimis communione sub utraque specie & Ministrorum conjugio per Legatos suos an. Ch. 1562. 1564. tentârint, ex Actis Concilii Tridentini, & rescriptis eorum, manifestum est. Vide sup. p. 602. & deinc. *Gold.* T. II. p. 376. & deinc.

[d] Specimen nobis suggerit *constitutio* (sic habet titulus) *ad removendos abusus, & ordinatio ad vitam Cleri reformandam, per reverendissimum in Christo Patrem & Dominum, D. Laurentium, tituli S. Anastasiæ S.R.E. Presbyterum Cardinalem, & ad Germaniam &c. de latere Legatum; ex sacræ Regiæ Majestatis Procerúmque Imperij consensu Ratisbonæ edita an. Chr. 1524.* Recitatur ordine decretum à *Bzov.* an. cit. S. 11. & *Gold.* Constit. Imperial. T. III. p. 487. summam pete ex superiori p. 603.

[e] Atque hoc ipsum est, quod saluberrimis pro

Re-

Reformatione consiliis moram sæpe injecit. *Curiæ Romanæ pronunciatum est, Principij instar, secularibus, cujuscunque sint dignitatis aut sanctimoniæ, fas non esse, Clero leges præscribere, in quemcunque etiam finem*; scribit author *Hist. Concil. Trid.* vide sup. p. 606.

[f] Idquod liquet 1. Ex *Scriptoribus* hujus periodi *Elenchticis*, qui, dum Zuinglio, Luthero, Calvino, cæterisque per Europam Reformatoribus bellum indixerunt ἄσπονδον, adeò impiè linguas & calamos suos in S. Scripturam, ejusque authoritatem strinxerunt, ut vel referre pudeat. Vestigia habet P. 1. ὁδηγῶ p. 27. 2. Ex *formulis Inquisitorijs*, quibus verum Catholicismum probare conabantur illi, qui præter Catholicæ Ecclesiæ nomen nihil retinebant. Exemplo sit ipse Ignatius Lojola. Cùm de ejus aliquando dubitaretur orthodoxia, certam illi confessionis formulam præscripserunt, quæ, Religioni reformatorum è diametro opposita, cum manifesta conjuncta erat impietate. Eam reperire est apud *Hosp. Hist. Iesuit.* p. 2. 6. 3. Ex *confessione* & concessione ipsorum *Adversariorum*. Qui vel declamationem *Henrici Cornelij Agrippæ*, vel consultationem decantatam *Cassandri*, vel *Cochlæi* quadruplicem concordiæ rationem super confessione Augustana (de qua *Hornbeck*. sum. Controvers. pag 230.) objectiones legerit, non contemnenda habebit testimonia religionis tot seculorum cursu variè labefactatæ: Romanensium autem operâ parùm emen-

datæ. 4. Sed & *Martyrologia* abundè probant, quæ hoc intervallo Pontificiæ Religionis ratio fuerit. Magnum certè operæ pretium faciunt, qui non modò Inquisitorũ profanas objectiones, sed & Martyrum acutas & accuratas responsiones diligenter observant, compendiosè disponũt, vim argumentorum & emphasin verborum Lectori seriò commendant. Id quod ex Anglis in Disputationibus suis religiosissimè secutus fuit *And. VVilletus* in synopsi Papismi Anglicè; & *Ioh. Foxus*, qui ad finem Martyrologii majoris Anglici, per Catalogum ostendit syllabum hujus Theologiæ, ex magno Martyrologio Germanico collectũ. Idẽ appendicis etiam loco esse voluit vir pietate & eruditione clarissimus *D. Ioh. Iacobus Irmingerus*, Ecclesiæ Tigurinæ non ita pridem Antistes, libro suo vernaculè edito. Est hæc Theologiæ Pontificiæ examinandæ, & apostasiæ Ecclesiæ Romanæ confundendæ Methodus valde commoda & luculenta. Quis, quæso, fando audivit: ut vel de sola *Scriptura Sacra*, fidei Christianæ principio & fundamento aliquid dicamus: ullum unquam apud veteres flammis fuisse addictum, *quòd assereret Biblia sacra in linguas vernaculas utiliter transferri*? At Parisiis hoc accidisse, ipse scribit *Erasmus* Epist. l. 24 Ep. 4. Quo unquam seculo scelus igni expiandum Christiani crediderunt lectionem Scripturæ sacræ? Abortus est infelicissimæ illius ætatis, quâ Romanæ Curiæ omnem penè verbi DEI memoriam abolere placuit, apud eos saltem, qui Laici contemptim dicuntur. Vide nostrum

ὁδη-

ὁδηγὸν P. 1. p. 76. Num Stygius Pluto tam apertè Beatissimum Paulum mendacii argueret, quàm impudenter & impiè illud fecit effrenis Monachus Berlinensis qui digno tamen mox blasphemiâ supplicio multatus, apoplexia in suggestu fuit extinctus. *Bucbh.* an. Ch. 1525. Quæ unquam Saracenorum tyrannis in sanctissimum Bibliorum Codicem, tam crudeliter sæviit, ut carnificis manu, tanquam maleficum, magno numero Vulcano traderent? Christiani hoc sunt ausi, non uno tantùm in loco vide P. 1 ὁδηγοῦ p. 70. Dixeris, omnem eos inivisse rationem, ut πανοπλίαν verbi divini hominum animis & mentibus excuterent. Ne qui Biblia contrectarent, in catalogum librorum prohibitorum ea Pontifices retulerunt. Vide *Reg.* 4. Indic. libr. prohib. Pii IV. Sed quia periculum erat, ne, si Codicis sacri exemplaria uspiam extarent, illa, invitis Sacrificulis, legerentur, edictis cautum fuit, ut vel in præfecturas traderentur, quod in Bavaria & Marchia, aliisque locis factum est, Luthero teste, apud *Bzov.* a. Ch. 1523. S. 3. vel, magno etiam emta pretio igni abolerentur. Memorabile est, quod de Tyndallo & novo ejus Testamento refert *Foxus*, Martyrol. pag. 138. Cùm primùm, inquit, Tyndallus a. Ch. 1530. Novum Testamentum in vernaculam linguam appararet, ex quo magna copia repentè eorum librorum cœpit fieri: Episcopus Londinensis Cutbertus Tonstallus, non vulgariter ea de re solicitus, consilium captat cum Mercatorum quodam Augustino Pakyngtono, de abolendis his N. Test. li-

bris Ille. cùm Tyndallo clàm faveret, Episcopo hoc dabat consilii: nempe si exponeretur tanta pecuniarum summa, quanta sat esset coëmendis omnibus ejus impressionis exemplaribus, facile futurum, ut hujusmodi libri ad unum omnes tollerentur. Nec mora, arrepto mox consilio, pecuniam exposuit Episcopus. Mercator acceptam, Tyndallo tum exulanti ad assem protinus universam tradidit. Ex quo factum est, ut Tyndallo suppeteret non solùm quod sibi cæterisque ad victum sufficeret, sed quò majori etiam diligentia & librorum copia secundam editionem adornaret. Exemplaria Tonstallus in cœmeterio Paulino comburi jussit; *Bal.* Cent. 8. pag. 658. Atque sic vel ex uno hoc specimine patet, quam à Romanis Præsulibus, si per illos stetisset, in cæteris fidei articulis expectare debuissemus Reformationem.

[g] Sive enim ipsum spectemus Pontificem; sive reliquum Clerum, certum est, neutri curam pastoralem cordi fuisse. Hoc egit Pontifex, ut Monarchiam suá defenderet, supremúq; & ἀνυπεύθυνον controversiarum judicium: quod ipsum certè Reformationis negotio moram injecit. Cardinalium studia maximè post Reformationem plerunque sanguinolenta fuerunt. Ipse Imperator scripsisse Galliarum Regi fertur, *omnia bella ac dissensiones, quæ inter Christianos hodie vagantur, à Lotharingo & Granvellano Cardinalibus proficisci.* *Lat.* Comp. p. 588. *Novum erat in Legatis Pontificijs cœlestia præferre terrestribus*, quod cuncti sua,

sua,non quæ Christi sunt,quærerent, ut ipse loquitur *Genebrardus*, lib.4.ad an. Ch.1583. quo Ioh Baptista Castellius, Episc.Ariminensis fuit mortuus; de quo Iulianus Episcopus:

Nuntium ei similem vix secla antiqua tulerunt,
Vnquam vix(metuo) secla futura ferent.


De studiis Episcopalibus Ca de Casa jam supra Lectorem monuimus.

[*b*] Pontificum plerorumque hujus Seculi προσωπογραφίαν præmisimus. Monstra in ea reperies & prodigia. De reliqui Cleri impura vita conqueruntur ipsi ordines Pontificii apud *Sleid.* lib. 22.p,282.Refert *Erasmus*, Epist.l.Ep.20.etiam Diabolum, Sacrificulis duobus Exorcistis,illi minitantibus, respondisse: *se pro nihilo ducere minas eorum,quòd alter esset scortator,uterq; fur.* Sed & Acta Tridentini Concilii non uno loco probant, vitam Clericorum emendandandam, & arctioribus disciplinæ compedibus coërcendam.

XIV. *Tertia periodi* faciem Synodus exhibet Tridentina, quæ, ut certis absoluta Decretis, Canon est, norma & regula doctrinæ Pontificiæ; ita digna videtur, cujus examen instituatur paulò plenius.

Huic jam Oceano naviculam nostram committere temporis angustia non sinit: Debemus hanc operam aliis. Eandem tamen,non certè ultimâ Historiæ Ecclesiasticæ partem,cum reliquis hujus

seculi sectionibus, σὺν θεῷ. πόνῳ, καὶ χρόνῳ, aliâs exhibebimus. Deo interim, Patri cœlesti, per Iesum Christum, gratias corde, ore & calamo, quantas possumus, agimus maximas, quód nō modò tenebras, quib⁹ Majores nostri erant im̄ersi, clementer nobis retexerit, sed & lucis cœlestis fulgore nos illustrârit. Det Idem, infinitâ suâ gratia, ut, qui sumus filii lucis, sordida operum carnis & tenebrarum tunica abjecta, facem pietatis, sobrietatis, obedientiæ, cæterarumque virtutum τοῖς ἔσω καὶ ἔξω ita præferamus, ut unà nobiscum Te æternum Deum, & quem misisti Iesum Christum, cum Spiritu Sancto cognoscant, timeant, & colant: Amen, Amen.



IN.

INDEX I.

Continens

A.

Epitomen Historiæ Ecclesiastici hujus partis V.

SECTIONE I. SECULI XVI. notatur *cursus* NATVRÆ, ubi, a. Terræ motus multi; b. Duo præcipuè, p. 5. c. Cometæ, p. 9. d. Montium evulsiones, e. Inundationes, p. 10. f. Variæ tempestates, fulmina, fulgura, p. 12. g. Insoliti morbi, p. 16. præsertim Anglicus, ib. h. Pluviæ prodigiosæ, p. 18. Sanguinis & locustarum, p. 20. i. Eclipses notabiles, chasmata, φαινόμενα, p. 21. k. Monstra, p. 24. pluraque alia, vel futuræ calamitatis, vel memorabilium eventuum præsagia, p. 25. B. *Regimen* POLITIÆ, seu Imperii, cujus administratio commissa fuit 1. Maximiliano, p. 18. 2. Carolo V. ib. 3. Ferdinando I. p. 31. 4. Maximiliano II. ib. 5. Rodolpho II. pag. 32. C. Seditiones Subditorum contra Magistratus, qualis fuit a. in agro Bruchsellano, pag. 33. b Hagæ Comitis, p. 34. c. Bellum rusticorum, p. 35. ubi respondetur ad objectionem, annon Reformationi tot mala accepta ferenda?

SECTIONE II. describitur status Ecclesiæ *orientalis*, ubi monemus, eam fuisse, 1. Iugo Turcico pres-

ad

tum

quàm curiæ Romanæ Antiſtites; 620. A. Conſtitutioni Bonifacij VIII. per Leonem X. renovatæ, p.623. reſtitiſſe a. ſub Alexandro Germanos, 630. Siculos; 631. c. Clementi VII. Carolum V. pag. 635. Anglos, 637. Venetos; Ib. Cardinales etiam, & Reformati cumprimis pag.640.& deinc. Imperium Pontificis excuſſerunt.

Doctrinæ examen, quod reſtat, aggredimur. *Prima* ergo *periodo* occurrit 1. *Religio traditionibus* oppreſſa; p.644. 2. pietas *ſuperſtitione* Magica, p.650. judaica præſertim p 656 ſuffocata: 3. Ceremoniæ *περισσοεθελοθρησκεία* infectæ; 959. 4. Fidei dogmata non ad Scripturam, ſed miracula examinata; 659. 5. Cultus *ἀρτολατρεία*, p.664. *Μαριολατρεία*; *Ἁγιολατρεία*, 667. *Ἀγγελολατρεία*, & *λειψανολατρεία*, pag.668. corruptus. Vbi & Sexcentæ *fraudes* circa a. Numina & Reliquias ſanctorum pag.671. & deinc. b. Miracula, Genevæ, p.676. in Anglia, p.679. Olyſsiponæ, pag. 682. 6. Regimen *tyrannide* violatum, pag 687. ubiq. *Hiſtrionicè* profanatum; id quod prolixa admodum tum ex Eraſmo, p.693. tum ex celebrioribus Pontificiorum concionatoribus; pag.727.& deinceps probatum ivimus. Monſtravimus, præter alia, a. *Infelices* eos fuiſſe *Philologos*; p.745. b. *Malos Hiſtoricos*; p.753. *Ineptos Theologos*; p.754. Multa interim eosdem Homeliarios ſuppeditare, quæ cauſam Pontificiorum parum juvent, p.790. Fatentur enim α. Donum miraculorum inter ſuos ferè expiràſſe, p.790. β. Miracula Diabolicis præſti-

publicarum, exemplo majorum, p. 909. & agnoverunt & medicinam flagitârunt, Germani videlicet, qui C. conscripserunt gravamina, pag. 921. & Helvetii, Tigurini cumprimis & Bernenses, pag. 939. ita tamen, ut non satis initio rei momentum Politici expenderint, pag 947. Præsules verò Romani deteriorem in dies doctrinæ ὑποτύπωσιν dederint, pag 949. retenta etiam solita vitæ licentiâ, pag. 952.

Tertiæ periodi faciem exhibet Tridentina Synodus, de qua aliâs.



INDEX II.
Alphabeticus.

Continens præcipuas in hac parde res.


A.

Anti-

N. Na-

N.

O.



Erra-

Errata inter relegendum obſervata

Pag.18.l.27. *b. pluviæ i. &c.*p.133.l.6. *θεολογώτατος.* l.25.*dividit.*p.134.l.17.*cum.*p.135.l.13.*ſcriberet.* p.137.l.23. *tractatas.*p.138.l.21.*cruce.* p.140.l.6.*quin pleni rimarum.* p.141. l.8.*reſtauratores.* l.11.*fiat.* l.18.*parum.* p.143.l.9. *Moriæ.* p.145. l.15. *quum.* p. 147. l.22. *furoris.* p.151. l.3. *admiſcent.*l.17.*eorum.* l.20. *examine.* p. 152.l.15. *adferrent.* p.153.l.14.*dolendum.* p.157. l.24.*altercationes.*p.160.l.3.*Brachyologus.*l.ul.*cura.*p.164.l.7.*ubi.* p.166.l.20. *gemma.* p.167. l.antepen.*è Scholaſticis deſumtarum.* p.258.l.2.5.vel &c. P.281.l.24.*ritu.* P.285.l.1.*quidam fucum Papatui.* P.292.l.antepen.dele,*pluribus.* P.308.*tum privilegia* [g]*largiter &c. tum etiam* [h] *ſuperſtitioſa &c.* P.413.lin.8. *hanc.*P.537.l.22.dele *opinionem.*P.441.l.12.*inoleviſſe.*P.442. l.ult.*ſi in re.* P.443.l.1.dele,*in ſubſidium vocant.* P.487.l.22. *uberrima.* pag.516.l.14. *eæ à prud.* p.536.l1. *ςηλιτικοῖς.* p.539.l.1.del.lit.*d.*p.540.l.20.1503. p.551.l.7.*quom.* l.19. *formula.*l.24.*occaſionem.* pag.560.l.13.*non eſſe ſervandam, ſed tamen habendam.* p.575.l.19.*fama ſparſum.* p.581.l.16.*ſeptennij.*p.604.l.20.*ne ſi Concilij ſubjiceretur ſuffragijs*p.605.l.8. *admiſſas.* pag. 606.l.19.*præſcribere.* p.630. l.25. *abſentetis.* p.645.l.7. *faſtu, ſtudio ſimultatum, plura habendi* [o]*beneficia libido.*l.24.plebi. p.653.l.6.*ſe commiſſuro.* p.753.l.2.*ſanctam* l.15.*putidiſsima.* p.756.l.18.*commendat.* p.759.l.3.dele *&.* p.777.l.5.*Big. Salut.*p.783.l.ult.*violabant.*p.789.l.18.*ungues.* p 800.l.ult.*B. Miracula, vaticinia.* p.813.l.7.*extra caſtellum liberi dimittuntur.* p.841.l.antep.*Georgij.* p.854.l.9.*exhibeam.*p.867.l.10.*quot monſtra.*p.893.l.[illegible] *Imperatore.*l.18.*Adrianus.*

